

HANDBOUND
AT THE



UNIVERSITY OF
TORONTO PRESS

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM LIBRI,
QUI SUPERSUNT
OMNES ET DEPERDITORUM FRAGMENTA.

TOM. II.

L7888 Tw.3

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM LIBRI,

QUI SUPERSUNT
OMNES ET DEPERDITORUM FRAGMENTA.


EX RECENSIONE
ARN. DRAKENBORCHII AD CODICUM BAMBERGENSIS
ET VINDOBONENSIS FIDEM PASSIM REFACTA
A IOANNE THEOPHILO KREYSSIG.

ANNOTATIONES CREVIERII, STROTHII, RUPERTI,
ALIORUMQUE SELECTAS ;
ANIMADVERSIONES NIEBUHRII, WACHSMUTHII,
ET SUAS ADDIDIT

TRAVERS TWISS, I. C. B.
COLL. UNIV. SOCIUS ET TUTOR.

TOM. II.

DEPARTMENTAL LIBRARY.



29/6/06
70552

OXONII,
IMPENSIS D. A. TALBOYS.

M DCCCXL.

PA

6452

A2

1840

t.2

cop. 3

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
AB URBE CONDITA
LIBRI.

EPITOME LIBRI XXI.

IN Italiam belli Punici secundi ortus narratur, et Hannibalis Poenorum ducis contra foedus per Iberum amnem transitus, a quo Saguntum, sociorum populi Romani civitas, obsessa octavo mense capta est. De quibus iniuriis missi legati ad Carthaginienses, qui quererentur. Quum satisfacere nollent, bellum iis indictum est. Hannibal, superato Pyrenaeo saltu, per Gallias, fuis Volscis, qui obsistere conati erant, ad Alpes venit; et laborioso per eas transitu, quum montanos quoque Gallos obvios aliquot proeliis repulisset, descendit in Italiam, et ad Ticinum amnem Romanos equestri proelio fudit: in quo vulneratum P. Cornelium Scipionem protexit filius, qui Africani postea nomen accepit. Iterumque exercitu Romano ad flumen Trebiam fuso, Hannibal Apenninum quoque, per magnam militum vexationem propter vim tempestatum, transiit. Cn. Cornelius Scipio in Hispania contra Poenos prospere pugnavit, duce hostium Magone capto.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXI.

Belli Punici secundi magnitudo.

Hannibal odium iurat in Romanos.

IN parte operis mei licet mihi praefari, quod in principio summae totius professi plerique sunt rerum scriptores, ¹ bellum maxime omnium memorabile, quae unquam gesta sint, me scripturum; quod, Hannibale duce, Carthaginenses cum populo Romano gessere. Nam neque validiores opibus ullae inter se civitates gentesque contulerunt arma, neque his ipsis tantum unquam virium aut roboris fuit: et haud ignotas belli artes inter se, sed expertas primo Punico conserebant bello: et adeo varia belli fortuna ancepsque Mars fuit, ut propius periculum fuerint, qui ² vicerunt. Odiis etiam prope maioribus certarunt, quam ³ viribus: Romanis indignantibus, quod victoribus victi ultro inferrent arma; Poenis, quod superbe avareque crederent ⁴ imperitatum victis esse. Fama etiam est, Hannibalem annorum ferme novem, pueriliter blandientem patri Hamil- ⁵ cari, ut duceretur in Hispaniam, quum, perfecto Africo ⁶ bello, exercitum eo traiecturus sacrificaret, altaribus admotum, tactis sacris iureiurando adactum, se, quum primum posset, hostem fore populo Romano. Angebant ingentis ⁷

¹ *Plerique . . . rerum scriptores*] In quorum numero Thucydidem haud dubie noster intelligit. MURETUS.

² *Propius periculum*] Ita legendum monent Gronov. et Muret. quorum hic plura exempla citat, supr. iv. 17. infr. xxv. 11. cf. Sil. Ital. i. 13.

³ *Qui vicerunt*] Ut melius intelligatur haec sententia, lege ea quae de Cannensi clade disserit noster, infr. xxii. 54. Propiores periculo fuere post Cannensem cladem Romani, quam erant Poeni post pugnam in Africa, cui Hannibal succubuit. Ideo cessere Carthaginenses, non quia maius periculum erat, sed quia ipsi minores animos gessere. CREV.

⁴ *Superbe avareque*] Haec spectant

praecipue ad Sardiniam, ut mox dicetur, a Romanis interceptam. CREV. cf. Polyb. iii. 2.

⁵ *Annorum ferme novem*] De quo Muretus Var. Lect. xv. 14. "Illud recto ac vere notavit Glareanus, manifesto Livium sibi pugnare, cum Hannibalem vixdum puberem Hasdrubalis literis accersitum scribit, cum ex ipsis Livii verbis necessario colligatur, Hannibalem eo tempore annos non minus viginti tres natum fuisse."

⁶ *Africo bello*] Quod Hamilcare duce Carthaginenses cum mercenariis militibus in Africa gesserunt. Hoc bellum Polybius describit ad finem libri i. CREV.

⁷ *Angebant*] cf. Polybius iii. 11.

8 spiritus virum Sicilia Sardiniaque amissae: nam et Siciliam
 9 nimis celeri desperatione rerum concessam, et Sardiniam
 inter motum Africae fraude Romanorum, stipendio etiam
 insuper imposito, interceptam. His anxius curis ita se
 1 Africo bello, quod fuit sub recentem Romanam pacem, per
 quinque annos, ita deinde novem annis in Hispania augendo
 Punico imperio gessit, ut appareret, maius eum, quam quod
 gereret, agitare in animo bellum: et, si diutius vixisset,
 Hamilcare duce Poenos arma Italiae illaturos fuisse, quae
 2 Hannibalis ductu intulerunt. Mors Hamilcaris per oppor-
 3 tuna et pueritia Hannibalis distulerunt bellum. Medius
 Hasdrubal inter patrem et filium octo ferme annos imperium
 obtinuit; flore aetatis, uti ferunt, primo Hamilcari con-
 ciliatus: gener inde ob altam indolem proecto annis ascitus,
 4 et, quia gener erat, factionis Barcinæ opibus, quae apud
 milites plebemque plus quam modicae erant, haud sane
 voluntate principum, imperio potitus. Is, plura consilio,
 5 quam vi, gerens, hospitii regulorum magis, conciliandisque
 per amicitiam principum novis gentibus, quam bello aut
 armis, rem Carthaginensem auxit. Ceterum nihilo ei pax
 tutior fuit. Barbarus eum quidam palam, ob iram interfecti
 ab eo domini, obruncavit; comprehensusque ab circum-
 stantibus haud alio, quam si evasisset, vultu, tormentis quo-
 que quum laceraretur, eo fuit habitu oris, ut, superante
 laetitia dolores, ridentis etiam speciem praebuerit. Cum
 hoc Hasdrubale, quia mirae artis in sollicitandis gentibus,
 6 imperioque iungendis suo fuerat, foedus renovaverat populus
 Romanus, ut finis utriusque imperii esset amnis Iberus,

Hamilcar
bellum Ro-
manum
meditatur.
2.

Moritur.
Hasdrubal
gener ei
succedit.

Occisus.

Ipsæ Hannibal hoc suum implacabile
 in Romanos odium Antiocho exponit,
 infr. xxxv. 19.

8 *Siciliam . . . concessam*] Pace ad
 Aegates insulas facta, de cuius con-
 ditionibus cf. Pol. i. 62, 63.

9 *Sardiniam*] Bellum alieno suo
 tempore, seu veris, seu fictis de causis
 a Romanis illatum, Carthaginenses
 suscipere nolentes, non modo cessere
 Sardinia, sed etiam, postulantibus Ro-
 manis, ad priorem summam, quam
 pepigerant foedere ad Aegates insu-
 las icto, adiecerunt argenti talenta
 mille ducenta.

1 *Per quinque annos*] Bellum Afri-
 cum Polybius i. 88. tribus annis tan-
 tummodo cum quattuor mensibus
 gestum esse scribit. CREV.

2 *Mors Hamilcaris*] Hamilcar in
 praelio quodam adversus Vetrones fe-
 rocissimos Hispaniae populos, fortis-
 sime dimicans occubuit. CREV. cf.
 Pol. ii. 1. Corn. Nep. in Vit. Hamilc.

3 *Pueritia Hannibalis*] Qui tamen
 octodecim annos iam tum habebat.

4 *Factionis Barcinæ*] Eius quae
 cum Hamilcare Barca contra partes
 Hannonis stabat. *Barca* autem, ut
 Niebuhrio iii. p. 718. videtur, non gen-
 tile cognomen erat, sed *fulgur* Poena
 lingua significabat, et Hamilcari ea
 ratione inditum est, qua apud Ro-
 manos Scipiadae illi *duo fulmina*
belli vocitabantur.

5 *Hospitiis regulorum*] cf. Pol. ii.
 36. Fabius quidem ap. Pol. iii. 8,
 haud scio an animo minime aequo, ut
 qui Romanus de Poeno scriberet, de
 crudelitate Hamilcaris et avaritia lo-
 quitur.

6 *Foedus renovaverat*] cf. Pol. iii.
 13. In eo cavebatur, ne quicquam in
 ea regione quae trans Iberum esset,
 Romani, aut in ea quae cis Iberum
 esset, Poeni sibi iuris arrogarent; neve
 alteruter populus eum amnem belli
 causa transiret.

3.

Ei succedit
Hannibal.

Saguntinisque mediis inter imperia duorum populorum libertas servaretur. In Hasdrubalis locum haud dubia res fuit, quin praerogativam militarem, qua extemplo iuvenis 7 Hannibal in praetorium delatus, imperatorque ingenti omnium clamore atque assensu appellatus erat, favor etiam plebis sequeretur. Hunc vixdum puberem Hasdrubal 8 literis ad se arcessierat: actaque res etiam in senatu fuerat, Barcinis nitentibus, ut assuesceret militiae Hannibal, atque in paternas succederet opes. Hanno, alterius factionis princeps, 'Et aequum postulare videtur,' inquit, 'Hasdrubal, et ego tamen non censeo, quod petit,tribuendum.' Quum admiratione tam ancipitis sententiae in se omnes convertisset, 'Florem aetatis,' inquit, 'Hasdrubal, quem ipse patri 'Hannibalis fruendum praebuit, iusto iure eum a filio repeti 'censet: nos tamen minime decet, iuventutem nostram pro 'militari rudimento assuefacere libidini praetorum. An hoc 'timemus, ne Hamilcaris filius nimis sero imperia immodica 'et regni paterni speciem videat; et, cuius regis genero 'hereditarii sint relictis exercitus nostri, eius filio parum 'mature serviamus? Ego, istum iuvenem domi tenendum, 'sub legibus, sub magistratibus docendum vivere acquo iure 'cum ceteris, censeo: ne quandoque parvus hic ignis incen- 9 dium ingens exsuscitet.' Pauci, ac ferme optimus quisque, Hannoni assentiebantur: sed, ut plerumque fit, maior pars

4.

Hannibalis
dotes et in-
genium.

melio rem vicit. Missus Hannibal in Hispaniam primo statim adventu omnem exercitum in se convertit. Hamil- carem iuvenem redditum sibi veteres milites credere; eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris, lineamentaue intueri. Dein brevi effecit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. 9 Nunquam ingenium idem ad res diversissimas, parcendum atque imperandum, habilis fuit. Itaque haud facile decerneres, utrum imperatori, an exercitui, carior esset: neque Hasdrubal alium quemquam praeficere malle, ubi quid fortiter ac strenue agendum esset: neque milites alio duce plus confidere, aut audere. Plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat: nullo

7 *Praerogativam militarem*] Suffragium ante a militibus latum. cf. supr. iii. 51.

8 *Vixdum puberem*] Non facile intelligitur quomodo Livius *vixdum puberem* appellare possit iuvenem eum, qui, ut ex ipsius narratione colligitur, annum tunc 22. aetatis excesserat. Hannibal novem ferme annorum erat, quum Hamilcar in Hispaniam traiecit: novem annis in Hispania rem gessit Hamilcar: octo

ferme annis imperium obtinuit Hasdrubal, ex quibus si triennium detraxeris, quo sub eo imperatore meruit Hannibal, efficitur Hannibalem, tunc quum ab Hasdrubale arcessitus est, annum 23. egisse. CREV.

9 *Minimum momentum*] h. e. Minimam vim haberet patris gratia. Ita Iustinus xiii. 6. Olympias, inquit, mater Alexandri, non *mediocriter momentum* partium. GROXOV.

labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par; cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate, modus finitus: vigiliarum somnique nec die, nec nocte discriminata tempora. Id, quod gerendis rebus superesset, quieti datum: ea neque molli strato, neque silentio arcessita. Multi saepe militari sagulo operum, humi iacentem inter custodias stationesque militum, conspexerunt. Vestitus nihil inter aequales excellens: ¹ arma atque equi conspiciebantur. Equitum peditumque idem longe primus erat. Princeps in proelium ibat: ultimus conserto proelio excedebat. Has tantas viri virtutes ² ingentia vitia aequabant; inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus deum metus, nullum iusiurandum, nulla religio. Cum hac indole virtutum atque vitiorum triennio sub Hasdrubale imperatore meruit, nulla re, quae agenda videndaque magno futuro duci esset, praetermissa.

Ceterum ex quo die dux est declaratus, velut Italia ei provincia decreta, bellumque Romanum mandatum esset, nihil prolatandum ratus, ne se quoque, ut patrem Hamilcarem, deinde Hasdrubalem, cunctantem casus aliquis opprimeret, Saguntinis inferre bellum statuit. Quibus ³ oppugnandis quia haud dubie Romana arma movebantur, in ⁴ Olcadum fines prius (ultra Iberum ea gens in parte magis, quam in ditione, Carthaginiensium erat) induxit exercitum, ut non petisse Saguntinos, sed rerum serie, finitimis domitis ⁵ gentibus, iungendoque, tractus ad id bellum videri posset. ⁶ Carteiam, urbem opulentam, caput gentis eius, expugnat diripitque. Quo metu percussae minores civitates, stipendio imposito, imperium acceperunt. Victor exercitus, opulentusque praeda, Carthaginem novam in hiberna est deductus. Ibi large partiendo praedam, stipendio praeterito cum fide exsolvendo, cunctis civium sociorumque animis in se firmatis, vere primo in Vaccaeos promotum bellum. ⁷ Hermandica et Arbocala urbes vi captae. Arbocala et virtute

5.

Hannibal bellum inferre Saguntinis statuit. Sed prius Olcadibus bellum infert.

Tum Vaccaeis.

¹ *Conspiciebantur*] Conspicua erant. cf. supr. i. 47. ii. 5. cf. Sil. Ital. i. 242.

² *Ingentia vitia*] In recensendis Hannibalis vitis haud dubie aliquid tribuendum est scriptoris erga infestissimum populi Romani hostem odio; moderatius certe ea stringit Pol. ix. 22. DOER.

³ *In Olcadum fines*] cf. Pol. iii. 13. Olcaes inter Tagum et Boetim fluvios erant.

⁴ *In parte magis*] Magis intra limites foedere Romano Carthaginiensibus definitos, quam in eorum ditione. CREV.

⁵ *Iungendoque*] sc. Ut Saguntinos sibi iungeret.

⁶ *Carteiam*] Imo *Altheam* ex Pol. iii. 13. Carteia sita fuit in ora Oceani, ad fretum Herculeum. Ea autem urbs, de qua hic agitur, quum dicatur fuisse gentis Olcadum caput, non potuit longe abesse a Carthagine nova. CREV.

⁷ *Arbocala et virtute*] Ita quoque Pol. iii. 14.

et multitudine oppidanorum diu defensa. Ab Hermandica profugi, exsulis Olcadum, priore aestate domitae gentis, quum se iunxissent, concitant Carpetanos: adortique Hannibalem, regressum ex Vaccaeis, haud procul Tago flumine agmen grave praeda turbavere. Hannibal proelio abstinuit; castrisque super ripam positis, quum prima quies silentiumque ab hostibus fuit, amnem vado traiecit: valloque ita producto, ut locum ad transgrediendum hostes haberent, invadere eos transeuntes statuit. Equitibus praecepit, ut, quum ingressos aquam viderent, adorirentur. Peditum agmen in ripa, elephantos ante quadraginta disposuit. Carpetanorum cum appendicibus Olcadum Vaccaeorumque centum millia fuere; invicta acies, si aequo dimicaretur campo. Itaque et ingenio feroces, et multitudine freti, et, quod metu cecissee credebant hostem, id morari victoriam rati, quod interesset annis, clamore sublato, passim sine ullius imperio, qua cuique proximum est, in amnem ruunt.

Vaccaei, et alii populi vincuntur.

Et ex parte altera ripae vis ingens equitum in flumen immissa, medioque alveo haudquaquam pari certamine concursus; quippe ubi pedes instabilis, ac vix vado fides, vel ab inermi equite, equo temere acto, perverti posset: eques, corpore armisque liber, equo vel per medios gurgites stabili, cominus eminusque rem gereret. Pars magna flumine absumpta: quidam, vorticoso amni delati in hostes, ab elephantis obtriti sunt: postremi, quibus regressus in suam ripam tutior fuit, ex varia trepidatione quum in unum colligerentur, priusquam ex tanto pavore reciperent animos, Hannibal, agmine quadrato amnem ingressus, fugam ex ripa fecit: vastatisque agris, intra paucos dies Carpetanos quoque in deditionem accepit. Et iam omnia trans Iberum, praeter Saguntinos, Carthaginensium erant. Cum Saguntinis bellum nondum erat: ceterum iam belli causa certamina cum finitimis serebantur, maxime Turdetanis.

6.

Saguntini Romam legatos mittunt.

Quibus quum adesset idem, qui litis erat sator, nec certamen iuris, sed vim quaeri appareret; legati a Saguntinis Romam missi, auxilium ad bellum iam haud dubie imminens orantes.

8 *Valloque ita producto*] Et quum ita longe a ripa produxisset vallum, quum eo intervallo a ripa castra communisset, ut locum ad transgrediendum amnem hostes haberent. CREV.

9 *Cum appendicibus Olcadum Vaccaeorumque*] Cum adiunctis sibi Olcadibus et Vaccaeis, qui quidem appendicis loco erant, quum Carpetani praecipuum robur exercitus essent. CREV.

1 *Id morari victoriam rati, quod interesset annis*] Rati id unum sibi morae esse ad victoriam, quod annis

interpositus hostem a se dirimeret. CREV.

2 *Vis ingens equitum in flumen immissa*] Ab Hannibale. CREV.

3 *Vorticoso*] *Verticoso*, quod plur. eodd. exhibent, Crevier. et Bekker. reposuerunt.

4 *Agmine quadrato*] sc. In proelium instructo.

5 *Quum adesset idem*] sc. Quum Hannibal, qui litem inter Saguntinos et Turdetanos serebat, Turdetanis contra Saguntinos adesset.

5 Consules tunc Romae erant P. Cornelius Scipio et Ti. Sempronius Longus. Qui quum, legatis in senatum introductis, de republica retulissent, placuissetque mitti legatos in Hispaniam, ad res sociorum inspiciendas: quibus si videretur digna causa, et Hannibali denuntiarent, ut ab Saguntinis, sociis populi Romani, abstineret, et Carthaginem in Africam traicerent, ac sociorum populi Romani querimonias deferrent: hac legatione decreta, needum missa, omnium spe celerius Saguntum oppugnari allatum est. Tunc relata ex integro res ad senatum. Alii, provincias consulibus Hispaniam atque Africam decernentes, terra marique rem gerendam censebant: alii totum in Hispaniam Hannibalemque intendebant bellum. Erant, qui non temere movendam rem tantam, exspectandosque ex Hispania legatos censerent. Haec sententia, quae tutissima videbatur, vicit: legatique eo maturius missi, P. Valerius Flaccus et Q. Baebius Tamphilus, Saguntum ad Hannibalem, atque inde Carthaginem, si non absisteretur bello, ad ducem ipsum in poenam foederis rupti deposcendum.

Dum ea Romani parant consultantque, iam Saguntum summa vi oppugnabatur. Civitas ea longe opulentissima ultra Iberum fuit, sita passus mille ferme a mari. Oriundi a Zacyntho insula dicuntur, mixtique etiam ab Ardea Rutulorum quidam generis. Ceterum in tantas brevi creverant opes, seu maritimis, seu terrestribus fructibus, seu multitudinis incremento, seu sanctitate disciplinae, qua fidem socialem usque ad perniciem suam coluerunt. Hannibal, infesto exercitu ingressus fines, pervastatis passim agris, urbem tripartito aggreditur. Angulus muri erat in planiorem patentioreque, quam cetera circa, vallem vergens. Adversus eum vineas agere instituit, per quas aries moenibus admoveri posset. Sed ut locus procul muro satis aequus agendis vineis fuit; ita handquaquam prospere, postquam ad effectum operis ventum est, coeptis succedebat. Et turris ingens imminabat: et murus, ut in suspecto loco, supra ceterae modum altitudinis emunitus erat: et iuventus delecta, ubi plurimum periculi ac laboris ostendebatur, ibi

U. C. 534.
A. C. 218.
P. Cornelio,
Ti. Sempronio
Coss.
Sagunti oppugnatio.
Legati in Hispaniam a Rom. mittuntur.

7.

Saguntini fortiter repugnant.

5 *Consules tunc... erant*] Vide 15. infr. et ea quae ad illud annotabimus. CREV.

6 *De republica retulissent*] sc. Quum consulendum, quid e republica esset, proposuissent.

7 *Needum missa*] Longe aliter Polybius iii. 15. rem narrat, qui legatos Romanos, re frustra apud Hannibalem tentata, a Sagunto Carthaginem ante bellum commissum traiecisce scribit.

8 *Rutulorum quidam generis*] Hinc, et quia urbs Tarraco Tyrrhenam originem prae se gerit, gentem Pelasgicam usque in Hispaniam radices egisse censet Niebhr. i. n. 126; quippe Ardeam Pelasgica origine fuisse ex Virg. Aen. vii. 410. liquet.

9 *Vineas agere*] cf. Supr. ii. 17.

1 *Ad effectum operis*] sc. Postquam, vineis admotis, ad rem ipsam, h. e. murum ariete quatendum, accesserunt.

U. C. 534.
A. C. 218.

Hannibal
vulneratus.

- vi maiore obsistebant. Ac primo missilibus summovere hostem, nec quicquam satis tutum munientibus pati.² Deinde iam non pro moenibus modo atque turri tela micare, sed ad erumpendum etiam in stationes operaque hostium animus erat: quibus tumultuariis certaminibus haud ferme plures Saguntini cadebant, quam Poeni. Ut vero Hannibal ipse, dum murum incautius subit, adversum femur tragula³ graviter ictus cecidit; tanta circa fuga ac trepidatio fuit, ut non multum abesset, quin opera ac vineae desererentur.
8. Obsidio deinde per paucos dies magis, quam oppugnatio, fuit, dum vulnus ducis curaretur: per quod tempus ut quies certaminum erat, ita ab apparatu operum ac munitionum nihil cessatum. Itaque acrius de integro obortum est bellum, pluribusque partibus, vix accipientibus quibusdam opera locis, vineae coeptae agi, admoverique arces. Abundabat multitudine hominum Poenus; ad centum enim quinquaginta millia habuisse in armis satis creditur. Oppidani⁴ ad omnia tuenda atque obeunda multifariam distineri coepti⁵ sunt: et non sufficebant. Iam enim feriebantur arietibus⁶ muri, quassataeque multae partes erant. Una continentibus⁷ ruinis nudaverat urbem: tres deinceps tures, quantumque inter eas muri erat, cum fragore ingenti prociderant: captumque oppidum ea ruina crediderant Poeni; qua, velut si pariter utrosque murus texisset, ita utrinque in pugnam procursum est. Nihil tumultuariarum pugnae simile erat, quales in oppugnationibus urbium per occasionem partis alterius conseri solent: sed iustae acies, velut patenti campo, inter ruinas muri tectaque urbis modico distantia intervallo constiterant. Hinc spes, hinc desperatio animos irritat: Poeno cepisse iam se urbem, si paullulum annitatur, credente; Saguntinis pro nudata moenibus patria corpora opponentibus, nec ullo pedem referente, ne in relictum a se locum hostem immitteret. Itaque quo acrius et conferti magis

² *Nec quicquam satis tutum munientibus*] Nec quicquam loci concedere munitoribus, ubi illi a iactu telorum satis tuti essent. DOER.

³ *Tragula*] Tragula missile erat telum, sic dictum, si credimus Varro-
ni, de Lingua Lat. v. 24. *a traiciendo*. Festus autem tragulam ita dictam, quod scuto infixam trahatur. Validissima fuisse, et forma quodammodo tramata.

⁴ *Satis creditur*] Illud *satis* in deliciis Livio fuisse, eumque id variis locutionibus iunxisse animadvertit Drak. cf. infr. 26. xxviii. 35. xxix. 37.

⁵ *Multifariam distineri*] Multi-

modam adhibere artem, ut possent sese per omnia quae tuenda essent et obeunda, dispertire. CREV. cf. supr. iv. 59. ut *distinerent* Volscos.

⁶ *Et non sufficebant*] sc. Labori. cf. infr. xxxvi. 45. *quoad sufficere remiges potuerunt*.

⁷ *Iam enim feriebantur*] *Itaque iam feriebantur* e codd. Flor. et Cant. in textum recepit Bekker. *et non sufficebant, (iam enim feriebantur arietibus) muri*, I. Fr. Gronov.

⁸ *Una continentibus*] In quibusdam codd. legitur, *Et una continentibus ruinis nudaverant urbem*. Continentibus, h. e. continuis, altera alteram excipiente ruina.

utrimque pugnabant, eo plures vulnerabantur, nullo inter
 9 arma corporaque vano intercidente telo. Falarica erat U. C. 534.
A. C. 218.
 Saguntinis, missile telum hastili abiegnō, et cetera tereti,
 praeterquam ad extremum, unde ferrum exstabat. Id, sicut
 in pilo, quadratum stappa circumligabant, lineabantque pice.
 1 Ferrum autem tres longum habebat pedes, ut cum armis
 transfigere corpus posset. Sed id maxime, etiamsi haesisset
 in scuto, nec penetrasset in corpus, pavorem faciebat;
 quod, quum medium accensum mitteretur, conceptumque
 ipso motu multo maiorem ignem ferret, arma omitti cogebat,
 nudumque militem ad insequentes ictus praebebat. Quum
 diu aneeps fuisset certamen, et Saguntinis, quia praeter
 spem resisterent, crevissent animi; Poenus, quia non
 vicisset, pro victo esset: clamorem repente oppidani tollunt,
 hostemque in ruinas muri expellunt; inde impeditum trepi-
 dantemque exturbant; postremo fusum fugatumque in
 castra redigunt. 9.

Interim ab Roma legatos venisse nuntiatum est: quibus
 obviam ad mare missi ab Hannibale, qui dicerent, nec tuto
 cos adituros inter tot tam effertarum gentium arma: nec
 2 Hannibali, in tanto discrimine rerum, operae esse legationes
 audire. Apparebat, non admissos protinus Carthaginem
 ituros. Literas igitur nuntiosque ad principes factionis
 Barcinæ praemittit, ut praepararent suorum animos, ne
 3 quid pars altera gratificari pro Romanis posset. Itaque, 10.
 praeterquam quod admissi auditique sunt, ea quoque vana
 atque irrita legatio fuit. Hanno unus adverso causam
 foederis, magno silentio propter auctoritatem suam, non as-
 sensu audientium, egit. Legati
 Rom. Car-
 thaginem
 eunt.
 Hannonis
 oratio in
 Hanniba-
 lem.
 ‘Per deos, foederum arbitros ac
 ‘testes, monuisse, praedixisse se, ne Hamilcaris progeniem
 ‘ad exercitum mitterent. Non Manes, non stirpem eius
 ‘conquiescere viri: nec unquam, donec sanguinis nominis-
 4 ‘que Barcini quisquam supersit, quietura Romana foedera.
 ‘Iuvenem flagrantem cupidine regni, viamque unam ad id
 ‘cernentem, si ex bellis bella serendo succinctus armis
 ‘legionibusque vivat, velut materiam igni praebentes, ad
 ‘exercitus misistis. Aluistis ergo hoc incendium, quo
 ‘nunc ardetis. Saguntum vestri circumsident exercitus,

9 *Falarica*] Genus teli, missile, quo utuntur ex falis, id est, ex locis exstructis dimicantes. FESTUS.

1 *Ferrum autem tres longum habebat pedes*] Falarica ferrum habebat longum tres pedes. Sic passim loquitur Livius. Infr. 28. *Ratem unam ducentos longam pedes.* viii. 10. *Signum septem pedes altum.* et alibi saepius. CREV.

2 *Operae esse*] Legatos tamen ab eo admissos tradit Pol. iii. 15; sed antequam Saguntum oppugnari coeptum est. RUP.

3 *Gratificari pro Romanis*] Insolens haec dictio: Perizonii coniecturam. *gratificari populo Romano*, probat Drak.

4 *Quietura*] h. e. Tuta fore a violatione, integra mansura esse. DOER.

- U. C. 534. unde arcentur foedere : mox Carthaginem circumsidebunt
 A. C. 218. Romanae legiones, ducibus iisdem diis, per quos priore
 bello rupta foedera sunt ulti. Utrum hostem, an vos, an
 fortunam utriusque populi ignoratis? Legatos, ab sociis et
 pro sociis venientes, bonus imperator vester in castra non
 admisit, ius gentium sustulit. Hi tamen, unde ne hostium
 quidem legati arcentur, pulsati ad vos veniunt, res ex foedere
 repetunt. Publica fraus absit; auctorem culpae et reum
 criminis deposcunt. Quo lenius agunt, segnius incipiunt;
 eo, quum coeperint, vereor, ne perseverantius saeviant.
 Aegates insulas Erycemque ante oculos proponite; quae
 terra marique per quattuor et viginti annos passi sitis.
 Nec puer hic dux erat, sed pater ipse Hamilcar, Mars alter,
 ut isti volunt. Sed tunc Tarento, id est Italia, non ab-
 stinneramus ex foedere: sicut nunc Sagunto non abstine-
 mus. Vicerunt ergo dii hominesque; et id, de quo verbis
 ambigebatur, uter populus foedus rupisset, eventus belli,
 velut aequus iudex, unde ius stabat, ei victoriam dedit.
 Carthagini nunc Hannibal vineas turresque admovet:
 Carthaginis moenia quatit ariete. Sagunti ruinae (falsus
 utinam vates sim) nostris capitibus incident, susceptumque
 cum Saguntinis bellum habendum cum Romanis est.
 Dedemus ergo Hannibalem? dicet aliquis. Scio, meam
 levem esse in eo auctoritatem propter paternas inimicitias.
 Sed et Hamilcarem eo perisse laetatus sum, quod, si ille
 viveret, bellum iam cum Romanis haberemus; et hunc
 iuvenem, tanquam furiam facemque huius belli, odi ac
 detestor. Nec dedendum solum id piaculum rupti
 foederis; sed, si nemo deposcat, devehendum in ultimas
 maris terrarumque oras, ablegandumque eo, unde nec ad
 nos nomen famaue eius accedere, neque sollicitare quietae
 civitatis statum possit. Ego ita censeo, legatos extemplo
 Romam mittendos, qui senatui satisficiant: alios, qui
 Hannibali nuntient, ut exercitum ab Sagunto abducant,
 ipsumque Hannibalem ex foedere Romanis dedant:
 tertiam legationem ad res Saguntinis reddendas decerno.
11. Quum Hanno perorasset, nemini omnium certare oratione
 cum eo necesse fuit: adeo prope omnis senatus Hannibalis

5 *Publica fraus absit*] Concessio ex persona Romanorum; quasi diceret Hanno: foederis rupti et noxam et poenam non publicam esse Carthaginensium, sed solius Hannibalis propriam, Romani facile patiuntur. CREV.

6 *Aegates insulas*] Contra Lilybaeum sitas, ad quas priore bello victus est navali proelio Hamilcar: et postea praesidium Eryce pretio re-

demptum deducere coactus est. Pol. i. 60.

7 *Sed tunc Tarento*] *Sed Tarento* Bekker. De hoc foedere, ex quo Italia Carthaginenses, Sicilia Romanos abstinere oportebat, mentionem facit Pol. iii. 26.

8 *Accedere*] *Accidere*, licet codd. advers., ex emendatione Gronovii in textum reposuit Bekker.

erat; infestiusque locutum arguebant Hannonem, quam U. C. 534. Flaccum Valerium, legatum Romanum. Responsum inde A. C. 218. legatis Romanis est, 'Bellum ortum ab Saguntinis, non ab Favet senatus Carthaginiensium societati praefati Hannibale esse. Populum Romanum iniuste facere, si Saguntinos vetustissimae Carthaginensium societati praefati ponat.'

Dum Romani tempus terunt legationibus mittendis, Hannibal, quia fessum militem proeliis operibusque habebat, paucorum iis dierum quietem dedit, stationibus ad custodiam vinearum aliorumque operum dispositis. Interim animos eorum nunc ira in hostes stimulando, nunc spe praemiorum accendit. Ut vero pro concione praedam captae urbis edixit militum fore, adeo accensi omnes sunt, ut, si extemplo signum datum esset, nulla vi resisti videretur posse. Saguntini ut a proeliis quietem habuerant, nec lacessentes, nec lacessiti per aliquot dies; ita non nocte, non die unquam cessaverunt ab opere, ut novum murum ab ea parte, qua patefactum oppidum ruinis erat, reficerent. Inde oppugnatio eos aliquanto atrocior, quam ante, adorta est: nec, qua primum aut potissimum parte ferrent opem, quum omnia variis clamoribus streperent, satis scire poterant. Ipse Hannibal, qua turris mobilis, omnia munimenta urbis superans altitudine, agebatur, hortator aderat. Quae quum adnota, catapultis ballistisque per omnia tabulata dispositis, muros defensoribus nudasset; tum Hannibal, occasionem ratus, quingentos ferme Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit: nec erat difficile opus, quod caementa non calce durata erant, sed interlita luto, structurae antiquae genere. Itaque latius, quam caederetur, ruebat: perque patentia ruinis agmina armatorum in urbem vadebant. Locum quoque editum capiunt: collatisque eo catapultis ballistisque, ut castellum in ipsa urbe velut arcem imminuentem haberent, muro circumdant: et Saguntini murum interiorem ab nondum capta urbis parte ducunt. Utrumque summa vi et muniunt, et pugnant: sed, interiora tuendo, minorem in dies urbem Saguntini faciunt. Simul crescit inopia omnium longa obsidione, et

Saguntinorum constantia.

9 *Vetustissimae Carthaginensium societati*] Iam U. C. 245. Carthaginenses cum Romanis foedus pepigerant; cf. Pol. iii. 22. et quae de hac re disseruit Heynius in Opusc. suis iii. p. 39.

1 *Catapultis ballistisque*] Antiquitus haec duo sedulo distingui mos erat. *Catapultis* tela, *ballistis* saxa torquebantur. Ballistae maioris erant molis, quam catapultae. Sed poste-

rioribus temporibus utrumque nomen confundi coeptum est. Vid. Lips. Poliore. iii. § 2. et 3. CREV.

2 *Caementa non calce*] h. e. Iuneturae sive lapidum commissiones non calce duratae, sed tantum luto interlatae erant.

3 *Latius, quam caederetur*] Itaque latior erat ruina, quam ea pars muri quae caesa sive iecta fuerat. CREV.

U. C. 534. minuitur exspectatio externae opis; quum tam procul Ro-
 A. C. 218. mani, unica spes, circa omnia hostium essent. Paullisper
 tamen affectos animos recreavit repentina profectio Hanni-
 balis in Oretanos Carpetanosque: qui duo populi, delectis
 acerbitate consternati, retentis conquisitoribus, metum de-
 fectionis quum praebuissent, oppressi celeritate Hannibalis,
 12. omiserunt mota arma. Nec Sagunti oppugnatio segnior
 erat, Maharbale, Himilconis filio, (eum praefecerat Hanni-
 bal) ita impigre rem agente, ut ducem abesse nec cives, nec
 hostes sentirent. Is et proelia aliquot secunda fecit, et
 tribus arietibus aliquantum muri discussit; strataque omnia
 recentibus ruinis advenienti Hannibali ostendit. Itaque
 ad ipsam arcem extemplo ductus exercitus, atroxque proe-
 lium cum multorum utrimque caede initum, et pars arcis
 capta est.

Pax frustra
 tentata.

Tentata deinde per duos est exigua pacis spes, Alconem
 Saguntinum, et Alorcum Hispanum. Alcon, insciis Sa-
 guntinis, precibus aliquid moturum ratus, quum ad Hanni-
 balem noctu transisset, postquam nihil lacrimae movebant,
 conditionesque tristes, ut ab irato victore, ferebantur, trans-
 4 fuga ex oratore factus, apud hostem mansit; moriturum
 affirmans, qui sub conditionibus his de pace ageret. Postu-
 labatur autem, redderent res Turdetanis; traditoque omni
 auro atque argento, egressi urbe cum singulis vestimentis
 ibi habitarent, ubi Poenus iussisset. Has pacis leges ab-
 nuente Alcone accepturos Saguntinos, Alorcus, vinci ani-
 mos, ubi alia vincantur, affirmans, se pacis eius interpretem
 5 fore pollicetur. Erat autem tum miles Hannibalis; cete-
 6 rum publice Saguntinis amicus atque hospes. Tradito
 palam telo custodibus hostium, transgressus munimenta, ad
 praetorem Saguntinum (et ipse ita iubebat) est deductus.
 Quo quum extemplo concursus omnis generis hominum
 esset factus, summoti cetera multitudine, senatus Alorco
 13. datus est: cuius talis oratio fuit. 'Si civis vester Alcon,
 Alorci ora- 'sicut ad pacem petendam ad Hannibalem venit, ita pacis
 tio de pace. 'conditiones ab Hannibale ad vos retulisset, supervacaneum
 'hoc mihi fuisset iter, quo nec orator Hannibalis, nec
 'transfuga ad vos venissem. Quum ille, aut vestra, aut sua
 'culpa, manserit apud hostem, (si metum simulavit, sua;
 'vestra, si periculum est apud vos vera referentibus) ego,
 'ne ignoraretis, esse aliquas et salutis et pacis vobis condi-

4 *Transfuga ex oratore factus]*
 Orare desinens, sc. transfugam pro-
 fessus est, quippe qui eas conditiones
 civibus suis proponere non auderet.

5 *Alia]* Alia, ut saepe ap. Livium,
 cetera dicuntur. Muros, armaque
 intelligit Douiat.

6 *Ceterum publice Saguntinis ami-
 cus atque hospes]* Ita quoque supr. v.
 28. *Timasitheus Liparensis hospes
 populi Romani factus est.* Ceterum
 hospes id quod apud Graecos *πρό-
 ξενος* erat.

‘tiones, pro vetusto hospitio, quod mihi vobiscum est, ad
 ‘vos veni. Vestra autem causa me, nec ullius alterius,
 7 ‘loqui, quae loquor apud vos, vel ea fides sit, quod, neque
 ‘dum vestris viribus restitistis, neque dum auxilia ab Ro-
 ‘manis sperastis, pacis unquam apud vos mentionem feci.
 ‘Postquam nec ab Romanis vobis ulla spes est, nec vestra
 ‘iam aut arma vos, aut moenia satis defendunt, pacem affero
 ‘ad vos magis necessariam, quam aequam: cuius ita aliqua
 ‘spes est, si eam quemadmodum ut victor fert Hannibal,
 ‘sic vos ut victi audiatis: si non id, quod amittitur, in
 ‘damno, (quum omnia victoris sint) sed, quicquid relin-
 ‘quitur, pro munere habituri estis. Urbem vobis, quam
 ‘ex magna iam parte dirutam, captam fere totam habet,
 ‘adimit, agros relinquit, locum assignaturus, in quo novum
 ‘oppidum aedificetis: aurum argentumque omne, publicum
 ‘privatumque, ad se iubet deferri: coniugum vestraque
 ‘corpora ac liberorum vestrorum servat inviolata, si inermes
 8 ‘cum binis vestimentis velitis ab Sagunto exire. Haec
 ‘victor hostis imperat. Haec, quanquam sint gravia atque
 ‘acerba, fortuna vestra vobis suadet. Equidem hand de-
 ‘spero, quum omnium potestas ei facta sit, aliquid ex his
 ‘rebus remissurum. Sed vel haec patienda censeo potius,
 ‘quam trucidari corpora vestra, rapi trahique ante ora
 ‘vestra coniuges ac liberos belli iure sinatis.’

Ad haec audienda quum, circumfusa paullatim multitu-
 dine, permixtum senatui esset populi concilium; repente
 primores, secessione facta, priusquam responsum daretur,
 argentum aurumque omne, ex publico privatoque in forum
 9 collatum, in ignem ad id raptim factum coniicientes, eodem
 plerique semet ipsi praecipitaverunt. Quum ex eo pavor
 ac trepidatio totam urbem pervasisset, alius insuper tumultus
 ex arce auditur. Turris diu quassata prociderat: perque
 ruinam eius cohors Poenorum impetu facto quum signum
 imperatori dedisset, nudatam stationibus custodiisque solitis
 hostium esse urbem; non cunctandum in tali occasione
 ratus Hannibal, totis viribus aggressus urbem, momento
 cepit, signo dato, ut omnes puberes interficerentur. Quod
 imperium crudele, ceterum prope necessarium cognitum
 ipso eventu est. Cui enim parci potuit ex iis, qui aut

14.

Captum
Saguntum.

7 *Vel ea fides sit*] Iam id fidem faciat. Rur.

8 *Cum binis vestimentis*] cf. Supr. 12. Hannibal postulat, ut cum singulis vestimentis Saguntini exeant. Itaque recte videtur Lipsius hic respondere: *cum privis*, i. e. singulis, *vestimentis*. Tametsi vox illa paullo rarioris est usus. CREV. cf. supr. vii.

37. sed Doering. per *binā* ea simul, quibus quisque indutus esset, intelligit.

9 *In ignem ad id raptim factum*] De simili *Numantinorum* facinore, cf. infr. xxviii. 23. *Nesactinorum*, infr. xli. 11. *Xanthenium*, Appian. 4. Plut. in Brut.

U. C. 534.
A. C. 218.

15. inclusi cum coniugibus ac liberis domos super se ipsos cremaverunt, aut armati nullum ante finem pugnae, quam morientes, fecerunt? Captum oppidum est cum ingenti praeda. Quanquam pleraque ab dominis de industria corrupta erant, et in caedibus vix ullum discrimen aetatis ira fecerat, et captivi militum praeda fuerant; tamen et ex pretio rerum venditarum aliquantum pecuniae redactum esse constat, et multam pretiosam supellectilem vestemque missam Carthaginem.

Octavo mense, quam coeptum oppugnari, captum Saguntum, quidam scripsere: inde Carthaginem novam in hiberna Hannibalem concessisse: quinto deinde mense, quam ab Carthagine profectus sit, in Italiam pervenisse. Quae si ita sunt, fieri non potuit, ut P. Cornelius, Ti. Sempronius consules fuerint, ad quos et principio oppugnationis legati Saguntini missi sint, et qui in suo magistratu cum Hannibale, alter ad Ticinum annem, ambo aliquanto post ad Trebiam, pugnaverint. Aut omnia breviora aliquanto fuere, aut Saguntum principio anni, quo P. Cornelius, Ti. Sempronius consules fuerunt, non coeptum oppugnari est, sed captum. Nam excessisse pugna ad Trebiam in annum Cn. Servilii et C. Flamini non potest: quia Flaminus Arimini consulatum iniit, creatus ab Ti. Sempronio consule; qui, post pugnam ad Trebiam ad creandos consules Romam quum venisset, comitiis perfectis ad exercitum in hiberna rediit.

16.
Capto Sagunto trepidant Romani.

Sub idem fere tempus et legati, qui redierant a Carthagine, Romam retulerunt, omnia hostilia esse, et Sagunti excidium nuntiatum est: tantisque simul maeror Patres, misericordiaque sociorum peremptorum indigne, et pudor non lati auxilii, et ira in Carthaginienses, metusque de summa rerum cepit, velut si iam ad portas hostis esset; ut, tot uno tempore motibus animi turbati, trepidarent magis, quam consulerent. Nam neque hostem acriorem bellico-

¹ *Quidam scripsere*] Inter hos Pol. iii. 37. et 56. quem ducem nisi deseruisset Livius, non ea tradidisset, quae ipse mox in dubium vocat, et quorum nodos ratione parum probabiliter solvere conatur. RUP.

² *Aut. Saguntum principio anni ... captum*] Omnino necesse est, ut Saguntum non principio huius anni, sed aliquanto ante finem superioris captum fuerit. His enim temporibus consules Iulius Martius magistratum inibant. Vid. xxii. 1. xxvi. 1. xxvii. 7. Infra autem 21, Hannibalem videmus primo vere profectum esse ex Hispania, postquam totum tempus

hiemis renovandis quiete et otio militum corporibus animisque datum esset. Unde colligitur Hannibalem eodem fere tempore Carthagine Nova movisse, quo hi consules, P. Cornelius et Ti. Sempronius magistratum inierunt; Saguntum autem captum esse sub finem aetatis eius anni, quo M. Livius et L. Aemilius consules fuere. Atque ita habet Polybius, a quo hac in re discessisse Livium mirum est, qui eum hic passim fere exscribit. CREV.

³ *Trepidarent magis*] Omnium incerti haerent, potius quam de re agenda consilium inirent.

sioremque secum congressum; nec rem Romanam tam de- U. C. 534.
 sidem inquam fuisse atque imbellem. Sardos, Corsosque, A. C. 218.
 4 et Istros, atque Illyrios, lacessisse magis, quam exercuisse,
 5 Romana arma: et cum Gallis tumultuatum verius, quam
 6 belligeratum. Poenum, hostem veteranum, trium et viginti
 annorum militia durissima inter Hispanas gentes semper
 victorem, primum Hamileare, deinde Hasdrubale, nunc
 7 Hannibale duce acerrimo assuetum, recentem ab excidio
 opulentissimae urbis, Iberum transire: trahere secum tot
 excitos Hispanorum populos: concitum avidas semper
 armorum Gallicas gentes. Cum orbe terrarum bellum
 gerendum in Italia ac pro moenibus Romanis esse.
 8 Nominatae iam antea consulibus provinciae erant; tum 17.
 sortiri iussi. Cornelio Hispania, Sempronio Africa cum Si- Belli appa-
 cilia evenit. Sex in eum annum decretae legiones, et so- ratus apud
 ciūm quantum ipsis videretur, et classis quanta parari posset. Romanos.
 Quattuor et viginti peditum Romanorum millia sunt scripta,
 et mille octingenti equites: sociorum quadraginta millia
 peditum, quattuor millia et quadringenti equites: naves
 9 ducentae viginti quinqueres, celoces viginti deductae.
 Latum inde ad populum, 'vellent, iuberent, populo Car-
 'thaginiensi bellum indici.' Eiusque belli causa supplicatio
 per urbem habita, atque adorati dii, ut bene ac feliciter
 eveniret, quod bellum populus Romanus iussisset. Inter
 consules ita copiae divisae. Sempronio datae legiones
 duae, (ea quaterna millia erant peditum, et trecenti equites)
 et sociorum sexdecim millia peditum, equites mille octin-
 genti: naves longae centum sexaginta, celoces duodecim.
 Cum his terrestribus maritimisque copiis Ti. Sempronius
 missus in Siciliam; ita in Africam transmissurus, si ad ar-
 cendum Italia Poenum consul alter satis esset. Cornelio
 1 minus copiarum datum, quia L. Manlius praetor et ipse
 2 cum haud invalido praesidio in Galliam mittebatur. Na-

4 *Lacessisse magis*] Cum his inter bellum Punicum primum et secundum Romani bella gesserant, lacessiti magis, ne quiescerent, quam armis exerciti.

5 *Cum Gallis*] Cisalpinis, qui proeliis magis tumultuariis, quam iustis rem gesserunt.

6 *Trium et viginti annorum*] Tot enim anni inter primum et secundum bellum Punicum interfuerant.

7 *Assuetum*] sc. *Durissima militia*, ablativo rei.

8 *Tum sortiri iussi*] *Iussis* ex emendatione Gronov. in textum reposuit Bekker., interpunctione sublata.

9 *Celoces*] Levia navigia sine rostris. CREV.

1 *L. Manlius praetor*] Praetores hoc anno fuerunt, ut ex variis Livii locis colligitur, L. Manlius Vulso, M. Aemilius Lepidus, C. Atilius Serranus, C. Terentius Varro. Horum L. Manlius Galliam, M. Aemilius Siciliam obtinuerunt. C. Atilio videtur primo obtigisse peregrina iurisdictionem, deinde, ingravescente bello, Ligures. C. Terentius urbanam iurisdictionem sortitus, et, absente Atilio, peregrinam quoque exercuisse videtur. CREV. cf. Pol. iii. 40.

2 *In Galliam*] Cisalpinam.

U. C. 534. vium maxime Cornelio numerus deminutus. Sexaginta
 A. C. 218. quinquereemes datae (neque enim mari venturum, aut ea
 parte belli dimicaturum hostem credebant) et duae Ro-
 manae legiones cum suo iusto equitatu, et quattuordecim
 millibus sociorum peditum, equitibus mille sexcentis.
 Duas legiones Romanas, et decem millia sociorum peditum,
 mille equites socios, sexcentos Romanos Gallia provincia
 eodem versa in Punicum bellum habuit.

3

18. His ita comparatis, ut omnia iusta ante bellum fierent,
 Legati missi Carthaginem. legatos maiores natu, Q. Fabium, M. Livium, L. Aemilium, 4
 C. Licinium, Q. Baebium, in Africam mittunt ad per-
 cunctandos Carthaginienses, publicone consilio Hannibal
 Saguntum oppugnasset? et si, id quod facturi videbantur,
 faterentur, ac defenderent publico consilio factum, ut indi-
 cerent populo Carthaginiensi bellum. Romani postquam
 Carthaginem venerunt, quum senatus datus esset, et Q.
 Fabius nihil ultra, quam unum, quod mandatum erat, per-
 cunctatus esset; tum ex Carthaginiensibus unus: 'Praeceptis
 vestra, Romani, et prior legatio fuit, quum Hannibalem,
 'tanquam suo consilio Saguntum oppugnantem deposce-
 'batis: ceterum haec legatio verbis adhuc lenior est, re
 'asperior. Tunc enim Hannibal et insimulabatur, et de-
 'poscebatur; nunc ab nobis et confessio culpa exprimitur;
 'et, ut a confassis, res extemplo repetuntur. Ego autem
 'non, privato publicone consilio Saguntum oppugnatum sit,
 'quaerendum censeam: sed utrum iure, an iniuria. Nostra
 'enim haec quaestio atque animadversio in civem nostrum
 'est; nostro, an suo fecerit arbitrio. Vobiscum una discep-
 'tatio est, licueritne per foedus fieri. Itaque quoniam dis-
 'cerni placet, quid publico consilio, quid sua sponte impe-
 'ratores faciant; nobis vobiscum foedus est a Lutatio con-
 'sule ictum: in quo quum caveretur utrorumque sociis,
 'nihil de Saguntinis (necdum enim erant socii vestri) cau-
 'tum est. At enim eo foedere, quod cum Hasdrubale
 'ictum est, Saguntini excipiuntur. Adversus quod nihil 5
 'ego dicturus sum, nisi quod a vobis didici. Vos enim,
 'quod C. Lutatius consul primo nobiscum foedus icit, quia
 'neque auctoritate Patrum, nec populi iussu ictum erat,
 'negastis vos eo teneri. Itaque aliud de integro foedus

3 *Eodem versa*] *Eodem anno* Drak. et Crev. *Nondum versa* ex coniectura J. Fr. Gronov. in textum recepit Bekker.

4 *M. Livium*] Is, qui postea *Salinator* dictus est, xxix. 37. esse non potest, quod consul esset tum quum haec legatio missa est, aut, si posteriore anno missa est, reus vel damna-

tus, xxvii. 34. SIGON. cf. Pol. iii. 20. 21. et 33.

5 *Saguntini excipiuntur*] Nimirum e numero eorum, quibus, cum non cautum sit, arma inferre liceat. *Exceptio* enim, ut ait Cic. pro Balbo 14. *facit, ne liceat; ubi non est exceptum, ibi necesse est licere.* RASCHIG. cf. Pol. iii. 27.

‘publico consilio ictum est. Si vos non tenent vestra
 ‘foedera, nisi ex auctoritate aut iussu vestro icta; ne nos
 ‘quidem Hasdrubalis foedus, quod nobis insecis icit, obli-
 ‘gare potuit. Proinde onittite Sagunti atque Iberi men-
 ‘tionem facere, et, quod diu parturit animus vester,
 6 ‘aliquando pariat.’ Tum Romanus, sinu ex toga facto, Bellum in-
 ‘Hic,’ inquit, ‘vobis bellum et pacem portamus; utrum dicunt.
 ‘placet, sumite.’ Sub hanc vocem laud minus feroeiter,
 ‘daret, utrum vellet,’ succlamatum est. Et quum is iterum
 sinu effuso ‘bellum dare’ dixisset, ‘accipere se’ omnes re-
 sponderunt, ‘et, quibus acciperent animis, iisdem se
 ‘gesturos.’

7 Haec directa percunctatio ac denuntiatio belli magis ex 19.
 dignitate populi Romani visa est, quam de foederum iure Disceptatio
 verbis disceptare, quum ante, tum maxime Sagunto excisa, de foede-
 Nam, si verborum disceptationis res esset: quid foedus rum iure.
 Hasdrubalis cum Lutatii priore foedere, quod mutatum est,
 comparandum erat? quum in Lutatii foedere discrete addi-
 tum esset, ‘ita id ratum fore, si populus censuisset:’ in
 Hasdrubalis foedere nec exceptum tale quicquam fuerit, et
 tot annorum silentio ita vivo eo comprobatum sit foedus,
 ut ne mortuo quidem auctore quicquam mutaretur. Quan-
 8 quam, etsi priore foedere staretur, satis cautum erat Sagun-
 tinis, sociis utrorumque exceptis: nam neque additum
 erat, ‘iis, qui tunc essent:’ nec, ‘ne qui postea assumer-
 ‘rentur.’ Et quum assumere novos liceret socios, quis
 aequum censeret, aut ob nulla quemquam merita in amicitia
 recipi, aut receptos in fidem non defendi? tantum, ne
 Carthaginensium socii aut sollicitarentur ad defectionem,
 9 aut sua sponte desciscentes reciperentur.

Legati Romani ab Carthagine, sicut his Romae impe- Legati Ro-
 ratum erat, in Hispaniam, ut adirent civitates, ut in socie- mani in
 tatem pellicerent, aut averterent a Poenis, traiecerunt. Ad Hispaniam
 Bargusios primum venerunt: a quibus benigne excepti, traiciunt.
 quia taedebat imperii Punici, multos trans Iberum populos

6 Sinu ex toga facto] Laciniis
 nempe togae ita collectis, ut sinus
 sine gremium fieret. cf. Sil. Ital. 384.
 Pol. iii. 33. DOER.

7 Directa percunctatio] Quum
 sine ambagibus rogaret, utrum pacem,
 an bellum vellent.

8 Etsi priore foedere] Hic intelli-
 gendum est foedus illud Lutatii, quod
 publico consilio ictum est, et prius
 vocatur, ob foedus Hasdrubalis, quod
 aliquot post annis secutum est. CREV.

9 Desciscentes reciperentur] Haec
 omnia, quae Romanorum causae fa-
 vent, diligenter excerpsit e Polybio

Livius. At id omittere fortasse non
 debuerat, quod ille eximia fide com-
 mendatus scriptor addit: conceden-
 dum quidem necessario esse, Cartha-
 ginenses iniuste hoc bellum suscep-
 pisse, si quis huius belli originem et
 causam a solo Sagunti excidio ducat.
 Sin autem belli causa esse dicatur
 Sardinia, stipendio etiam mille et
 ducentorum talentorum superimpo-
 sito, per fraudem intercepta; iuste
 omnino Carthaginenses occasione in-
 vitatos ab iis poenas exigere voluisse.
 qui per occasionem temporum ipsis
 nocuerant. CREV.

U. C. 534.
A. C. 218.

ad cupidinem novae fortunae crexerunt. Ad Volcianos inde est ventum: quorum celebre per Hispaniam responsum ceteros populos ab societate Romana avertit. Ita enim maximus natu ex iis in consilio respondit: 'Quae verecundia est, Romani, postulare vos, uti vestram Carthaginiensium amicitiae praeponamus, quum, qui id fecerunt, Saguntinos crudelius, quam Poenus hostis perdidit, vos socii prodideritis? Ibi quaeratis socios, censeo, ubi Saguntina clades ignota est. Hispanis populis, sicut lugubre, ita insigne documentum Sagunti ruinae erunt, ne quis fidei Romanae aut societati confidat.' Inde extemplo abire finibus Volcianorum iussi, ab nullo deinde concilio Hispaniae benigniora verba tulere. Itaque nequicquam peragrata Hispania, in Gallias transeunt. In his nova terribilisque species visa est, quod armati (ita mos gentis erat) in concilium venerunt. Quum, verbis extollentes gloriam virtutemque populi Romani ac magnitudinem imperii, petissent, ne Poeno, bellum Italiae inferenti, per agros urbesque suas transitum darent; tantus cum fremitu risus dicitur ortus, ut vix a magistratibus maioribusque natu iuventus sedaretur. Adeo stolidi impudensque postulatio visa est, censere, ne in Italiam transmittant Galli bellum,² ipsos id avertere in se, agrosque suos pro alienis populandos obicere. Sedato tandem fremitu, responsum legatis est, 'Neque Romanorum in se meritum esse, neque Carthaginiensium iniuriam, ob quae aut pro Romanis, aut adversus Poenos sumant arma. Contra ea audire sese, gentis suae homines agris finibusque Italiae pelli a populo Romano stipendiumque pendere, et cetera indigna pati.' Eadem ferme in ceteris Galliae conciliis dicta auditaque: nec hospitale quicquam pacatumve satis prius auditum, quam Massiliam venere. Ibi omnia, ab sociis inquisita cum cura³ ac fide, cognita, praecoccupatos iam ante ab Hannibale Gallorum animos esse: sed ne illi quidem ipsi satis mitem gentem fore, (adeo ferocia atque indomita ingenia esse) ni subinde auro, cuius avidissima gens est, principum animi concilientur.' Ita peragratis Hispaniae et Galliae populis, legati Romam redeunt, haud ita multo post, quam consules in provincias profecti erant. Civitatem omnem in expectationem belli erectam invenerunt, satis constante fama, iam Iberum Poenos transmisisse.

21. Hannibal, Sagunto capto, Carthaginem novam in hiberna

¹ In his] sc. Galliae populis, quod subaudiendum monent Strothius et Doer.

² Censere] Pro censendo, h. e. proponendo. DOER. Supervacaneam

banc vocem, et delendam censet Gronov.

³ Ab sociis] sc. Massiliensibus, de quorum fide cf. infr. xxvii. 22. et Pol. iii. 95. RUP.

20.
Gallos ad-
eunt.

concesserat: ibique, auditis, quae Romae, quaeque Carthagine acta decretaque forent, seque non ducem solum, sed etiam causam esse belli, partitis divenditisque reliquiis praedae, nihil ultra differendum ratus, Hispani generis milites convocat: ‘Credo ego vos,’ inquit, ‘socii, et ipsos cernere, pacatis omnibus Hispaniae populis, aut finiendam nobis militiam, exercitusque dimittendos esse, aut in alias terras transferendum bellum: ita enim hae gentes non pacis solum, sed etiam victoriae, bonis floreant, si ex aliis gentibus praedam et gloriam quaeremus. Itaque, quum longinqua ab domo iustet militia, incertumque sit, quando domos vestras, et quae cuique ibi cara sunt, visuri sitis, si quis vestrum suos invisere vult, commeatum do. Primo vere, edico, adsitis; ut, diis bene iuvantibus, bellum gentis gloriae praedaeque futurum incipiamus.’ Omnibus fere visendi domos oblata ultro potestas grata erat, et iam desiderantibus suos, et longius in futurum providentibus desiderium. Per totum tempus hiemis quies inter labores, aut iam exhaustos, aut mox exhauriendos, renovavit corpora animosque ad omnia de integro patienda. Vere primo ad edictum convenere.

Hannibal, quum recensuisset omnium auxilia gentium, Gades profectus Herculi vota exsolvit: novisque se obligat votis, si cetera prospera evenissent. Inde partiens curas simul in inferendum atque arcendum bellum, ne, dum ipse terrestri per Hispaniam Galliasque itinere Italiam peteret, nuda apertaue Romanis Africa ab Sicilia esset, valido praesidio firmare eam statuit. Pro eo supplementum ipse ex Africa, maxime iaculatorum, levium armis, petiit; ut Afri in Hispania, in Africa Hispani, melior procul ab domo futurus uterque miles, velut mutuis pignoribus obligati, stipendia facerent. Tredecim millia octingentos quinquaginta pedites caetratos misit in Africam, et funditores Baliares octingentos septuaginta: equites mixtos ex multis gentibus mille ducentos. Has copias partim Carthagini praesidio esse, partim distribui per Africam iubet. Simul conquisitoribus in civitates missis, quattuor millia conscripta delectae inventutis, praesidium eosdem et obsides, duci Carthaginem iubet. Neque Hispaniam negligendam

22.

4 *Gades*] De celebri, quod Herculi Tyrio ibi exstructum fuit, templo multa collegit Bochart. Geogr. Sacr. p. 166. 610. DOER.

5 *Pignoribus obligati*] cf. Pol. iii. 33. ἐκδεσμεύων τὴν ἑκατέρων πίστιν εἰς ἀλλήλους.

6 *Pedites caetratos*] Agiles, levis-

que armaturae, qui *peltastae* a Graecis dicuntur: caetra enim parvum Hispanorum et Afrorum scutum loreum, peltae simile. STROTH. cf. infr. xxiii. 26. xxxi. 36.

7 *Funditores Baliares*] Peritissimos, ex insulis Balaribus, sive Balaribus, hod. *Maiorca*, et *Minorca*.

U. C. 534. ratur, (atque ideo haud minus, quod haud ignarus erat, 8
A. C. 218. circumitam ab Romanis eam legatis ad sollicitandos prin-
cipum animos) Hasdrubali fratri, viro impigro, eam pro-
vinciam destinat, firmatque eum Africis maxime praesidiis,
peditum Afrorum undecim millibus octingentis quinquag-
inta, Liguribus trecentis, Baliaribus quingentis. Ad haec 9
peditum auxilia additi equites Libyphoenices (mixtum
Punicum Afris genus) trecenti, et Numidae Maurique ac-
colae Oceani ad mille octingenti, et parva Ilergetum manus
ex Hispania, ducenti equites: et, ne quod terrestris dees-
set auxilii genus, elephantum quattuordecim. Classis prae-
terea data ad tuendam maritimam oram, (quia, qua parte
belli vicerant, ea tum quoque rem gesturos Romanos, credi
poterat) quinquaginta quinqueres, quadriremes duae,
triremes quinque: sed aptae instructaeque remigio triginta
et duae quinqueres erant, et triremes quinque.

Ab Gadibus Carthaginem ad hiberna exercitus rediit:
atque inde, profectus praeter Etovisam urbem, ad Iberum
maritimamque oram ducit. Ibi, fama est, in quiete visum 2
Somnium Hannibalis. ab eo iuvenem divina specie, qui 'se ab Iove' diceret
'ducem in Italiam Hannibali missum: proinde sequeretur,
'neque usquam a se deflecteret oculos.' Pavidum primo,
nusquam circumspicientem aut respicientem, secutum;
deinde, cura humani ingenii, quum, quidnam id esset, quod 3
respicere vetitus esset, agitare animo, temperare oculis
nequivisse; tum vidisse, post sese serpentem mira magni-
tudine cum ingenti arborum ac virgultorum strage ferri, ac
post insequi cum fragore coeli nimbum: tum, 'quae moles
'ca, quidve prodigii esset,' quaerentem audisse: 'Vastita-
'tem Italiae esse: pergeret porro ire, nec ultra inquireret,
'sineretque fata in occulto esse.'

23. Hoc visu lactus tripartito Iberum copias traiecit, prae-
Hannibal missis, qui Gallorum animos, qua traducendus exercitus
Iberum erat, donis conciliarent, Alpiumque transitus specularentur.
transit. Nonaginta millia peditum, duodecim millia equitum Iberum 4
traduxit. Ilergetes inde, Bargusiosque, et Ausetanos, et
Lacetaniam, quae subiecta Pyrenaeis montibus est, subegit:
oracque huic omni praefecit Hannonem, ut fauces, quae

8 *Ideo haud minus*] *Ideo minus*
ex coniectura Gronovii in textum re-
cepit Bekker.

9 *Baliaribus quingentis*] Deerat
numerus apud nostrum. Adiecit eum
Sigonius ex Polybio, e quo haec om-
nia desumpta sunt. CREV.

1 *Belli vicerant*] sc. Romani bello
Punico primo.

2 *Ibi. fama est*] cf. Val. Max. i. 7.

Cic. de Div. i. 24. et, qui hanc simi-
lesque fabulas ridet, Pol. iii. 48.
RUP.

3 *Cura humani ingenii*] Pro ea,
qua duci solent homines, res vetitas
(novas quoque, insolitas et ignotas)
sciendi cupiditate. DOER.

4 *Nonaginta millia*] De numero
copiarum Hannibalis cf. Pol. iii. 35.

Hispanias Galliis iungunt, in potestate essent. Decem U. C. 534. A. C. 218.
 millia peditum Hannoni ad praesidium obtinendae regionis
 data, et mille equites. Postquam per Pyrenaeum saltum Pyrenaeum saltum superat.
 traduci exercitus est coeptus, rumorque per barbaros ma-
 navit certior de bello Romano; tria millia inde Carpetanorum
 peditum iter averterunt. Constabat, non tam bello
 motos, quam longinquitate viae insuperabilique Alpium
 transitu. Hannibal, quia revocare aut vi retinere eos an-
 ceptus erat, ne ceterorum etiam feroces animi irritarentur,
 5 supra septem millia hominum domos remisit, quos et ipsos
 gravari militia senserat, Carpetanos quoque ab se dimissos
 simulans. Inde, ne mora atque otium animos sollicitarent, 24.
 cum reliquis copiis Pyrenaeum transgreditur, et ad oppidum
 Illiberi castra locat. Galli quanquam Italiae bellum inferri
 audiebant, tamen, quia vi subactos trans Pyrenaeum His-
 panos fama erat, praesidiaque valida imposita, metu servi-
 6 tutis ad arma consternati, Ruscinonem aliquot populi con-
 veniunt. Quod ubi Hannibali nuntiatum est, moram Gallos sibi conciliat.
 magis, quam bellum, metuens, oratores ad regulos eorum
 misit, ‘colloqui semet ipsum velle cum his; et vel illi pro-
 7 ‘pius Illiberi accederent, vel se Ruscinonem processurum,
 ‘ut ex propinquo congressus facilius esset: nam et acceptu-
 ‘rum eos in castra sua se lactum, nec cunctanter se ipsum
 ‘ad eos venturum. Hospitem enim se Galliae, non hostem,
 ‘advenisse: nec stricturum ante gladium, si per Gallos
 ‘liceat, quam in Italiam venisset.’ Et per nuntios quidem
 haec. Ut vero reguli Gallorum, castris ad Illiberim ex-
 templo motis, haud gravate ad Poenum venerunt; capti
 donis cum bona pace exercitum per fines suos praeter
 Ruscinonem oppidum transmiserunt.

In Italiam interim nihil ultra, quam Iberum transisse 25.
 Hannibalem, a Massiliensium legatis Romam perlatum
 8 erat: quum perinde, ac si Alpes iam transisset, Boii, solli-
 citatis Insubribus, defecerunt; nec tam ob veteres in Boii in Italia rebel-
 lant.
 9 populum Romanum iras, quam quod nuper circa Padum,
 Placentiam Cremonamque colonias in agrum Gallicum
 deductas aegre patiebantur. Itaque, armis repente arreptis,
 in eum ipsum agrum impetu facto, tantum terroris ac

5 *Quos et ipsos*] Olim et ipse, sed Muretus et Gronovius et ipsos emendarunt. *Militiam* quoque legendam suadet Gronov. et probat Doer.

6 *Ad arma consternati*] Concitati ad arma capienda. Eodem modo locutus est Livius vii. 42. *ad arma consternatum*. Et saepius apud nostrum verbum *consternare* de furore dicitur, quam de pavore. Sic supr. viii.

27. *tumultu etiam sanos consternante animos*. CREV.

7 *Ruscinonem*] Hodie nomen regioni *Roussillon*. RASCH.

8 *Boii, sollicitatis Insubribus*] Uterque Galliae Cisalpinæ populus erat, cf. supr. v. 34. 35.

9 *Placentiam Cremonamque*] cf. Liv. Epit. xx. Pol. iii. 40.

U. C. 534. tumultus fecerunt, ut non agrestis modo multitudo, sed ipsi
 A. C. 218. triumviri Romani, qui ad agrum venerant assignandum, diffusi Placentiae moenibus, Mutinam confugerint, C. Lutatius, C. Servilius, T. Annius. Lutatii nomen haud dubium est: pro C. Servilio et T. Annio Q. Acilium et C. Herennium habent quidam annales: alii P. Cornelium Asinam et C. Papirium Masonem. Id quoque dubium est, legati,¹ ad expostulandum missi ad Boios, violati sint, an in triumphos agrum metantes impetus sit factus. Mutinae quum obsiderentur, et gens, ad oppugnandarum urbium artes rudis, pigerrima eadem ad militaria opera, segnis intactis assideret muris, simulari coeptum de pace agi: evocatique ab Gallorum principibus legati ad colloquium, non contra ius modo gentium, sed violata etiam, quae data in id tempus erat, fide, comprehenduntur; negantibus Gallis, nisi² obsides sibi redderentur, eos dimissuros. Quum haec de legatis nuntiata essent, et Mutina praesidiumque in periculo esset, L. Manlius praetor, ira accensus, effusum agmen ad Mutinam ducit. Silvae tunc circa viam erant, plerisque incultis. Ibi, inexplorato profectus, in insidias praecipitatus, multaue cum caede suorum aegre in apertos campos emersit. Ibi castra communita; et, quia Gallis ad tentanda ea defuit spes, refectioni sunt militum animi, quanquam sex-³ centos cecidisse satis constabat. Iter deinde de integro coeptum; nec, dum per patentia loca ducebatur agmen, apparuit hostis: ubi rursus silvae intratae, tum postremos adorti, cum magna trepidatione ac pavore omnium, octingentos milites occiderunt, sex signa ademere. Finis et Gallis territandi, et pavendi Romanis fuit, ut e saltu invio atque impedito evasere. Inde, apertis locis facile tutantes agmen, Romani Tanetum, vicum propinquum Pado, contendere: ibi se munimento ad tempus commeatibusque fluminis et Brixianorum Gallorum auxilio, adversus cre-⁴ scentem in dies multitudinem hostium, tutabantur. Qui tumultus repens postquam est Romam perlatus, et Punicum insuper Gallico bello auctum Patres acceperunt; C. Atilium praetorem cum una legione Romana et quinque millibus

Mutina ob-
 sessa.

Manlius
 praetor
 male rem-
 gerit.

26.

¹ *Legati*] Nullos legatos memorat Pol. iii. 40, sed triumviros, Mutinae clausos, cum colloquium a Boiis postulassent, ad eos fide accepta egres- sos, eaque violata comprehensos fuisse. Et Liv. ipse infr. xxvii. 21. non legatos, sed triumviros circa Mutinam, et xxx. 19. ad vicum Tanetum a Boiis captos tradit. Duk.

² *Nisi obsides sibi*] Quos Pol. traditos dicit in exitu eius belli, quod descripsit, ii. 22—25. Rur.

³ *Quanquam sexcentos cecidisse*] *Quanquam accisas res* Drak., *quanquam ad centum* Stroth. *quanquam ad quingentos* Gronov. et Bekker. Quod si ass. prae se ferunt, *ad* . . . *cecidisse*, ut Gronovius testatur, fieri potest, ut in voce illa *ad*, incuria scribarum, lateat numerus 600, h. e. mille quingenti.

⁴ *Brixianorum*] Qui e principibus Cenomanorum populis erant.

sociorum, delectu novo a consule conscriptis, auxilium ferre U. C. 534.
 Manlio iubent: qui sine ullo certamine (abscesserant enim A. C. 218.
 metu hostes) Tanetum pervenit.

Et P. Cornelius, in locum eius, quae missa cum praetore P. Corne-
 5 fuerat, transcripta legione nova, profectus ab urbe sexaginta lius Cos.
 longis navibus, praeter oram Etruriae Ligurumque, et inde cum classe
 6 Salyum montes, pervenit Massiliam, et ad proximum pervenit
 ostium Rhodani (pluribus enim divisus amnis in mare Massiliam.
 decurrit) castra locat: vixdum satis credens, Hannibalem
 superasse Pyrenaeos montes. Quem ut de Rhodani quo-
 que transitu agitare animadvertit, incertus, quoniam ei loco
 occurreret, necdum satis relictis ab iactatione maritima
 militibus, trecentos interim delectos equites, ducibus Mas-
 siliensibus et auxiliariis Gallis, ad exploranda omnia visen-
 dosque ex tuto hostes praemittit. Hannibal, ceteris metu
 aut pretio pacatis, iam in Volcarum pervenerat agrum,
 gentis validae. Colunt autem circa utramque ripam Rho-
 dani: sed, diffusi citiore agro arceri Poenum posse, ut
 flumen pro munimento haberent, omnibus ferme suis trans
 7 Rhodanum traiectis, ulteriorem ripam amnis armis obtine-
 bant. Ceteros accolae fluminis Hannibal, et eorum ipso-
 rum, quos sedes suae tenerant, simul pellicit donis ad
 naves undique contrahendas fabricandasque: simul et ipsi
 traieci exercitum, levarique quam primum regionem suam
 tanta urgente hominum turba cupiebant. Itaque ingens
 8 coacta vis navium est lintriumque temere ad vicinalem usum
 paratarum: novasque alias primum Galli inchoantes cava-
 bant ex singulis arboribus: deinde et ipsi milites, simul
 copia materiae, simul facilitate operis inducti, alveos in-
 formes, (nihil, dummodo innare aquae et capere onera pos-
 sent, curantes) quibus se suaque transverherent, raptim
 faciebant. Iamque omnibus satis comparatis ad traicien- 27.
 9 dum, terrebant ex adverso hostes, omnem ripam equis
 virisque obtinentes. Quos ut averteret, Hannonem, Bomil- Hannibalis
 caris filium, vigilia prima noctis, cum parte copiarum, stratagemata.
 maxime Hispanis, adverso flumine ire iter unius diei iubet;
 et, ubi primum possit quam occultissime traiecto amni, cir-
 cumducere agmen, ut, quum opus facto sit, adoriatur ab

5 *Profectus ab urbe*] Pedestri itinere
 usque ad Pisam, ubi classis commo-
 rabatur. DOER. Hic interpunctionem
 post *urbe* ponit. cf. Pol. iii. 41.

6 *Salyum montes*] De Salyum sive
 Salluviorum sedibus cf. supr. v. 34,
 35. et Strab. iv. 1.

7 *Uteriorem ripam*] h. e. Ripam
 Poenis, non Romanis, ulteriorem.

8 *Temere*] Sine arte et certo con-
 silio, *ad vicinalem usum paratarum*,
 quibus non ad longinquam naviga-
 tionem, sed ad res in vicina loca de-
 portandas utebantur. STROTH.

9 *Equis virisque*] Sic Caesar. B.
 Civ. ii. 39. *capti homines equitesque*
producebantur. GROX. *Equilibus vi-*
risque legendum suadet Doer.

U. C. 534. tergo hostem. Ad id dati duces Galli edocent, inde millia 1
 A. C. 218. quinque et viginti ferme supra, parvae insulae circumfusus
 amnem, latiore, ubi dividebatur, eoque minus alto alveo,
 transitum ostendere. Ibi raptim caesa materia ratesque
 fabricatae, in quibus equi virique et alia onera traicerentur.
 Hispani sine ulla mole, in utres vestimentis coniectis, ipsi 2
 caetris suppositis incubantes, flumen tranavere. Et alius
 exercitus, ratibus iunctis traiectus, castris prope flumen
 positus, nocturno itinere atque operis labore fessus, quiete
 unius diei reficitur, intento duce ad consilium opportune
 exsequendum. Postero die, profecti ex loco, prodito fumo 3
 significant, se transisse, et haud procul abesse. Quod ubi
 Traiecit
 Rhodanum. accepit Hannibal, ne tempori decisset, dat signum ad traii-
 ciendum. Iam paratas aptatasque habebat pedes lintres: 4
 equites fere propter equos nantes navium agmen, ad exci- 5
 piendum adversi impetum fluminis, parte superiore trans-
 mittens, tranquillitatem infra traicientibus lintribus prae-
 bebat. Equorum pars magna nantes loris a puppibus tra-
 hebantur, praeter eos, quos instratos frenatosque, ut ex-
 templo egresso in ripam equiti usui essent, imposuerant in
 28. naves. Galli occursant in ripam cum variis ululatibus
 cantuque moris sui, quatientes scuta super capita, vibran-
 tesque dextris tela: quanquam et ex adverso terrebat tanta
 vis navium cum ingenti sono fluminis et clamore vario
 nautarum et militum, qui nitebantur perrumpere impetum
 fluminis, et qui ex altera ripa traicientes suos hortabantur.
 Iam satis paventes adverso tumultu terribilior ab tergo
 adortus clamor, castris ab Hannone captis. Mox et ipse
 aderat, ancepsque terror circumstabat, et e navibus tanta vi
 armatorum in terram evadente, et ab tergo improvisa pre-
 mente acie. Galli, postquam, ultro vim facere conati, pel- 6
 lebantur, qua patere visum maxime iter, perrumpunt, tre-

1 *Millia quinque et viginti*] Polybium iii. 42. presso vestigio noster sequitur, quippe illius διακόσια στάδια ad amussim numero Liviano conveniunt. STROTH.

2 *Sine ulla mole*] Sine ullo maiore apparatu.

3 *Profecti ex loco, prodito fumo*] *Profecti, ex loco edito fumo significant*, quam lectionem coniecit Clericus, probant Rupert. et Stroth.

4 *Lintres*] Per *lintres* intelligit noster τὰ μονόξυλα πλοῖα, et per *navium agmen* maiora navigia, quae *lembos* appellat Polyb. iii. 43.

5 *Equites fere propter equos nantes*] *Navium agmen superiore fluvii*

parte transmittens equites, qui fere, sive quorum plerique erant propter, seu prope equos nantes, tranquillitatem praebebat lintribus infra traicientibus. Addit vocem *fere*, quia non omnes equites prope se habebant equos nantes. Siquidem, ut infra memoratur, aliquot equos instratos frenatosque in naves imposuerant. CREV.

6 *Postquam, ultro vim facere*] *Postquam utroque*, id est, in utramque partem, tum in eos qui a fronte, tum in eos qui a tergo adoriebantur, *vim facere conati, pellebantur*, codicem Cantabr. secutus, cum Ruperto reposuit Stroth.

pidique in vicos passim suos diffugiunt. Hannibal, ceteris U. C. 534.
copiis per otium traiectis, spernens iam Gallicos tumultus, A. C. 218.
castra locat.

Elephantorum traiciendorum varia consilia fuisse credo: Elephanti
certe variata memoria actae rei. Quidam, congregatis ad quomodo
ripam elephantis, tradunt, ferocissimum ex iis irritatum ab traiecti.
rectore suo, quum refugientem in aquam nantem sequere-
tur, traxisse gregem, ut quemque timentem altitudinem
destituerat vadum, impetu ipso fluminis in alteram ripam
rapiente. Ceterum magis constat, ratibus traiectos: id ut
tutius consilium ante rem foret, ita, acta re, ad fidem pro-
ninus est. Ratem unam, ducentos longam pedes, quinquaginta latam, a terra in amnem porrexerunt: quam, ne secunda aqua deferretur, pluribus validis retinaculis parte superiore ripae religatam, pontis in modum humo iniecta constraverunt; ut belluae audacter velut per solum ingrederentur. Altera ratis, aequae lata, longa pedes centum, ad traiciendum flumen apta, huic copulata est: et quum elephanti, per stabilem ratem, tanquam viam, praegredientibus feminis, acti, in minorem applicatam transgressi sunt; extemplo resolutis, quibus leviter annexa erat, vinculis, ab actuariis aliquot navibus ad alteram ripam pertrahitur: ita primis expositis, alii deinde repetiti ac traiecti sunt. Nihil sane trepidabant, donec continenti velut ponte agerentur.
1 Primus erat pavor, quum, soluta ab ceteris rate, in altum raperentur: ibi, urgentes inter se, cedentibus extremis ab aqua, trepidationis aliquantum edebant; donec quietem ipse timor circumspectantibus aquam fecisset. Excidere etiam saevientes quidam in flumen: sed, pondere ipso stabiles, deiectis rectoribus, quaerendis pedetentim vadis, in terram evasere.

Dum elephantis traiciuntur, interim Hannibal Numidas 29.
equites quingentos ad castra Romana miserat speculatum, ubi, et quantae copiae essent, et quid pararent. Huic alac-
equitum missi, ut ante dictum est, ab ostio Rhodani tre- Equestre
centi Romanorum equites occurrunt. Proelium atrocius, inter Nu-
quam pro numero pugnantium, editur. Nam praeter multa midas 500.
vulnera, caedes etiam prope par utrimque fuit: fugaque et 300.
pavor Numidarum Romanis, iam admodum fessis, victoriam

7 *Ut quemque timentem*] Prout
quisque elephantorum timens altitu-
dinem aquae, a vado destituebatur.
CREV.

8 *Ratibus traiectos*] Pol. iii. 46.
hanc solam traiectionem narrat.

9 *Id ut tutius*] Id ut, ante rem
actam, tutius videri consilium debe-
bat, ita nunc, quum acta res memo-

ratur, probabilius est, tale est ut credi
facilius posset. CREV.

1 *Soluta ab ceteris rate*] Aut ab
ceteris ratibus, quarum plures fuisse,
quum inter se, tum ad ripam valide
religatas, tradit Polyb. iii. 46. aut ab
ceteris elephantis avulsi. CREV. In-
terpunctionem post *rate* tollit Bekker.

U. C. 534. dedit. Victores ad centum sexaginta, nec omnes Romani, ³
 A. C. 218. sed pars Gallorum: victi amplius ducenti ceciderunt. Hoc
 principium simul omenque belli, ut summae rerum prospere
 eventum, ita haud sane incruentam ancipitisque cer-
 tamini victoriam, Romanis portendit.

Ut, re ita gesta, ad utrumque ducem sui redierunt, nec
 Scipioni stare sententia poterat, nisi ut ex consiliis coeptis-
 que hostis et ipse conatus caperet: et Hannibalem incertum,
 utrum coeptum in Italiam intenderet iter, an cum eo, qui
 primus se obtulisset Romanus exercitus, manus consereret,
 avertit a praesenti certamine Boiorum legatorum regulique
 Magali adventus: qui se duces itinerum, socios periculi
 fore, affirmantes, integro bello, nusquam ante libatis viribus, ⁴
 Italiam aggrediendam censent. Multitudo timebat quidem
 hostem, nondum oblitterata memoria superioris belli: sed
 magis iter immensum Alpesque, rem fama utique inexpertis
 horrendam, metuebat. Itaque Hannibal, postquam ipsi
 sententia stetit pergere ire, atque Italiam petere, advocata ⁵
 concione, varie militum versat animos castigando adhortan-
 doque. ‘Mirari se, quinam pectora semper impavida repens
 ‘terror invaserit. Per tot annos vincentes eos stipendia
 ‘facere; neque ante Hispania excessisse, quam omnes gen-
 ‘tesque et terrae eae, quas duo diversa maria amplectantur,
 ‘Carthaginensium essent. Indignatos deinde, quod, qui-
 ‘cunque Saguntum obsedissent, velut ob noxam, sibi dedi ⁶
 ‘postularet populus Romanus, Iberum traiecis-
 ‘dum nomen Romanorum, liberandumque orbem terrarum.
 ‘Tum nemini visum id longum, quum ab occasu solis ad
 ‘exortus intenderent iter. Nunc, postquam multo maiorem
 ‘partem itineris emensam cernant, Pyrenaeum saltum inter
 ‘ferocissimas gentes superatum, Rhodanum, tantum amnem,
 ‘tot millibus Gallorum prohibentibus, domita etiam ipsius
 ‘fluminis vi, traiectum, in conspectu Alpes habeant, quarum
 ‘alterum latus Italiae sit; in ipsis portis hostium fatigatos
 ‘subsistere, quid Alpes aliud esse credentes, quam montium
 ‘altitudines? Fingerent altiores Pyrenaei iugis: nullas
 ‘profecto terras coelum contingere, nec inexcuperabiles
 ‘humano generi esse. Alpes quidem habitari, coli, gignere

30.
 Hannibal
 hortatur
 milites.

3 *Ad centum sexaginta*] *Ad cen-*
tum quadraginta, Polybium iii. 45.
 auctorem secutus, scribendum monet
 I. Fr. Gronov. qui librariorum hic pec-
 casse, ut LX. pro XL. scriberent, pa-
 riter ac supr. x. 38. censet, cf. supr.
 vii. 19.

4 *Integro bello*] Bello nusquam
 ante tentato, cuius ex apparatu viri-
 busque nihil delibatum aut imminu-

tum esset. CREV.

5 *Pergere ire*] cf. Cic. Acad. i. 1.
 Her. iii. 1.

6 *Quicumque Saguntum obsedis-*
sent] Solum Hannibalem depoposce-
 rant Romani. Sed hic Hannibal non
 tam spectat quid verum sit, quam
 quid invidiosum in Romanos, et ad
 suorum animos inflammandos efficax.
 CREV.

7^{atque alere animantes: pervias paucis esse, exercitibus} U. C. 534.
 8^{invijs? Eos ipsos, quos cernant, legatos non pennis sub-} A. C. 218.
 9^{lime elatos Alpes transgressos: ne maiores quidem eorum}
 10^{indigenas; sed advenas Italiae cultores, has ipsas Alpes}
 11^{ingentibus saepe agminibus cum liberis ac coniugibus,}
 12^{migrantium modo, tuto transmisisse. Militi quidem}
 13^{armato, nihil secum praeter instrumenta belli portanti,}
 14^{quid invium aut inexsuperabile esse? Saguntum ut cape-}
 15^{retur, quid per octo menses periculi, quid laboris exhaustum}
 16^{esse? Romam, orbis terrarum caput, petentibus quicquam}
 17^{adeo asperum atque arduum videri, quod inceptum more-}
 18^{tur? Cepisse quondam Gallos ea, quae adiri posse Poenus}
 19^{desperet? Proinde aut cederent animo atque virtute}
 20^{genti, per eos dies toties ab se victae: aut itineris finem}
 21^{sperent campum interiacentem Tiberi ac moenibus Ro-}
 22^{manis.}

His adhortationibus incitatos corpora curare, atque ad 31.
 iter se parare iubet. Postero die, profectus adversa ripa
 1 Rhodani, mediterranea Galliae petit: non quia rectior ad Mediterraneana Galliae
 2 Alpes via esset, sed, quantum a mari recessisset, minus ob- petit.
 3 vium fore Romanum credens: cum quo, priusquam in
 4 Italiam ventum foret, non erat in animo manus conserere.
 5 Quartis castris ad Insulam pervenit: ibi Isara Rhodanusque
 6 amnes, diversis ex Alpibus decurrentes, agri aliquantum
 7 amplexi, conflunt in unum. Inde mediis campis Insulae
 8 nomen inditum. Incolunt prope Allobroges, gens iam inde

7 *Exercitibus invias?*] Oratoria vis auctetur interrogatione, verum minuitur, si ex emendatione Strothii legeris, *nec exercitibus invias*. RUP.

8 *Maiores quidem eorum*] sc. Boiorum, de quorum immigratione in Italiam cf. supr. v. 35. Pol. iii. 48.

9 *Romam, orbis terrarum caput*] Prolepsis, haud bene conveniens Hannibali. STROTH.

1 *Non quia rectior*] Haec Livio ipsi, non Polybio debentur.

2 *Isara*] Optima emendatio ad fidem Polybii facta, quam I. Fr. Gronov. probavit, et in textum reposuit Bekker.

3 *Diversis ex Alpibus*] Arar autem ad Sequanos Helvetiosque tendit, Caes. B. G. i. 12. neque ex Alpibus, sed ex monte Vogeso, hodie *les Vosges*, ortum habet.

4 *Mediis campis Insulae*] Quis sit hic campus, mire dubitatur. Illi, quibus vox *Arar* non displicet, insulam illam, quae ad Araris et Rhodani confluentes est, in qua urbs Lugdunum sita est, intelligunt. Alii vero,

quibus vox *diversis* scrupulum iniecit, insulam ad Rhodani et Druentiae confluentes esse variis argumentis confirmare tentant: sed nihil opus est, quippe Isara ex Alpibus Graiis, Rhodanus ex Lepontiis ortum habent. Gronovio autem, ad cuius partes De Luceius et Cramerius accedunt, insula illa ad Rhodani et Isariae confluentes hic intelligi videtur, quae haud dubie magis ad similitudinem Deltae illius Aegyptiacae, ut Polybii verbis utar, quam duae illae priores, circumscripta est. Hoc quoque probant quum alia multa, tum hoc vel maxime, quod Polybius, quem hic vertit noster, in insula illa quam describit, *in ipsa*, inquam, *insula*, non *prope*, quemadmodum Livius, dicit incolere Allobroges. Allobroges autem non inter Rhodanum et Ararim, sed inter Rhodanum et Isaram incolebant. Itaque post *prope* subaudi *confluentes*.

5 *Iam inde*] Hoc addit Livius, quia postea maxime gens Allobrogum opibus et fama inelaruit. CRLV. Nisi

U. C. 534.
A. C. 218.

Druentia
amnis.

nulla Gallica gente opibus aut fama inferior: tum discors erat. Regni certamine ambigebant fratres. Maior, et qui prius imperitarat, Brancus nomine, minore ab fratre et coetu iuniorum, qui iure minus, vi plus poterat, pellebatur. Huius seditionis peropportuna disceptatio quum ad Hannibalem reiecta esset, arbiter regni factus, quod ea senatus principumque sententia fuerat, imperium maiori restituit. Ob id meritum compectu copiaque rerum omnium, maxime vestis, est adiutus, quam infames frigoribus Alpes praeparari cogeant. Sedatis certaminibus Allobrogum, quum iam Alpes peteret, non recta regione iter instituit; sed ad laevam 6 in Tricastinos flexit; inde per extremam oram Vocontiorum agri tetendit in Tricorios: haud usquam impedita via, priusquam ad Druentiam flumen pervenit. Is et ipse 7 Alpinus amnis longe omnium Galliae fluminum difficillimus transitu est. Nam, quum aquae vim vehat ingentem, non tamen navium patiens est: quia nullis coercitus ripis, pluribus simul, neque iisdem alveis fluens, nova semper vada novosque gurgites, (et ob eadem pediti quoque incerta via est) ad haec saxa glareosa volvens, nihil stabile nec tutum ingredienti praebet; et tum, forte imbris auctus, ingentem transgredientibus tumultum fecit, quum super cetera trepidatione ipsi sua atque incertis clamoribus turbarentur.

32.

P. Cornelius ad castra ab Hannibale deserta venit. Redit ad naves.

P. Cornelius consul, triduo fere post, quam Hannibal ab ripa Rhodani movit, quadrato agmine ad castra hostium venerat, nullam dimicandi moram factururus. Ceterum, ubi deserta munimenta, nec facile se tantum praegressos ascuturum videt; ad mare ac naves rediit, tutius faciliusque ita descendenti ab Alpibus Hannibali occursurus. Ne tamen nuda auxiliis Romanis Hispania esset, quam provinciam sortitus erat, Cn. Scipionem fratrem cum maxima parte copiarum adversus Hasdrubalem misit; non ad tuendos tantummodo veteres socios conciliandosque novos, sed etiam ad pellendum Hispania Hasdrubalem. Ipse cum admodum exiguis copiis Genuam repetit, eo, qui circa Padum erat, exercitu Italiam defensurus.

malis inde, quod in codd. ante voces *mediis campis* non invenitur, loco mutatum fuisse.

6 *Ad laevam in Tricastinos flexit*] Quod iter haud memorat Polybius, at Sil. Ital. iii. 466 sq. et Ammian. xv. 28. Livius regionem designat, quae non Hannibali, sed sibi aut cuivis Italo *ad laevam* esset: mos est enim historicis, ut nonnunquam dextram sinistramque non ab hostium parte, sed a sua designent. STROTH.

7 *Is et ipse Alpinus amnis*] Quippe ex Alpibus Cottii oriens. Optima

haec descriptio amnis Druentiae, sed magis in inferiorem partem competit, quâ a Segusterone usque ad Avenionem alveo incerto fluit. Sed tota haec Livii narratio errore quodam inenodabili implicita est, neque facile est diiudicare, utrum sciens haec, quae minime sibi constant, scripserit, an incuria librariorum voces quaedam sede sua mutatae sint. Nos Polybii medicam manum adhibendam censemus.

8 *Genuam repetit*] *Pisas*, si Polybium iii. 56. audiamus. Exercitus,

Hannibal ab Druentia campestri maxime itinere ad Alpes U. C. 534.
 cum bona pace incolentium ea loca Gallorum pervenit. A. C. 218.
 Tum, quanquam fama prius, qua incerta in maius vero ferri Hannibal
 solent, praecepta res erat, tamen ex propinquo visa montium transit Al-
 9 altitudo, nivesque coelo prope immixtae, tecta informia im-
 1 posita rupibus, pecora iumentaque torrida frigore, homines
 2 intonsi et inculti, animalia inanimaque omnia rigentia gelu,
 cetera visu, quam dictu, foediora, terrorem renovarunt.
 3 Erigentibus in primos agmen elivos apparuerunt imminentes
 tumulos insidentes montani: qui, si valles occultiores inse-
 dissent, coorti in pugnam repente, ingentem fugam stra-
 4 gemque dedissent. Hannibal consistere signa iubet; Gal-
 lisque ad visenda loca praemissis, postquam comperit, trans-
 itum ea non esse, castra inter confragosa omnia praerupta-
 que, quam extentissima potest valle, locat. Tum per
 eodem Gallos, haud sane multum lingua moribusque
 abhorrentes, quum se immiscuissent colloquiis montanorum,
 edoctus interdum tantum obsideri saltum, nocte in sua
 quemque dilabi tecta; luce prima subiit tumulos, ut ex
 aperto atque interdum vim per angustias facturus. Die
 deinde simulando aliud, quam quod parabatur, consumpto,
 quum eodem, quo constiterant, loco castra communissent,
 ubi primum degressos tumulis montanos laxatasque sensit
 custodias, pluribus ignibus, quam pro numero manentium,
 in speciem factis, impedimentisque cum equite relictis, et
 maxima parte peditum; ipse cum expeditis, acerrimo quo-
 que viro, raptim angustias evadit: iisque ipsis tumulis, quos
 hostes tenuerant, consedit. Prima deinde luce castra mota,
 et agmen reliquum incedere coepit. Iam montani signo
 dato ex castellis ad stationem solitam conveniebant; quum
 repente conspiciunt alios, arce occupata sua, super caput
 imminentes, alios via transire hostes. Utraque simul
 obiecta res oculis animisque immobiles parumper eos defixit.
 Deinde, ut trepidationem in angustiis, suoque ipsum
 tumultu misceri agmen videre, equis maxime consternatis,
 quicquid adieccissent ipsi terroris, satis ad perniciem fore rati,
 5 diversis rupibus, iuxta invia ac devia assueti, decurrunt.

33.

cui L. Manlius et C. Atilius praetores
 praeceperant, in iis locis castra habe-
 bat.

9 *Praecepta*] Animo praecognita.
 CREV.

1 *Torrida frigore*] Passim uri, am-
 buri, torreret de frigore plantas cu-
 temque hominis laedente. cf. infr. xl.
 45. Plin. H.N. iii. 20. Tac. Ann. xiii. 35.

2 *Inanimaque*] *Inanimataque* ex
 emendatione Gronovii reposuit Bek-
 ker.

3 *Erigentibus in primos agmen*] Pol. iii. 50.

4 *Gallisque ad visenda loca*] sc.
 Legatis Boiorum, qui se duces itineris
 fore professi fuerant. SIGON.

5 *Diversis rupibus*] Alii *perversis*
rupibus. Gronovius legendum suadet
per transversas rupes, fortasse nimis
 audacter, ut Crevierio videtur, qui
discurrunt scribit. *Diversi rupibus*,
iuxta invia ac devia, reponit Wal-
 chius.

U. C. 534.
A. C. 213.

Tum vero simul ab hostibus, simul ab iniquitate locorum Poeni oppugnabantur; plusque inter ipsos, sibi quoque tendente, ut periculo prius evaderet, quam cum hostibus, certaminis erat. Equi maxime infestum agmen faciebant, qui et clamoribus dissonis, quos nemora etiam repercussaeque valles augebant, territi trepidabant, et icti forte aut vulnerati adeo consternabantur, ut stragem ingentem simul hominum ac sarcinarum omnis generis facerent: multosque 6 turba, quum praecipites deruptaeque utrimque angustiae 7 essent, in immensum altitudinis deiecit; quosdam et armatos: sed ruinae maximae modo iumenta cum oneribus devolvebantur. Quae quanquam foeda visu erant, stetit parumper tamen Hannibal, ac suos continuit, ne tumultum ac trepidationem augetet. Deinde, postquam interrumpi agmen vidit, periculumque esse, ne exutum impedimentis exercitum nequiequam incolumem traduxisset, decurrit ex superiore loco; et, quum impetu ipso fudisset hostem, suis quoque tumultum auxit. Sed is tumultus momento temporis, postquam liberata itinera fuga montanorum erant, sedatur: nec per otium modo, sed prope silentio, mox omnes traducti. Castellum inde, quod caput eius regionis erat, viculosque circumiectos capit, et captivo cibo ac pecoribus per triduum exercitum aluit. Et quia nec montanis primo percussis, nec loco magnopere impediabantur, aliquantum eo triduo viae confecit.

34. Perventum inde ad frequentem cultoribus alium, ut inter montana, populum. Ibi non bello aperto, sed suis artibus, 9 fraude, deinde insidiis est prope circumventus. Magno natu principes castellorum oratores ad Poenum veniunt: 'alienis malis, utili exemplo, doctos,' memorantes, 'amicitiam malle, quam vim experiri Poenorum. Itaque obedienter imperata facturos: commeatum itinerisque duces, 'et ad fidem promissorum obsides acciperet.' Hannibal nec temere credendo, nec aspernando, ne repudiati aperte hostes fierent, benigne quum respondisset; obsidibus, quos dabant, acceptis, et commeatu, quem in viam ipsi detulerant, usus, nequaquam, ut inter pacatos, incomposito agmine duces eorum sequitur. Primum agmen elephanti et equites erant: ipse post cum robore peditum, circumspectans sollicitusque omnia, incedebat. Ubi in angustiores vias

6 *Multosque turba*] h. e. Tumulus et trepidatio. Per *multos*, quibus paullo post *armati* opponuntur, intelligi lixas et calones, nam res maxime circa impedimenta accidit, monet Doer.

7 *Utrunque*] Hoc in Polybio non legitur.

8 *Captivo cibo*] *Cibo* additum e

Polybio. Plures edd. *frumento* habent, quaedam *captivorum pecoribus*. Verum ap. Polybium castellum illud, *πόλις* vocatur.

9 *Populum*] *Δῆμον*, sive pagum intelligas.

1 *Suis artibus*] h. e. Perfidia plus quam Punica. cf. sup. 4.

ex parte altera subiectam iugo insuper imminenti ventum U. C. 534.
 est, undique ex insidiis barbari a fronte, ab tergo coorti, A. C. 218.
 cominus eminens petunt: saxa ingentia in agmen devolvunt:
² maxima ab tergo vis hominum urgebat. In eos versa peditum
 acies laud dubium fecit, quin, nisi firmata extrema
 agminis fuissent, ingens in eo saltu accipienda clades fuerit.
 Tunc quoque ad extremum periculi ac prope perniciem
 ventum est: nam, dum cunctatur Hannibal demittere agmen
 in angustias; quia non, ut ipse equitibus praesidio erat, ita
 peditibus quicquam ab tergo auxilii reliquerat; occurrentes
³ per obliqua montani, perrupto medio agmine, viam insedere:
 noxque una Hannibali sine equitibus atque impedimentis
 acta est. Postero die, iam segnius intercurrentibus barbaris,
 iunctae copiae, saltusque laud sine clade, maiore tamen
 iumentorum, quam hominum, perniciem, superatus. Inde
 montani pauciores iam, et latrocinii magis quam belli more,
 concursabant; modo in primum, modo in novissimum
 agmen, uterunque aut locus opportunitatem daret, aut pro-
 gressi morative aliquam occasionem fecissent. Elephant,
⁴ sicut per artas praecipites vias magna mora agebantur, ita
 tutum ab hostibus, quacunque incederent, quia insuetis
 adeundi propius metus erat, agmen praebant.

Nono die in iugum Alpium perventum est, per invia
 pleraque et errores, quos aut ducentium fraus, aut, ubi fides
 iis non esset, temere initae valles a coniectantibus iter,
 faciebant. Biduum in iugo stativa habita: fessisque labore
 ac pugnando quies data militibus; iumenta quoque aliquot, quae
 prolapsa in rupibus erant, sequendo vestigia agminis in
 castra pervenere. Fessis taedio tot malorum nivis etiam
⁵ casus, occidente iam sidere Vergiliarum, ingentem terrorem
 adiecit. Per omnia nive oppleta quum, signis prima luce
 motis, segniter agmen incederet, pigritiaeque et desperatio
⁶ in omnium vultu emineret; praegressus signa Hannibal in
 promontorio quodam, unde longe ac late prospectus erat,
 consistere iussis militibus Italiam ostendit, subiectosque
 Alpibus montibus Circumpadanos campos: 'moenia quoque eos
 tum transcendere non Italiae modo, sed etiam urbis Ro-

² *In eos versa peditum acies*] In eos quum versa peditum acies esset, laud dubium erat, quin . . . tunc quoque, licet etiam firmasset Hannibal extrema agminis, tamen . . .

³ *Perrupto medio agmine*] *Interupto* ex emendatione Gronovii in textum recepit Bekker.

⁴ *Praecipites*] Proni ad lapsum in locis declivibus et praecipitibus. DOER. *Praecipites*, h. e. per ardua ac declivia, quin praerupta saepe, duce-

bantur. BAUER.

⁵ *Occidente iam sidere Vergiliarum*] Vergiliae, sive Pleiades, sunt stellae septem in collo Tauri. Occasus Pleiadum de quo hic agit Livius, contingebat, Plinii aevo, tertio Idus Novembris, ipso teste, H. N. xviii. 31. CREV. cf. Pol. iii. 54.

⁶ *In promontorio quodam*] Iugo Alpium praealto, in altum (non, ut plerumque, in mare) prominente. RER.

U. C. 534. 'manae. Cetera plana, proclivia fore: uno, aut summum 7
A. C. 218. 'altero proelio arcem et caput Italiae in manu ac potestate
'habituros.' Procedere inde agmen coepit; iam nihil ne
hostibus quidem, praeter parva furtiva per occasionem, tentan-
tibus. Ceterum iter multo, quam in ascensu fuerat, (ut
pleraque Alpium ab Italia sicut breviora, ita arrectiora sunt)
difficilius fuit. Omnis enim ferme via praeceps, angusta, 8
lubrica erat: ut neque sustinere se a lapsu possent; nec, 9
qui paullulum titubassent, haerere afflicti vestigio suo;
aliique super alios, et iumenta et homines, occiderent.

36. Ventum deinde ad multo angustiores rupes, atque ita
rectis saxis, ut aegre expeditus miles tentabundus, manibus-
que retinens virgulta ac stirpes circa eminentes, demittere
sese posset. Natura locus iam ante praeceps, recenti lapsu
terrae in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat. 1
Ibi quum, velut ad finem viae, equites constitissent, miranti
Hannibali, quae res moraretur agmen, nuntiatur, rupem
inviam esse. Digressus deinde ipse ad locum visendum.
Haud dubia res visa, quin per invia circa nec trita antea,
quamvis longo ambitu, circumduceret agmen. Ea vero via
insuperabilis fuit. Nam quum super veterem nivem intae-
tam nova modicae altitudinis esset, molli nec praealtae nivi
facile pedes ingredientium insistebant. Ut vero tot homi-
num iumentorumque incessu dilapsa est, per nudam infra
glaciem fluentemque tabem liquescentis nivis ingredie-
bantur. Taetra ibi luctatio erat, ut a lubrica glacie, non
recipiente vestigium, et in prono citius pedes fallente: et,
seu manibus in assurgendo seu genu se adiuvisent, ipsis 2
adminiculis prolapsi si iterum corruerent, nec stirpes circa
radicesve, ad quas pede aut manu quisquam eniti posset,
erant; ita in levi tantum glacie tabidaque nive volutabantur.
Iumenta secabant interdum etiam tum infimam ingredientia

7 *Summum*] Ad summum, quod
Anglice, dicimus *at most*. Restituit
hanc loquendi formam Livio Grono-
vius, quum vulgo editi haberent *ad
summum*, scripti *summo*.

8 *Omnis enim ferme via*] Haec
verba, ut ex Polybio patet, non sunt
de toto itinere intelligenda, sed de
invia illa parte tantummodo, de qua
mox sermo erit.

9 *Ut neque sustinere se a lapsu*]
se. Ut neque continere se, quominus
laberentur, neque, si paullulum titu-
bassent, h. e. non omnino primo lapsu
procidissent, sed terrae *afflicti* vesti-
gium pressissent, vestigio suo haerere
possint.

1 *In pedum mille admodum altitu-*

dinem] *Impeditus in mirandam ad-
modum altitudinem* retinent Sigon. et
Stroth. Sed emendationem Vallae
firmatam a Pol. iii. 54, quam noster
servavit, Crev. et Bekker. probant.
Quod vero Livius spatium, quo re-
centi lapsu abruptus locus erat, *in
altitudinem*, non *in longitudinem* ac-
ceperit, id non ex Polybio sumsit, et
prorsus ridiculum absurdumque vide-
tur.

2 *Ipsis adminiculis prolapsi si ite-
rum corruerent*] Manus et genua in-
telligenda sunt, quibus se adiuvisse
dicuntur. DOER. Ceterum Bekker.
prolapsis iterum corruerant ex con-
iectura Gronovii in textum recepit.

3 nivem, et prolapsa iactandis gravius in commitendo ungulis U. C. 534.
 penitus perfringebant: ut pleraque, velut pedica capta, A. C. 218.
 haerent in durata et alte concreta glacie. Tandem, 37.
 nequiequam iumentis atque hominibus fatigatis, castra in
 ingo posita, acerrime ad id ipsum loco purgato: tantum
 4 nivis fodiendum atque egerendum fuit. Inde ad rupem Rupes igne
 muniendam, per quam unam via esse poterat, milites ducti, et aceto
 5 quum caedendum esset saxum, arboribus circa immanibus mollita.
 deicectis detruncatisque, struem ingentem lignorum faciunt:
 eamque, quum et vis venti apta faciendo igni coorta esset,
 6 succendunt, ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt. Ita
 7 torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque an-
 fractibus modicis clivos, ut non iumenta solum, sed elephanti
 etiam, deduci possent. Quatriduum circa rupem consum-
 ptum, iumentis prope fame absumptis: nuda enim fere
 cacumina sunt, et, si quid est pabuli, obruunt nives.
 Inferiora valles et apricos quosdam colles habent, rivosque
 prope silvas, et iam humano cultu digniora loca. Ibi iu-
 8 menta in pabulum missa, et quies muniendo fessis hominibus
 9 data triduo. Inde ad planum descensum, etiam locis mol-
 lioribus et accolarum ingeniiis.

Hoc maxime modo in Italiam perventum est, quinto 38.
 1 mense a Carthagine nova, ut quidam auctores sunt, quinto Italiam in-
 decimo die Alpibus superatis. Quantae copiae transgresso greditur
 in Italiam Hannibali fuerint, nequaquam inter auctores con- Hannibal.
 stat. Qui plurimum, centum millia peditum, viginti equitum

3 *In commitendo*] sc. Ut sese erige-
 rent.

4 *Ad rupem muniendam*] h. e.
 Perfodiendo et caedendo rupem per
 eam viam aperire. DOER.

5 *Arboribus circa immanibus*] Nec
 minus mirum, quod arbores immanes
 in eo loco opportune existerent, cuius,
 ut mox ait Livius, *nuda fere cacu-*
mina, et si quid est pabuli, obruunt
nives. Sed quum rupes mille pedes
in altitudinem abrupta esset, necesse
 erat omnino, ut aliquis *Deus ex ma-*
china existeret.

6 *Infuso aceto*] Plin. H. N. xxxiii.
 3. eam aceti vim esse scribit, ut *sava*
rumpat infusum, quae non ruperit
ignis antecedens. Hanc fabulam Plut.
 in Vita Hann. ac Sil. iii. 640. necnon
 Appian. Hann. 4. narrant. Quidam,
 qui rem non prorsus e mentibus voluit,
 moment acetum militibus potum fuisse,
 et hinc non mirum esse, tantam eius
 copiam Poenis suppetisse. Sed hae
 merae nugae sunt: quippe *sava pri-*
mitiva aceto vix tam facile cessissent,

neque nodus tali vindice dignus est,
 quippe viam lapsam mille pedes *in*
longitudinem humanus labor, nullis
 aceti et ignis adiumentis, instaurare
 potuisset.

7 *Molliuntque anfractibus modicis*
clivos] Non rectas ducunt vias, sed
 per modicos anfractus inflexas, ita
 ut mollior descensus per clivos fieret.
 CREV.

8 *Data triduo*] Polybius contra hoc
 tempus non in exercitu quiete refi-
 ciendo, sed in locos campestris dedu-
 cendo, consumptum scribit.

9 *Etiam locis*] *Et iam*, Bekker.

1 *Ut quidam auctores sunt*] cf. Pol.
 iii. 56. *Quinto decimo die*, ceterum
 Livio ipso auctore, dies decimus no-
 nus iam agebatur, quippe *nono die* in
 ingum Alpium perventum est, tum
biduum in ingo stativa habita, postea
quadriduum circa rupem absumptum,
 denique quies fessis data *triduo*: in-
 de, scilicet die decimo nono, ad pla-
 num descensum est. cf. Cramer. de
 Hannib. transitu p. 145.

U. C. 534. fuisse scribunt; qui minimum, viginti millia peditum, sex²
 A. C. 218. equitum. L. Cincius Alimentus, qui captum se ab Hanni-³
 bale scribit, maxime auctor me moveret, nisi confunderet
 numerum, Gallis Liguribusque additis: cum his octoginta
 millia peditum, decem equitum, adducta in Italiam: (magis⁴
 affluxisse verisimile est, et ita quidam auctores sunt) ex ipso
 autem audisse Hannibale, postquam Rhodanum transierit,
 triginta sex millia hominum, ingentemque numerum equo-
 rum et aliorum iumentorum amisisse, Taurinis, quae Gallis
 proxima gens erat, in Italiam degressum. Id quum inter⁵
 omnes constet, eo magis miror ambigi, quamam Alpes trans-
 ierit: et vulgo credere, Penino, atque inde nomen ei iugo⁶
 Alpium inditum, transgressum. Coelius per Cremonis⁷
 iugum dicit transisse: qui ambo saltus eum non in Tauri-⁸
 nos, sed per Salassos montanos ad Libuos Gallos deduxis-
 sent. Nec verisimile est, ea tum ad Galliam patuisse⁹
 itinera; utique, quae ad Peninum ferunt, obsaepta gentibus
 semigermanis fuissent. Neque, hercule, montibus his (si
 quem forte id movet) ab transitu Poenorum ullo Veragri,
 incolae iugi eius, norunt nomen inditum; sed ab eo,¹
 quem, in summo sacratum vertice, Peninum montani appel-
 lant.

39. Peroportune ad principia rerum Taurinis, proximae
 genti, adversus Insubres motum bellum erat. Sed armare

² *Qui minimum, viginti millia peditum, sex equitum*] Ita memorat Polybius, qui quidem sese id didicisse testatur ex aerea tabula Lacinii ab ipso Hannibale inscripta et incisa. CREV.

³ *L. Cincius Alimentus*] Qui diligens monumentorum auctor vocatur supr. vii. 3, Fabii Pictoris aequalis.

⁴ *Magis affluxisse*] Potius affluxisse, quam adducta esse. RASCHIG.

⁵ *Quum inter omnes constet*] Quoniam modo? quum Polybius iii. 56. diserte ait Hannibalem in Insubres descendisse; a quo minime discrepat Caelius, Libuis enim Insubres olim iugum imposuisse Ptolemaeus p. 64. affirmat.

⁶ *Vulgo credere*] Ita Plin. H. N. iii. 17.

⁷ *Coelius*] L. Coelius Antipater, scriptor non mediocris apud antiquos famae: qui ex ieiunitate veterum et serpente humi simplicitate primus *paullulum se erexit, et addidit historiae maiorem sonum vocis*, ut ait Cicero de Or. ii. 54. *L. Crassi*, insignis illius oratoris, *familiaris*, imo et ma-

gister, teste eodem Cic. ibid. et in Bruto, 102. Hinc satis cognoscitur quo tempore vixerit; Gracchanis nimirum temporibus, ut clare docet Val. Max. i. 7. et sat diu etiam post Gracchos. Scripserat historiam belli huius Hannibalei, ut colligitur ex hoc et non paucis aliis huius decadis locis, in quibus a Livio testis citatur. CREV.

⁸ *Cremonis iugum*] Glareanus testatur in vetustioribus codicibus legi *centronis iugum*. Sane haud procul a Pennino iugo incolebant Centrones, Gallicus populus; et Centronicarum Alpium mentionem fecit Plinius H. N. xi. 42. CREV.

⁹ *Ea tum ad Galliam*] Augustum Imp. duo itinera per Alpes Graias et Peninas struxisse Strabo iv. p. 318. narrat. Sed eundem auctorem secutus, Cramerius viam per hos montes antea patuisse censet.

¹ *Sed ab eo*] Vocem *Peninum* contra a Celtica voce *Penn*, quae hodie apud Armoricos Galliae populos *vertex* et *caput* dicitur, derivatam fuisse procul dubio est.

2 exercitum Hannibal, ut parti alteri auxilio esset, in re- U. C. 534.
ficiendo maxime sentientem contracta ante mala, non pote- A. C. 218.
rat. Optimū etenim ex labore, copia ex inopia, cultus ex
3 illuvie tabeque, squalida et prope efflerata corpora varie
movebant. Ea P. Cornelio consuli causa fuit, quum Pisas ^{Cornelius}
navibus venisset, exercitu a Manlio Atilioque accepto tirone, ^{Cos. ob-}
et in novis ignominiiis trepido, ad Padum festinandi; ut ^{viam venit.}
eum hoste nondum refecto manum consereret. Sed quum
Placentiam consul venit, iam ex stativis moverat Hannibal;
4 Taurinorumque nam urbem, caput gentis eius, quia vo-
lentes in amicitiam non veniebant, vi expugnarat: iunxis-
setque sibi, non metu solum, sed etiam voluntate, Gallos
accolas Padi; ni eos, circumspectantes defectionis tempus,
subito adventus consulis oppressisset. Et Hannibal movit
ex Taurinis, incertos, quae pars sequenda esset, Gallos
praesentem se secuturos ratus. Iam prope in conspectu
5 erant exercitus, convenerantque duces sicuti inter se non-
dum satis noti, ita iam imbutus uterque quadam admiratione
alterius. Nam Hannibalis et apud Romanos, iam ante Sa-
gunti excidium, celeberrimum nomen erat: et Scipionem
Hannibal eo ipso, quod adversus se dux potissimum lectus
esset, praestantem virum credebat. Et auxerant inter se
opinionem; Scipio, quod, relictus in Gallia, obvius fuerat in
Italiam transgresso Hannibali; Hannibal, et conatu tam
audaci traiciendarum Alpium, et effectū. Occupavit tamen
Scipio Padum traicere, et, ad Ticinum amnem motis castris,
prius, quam educeret in aciem, adhortandorum militum
causa, talem orationem exorsus est:

‘Si eum exercitum, milites, educerem in aciem, quem in 40.
‘Gallia mecum habui, supersedissem loqui apud vos. Quid ^{Cornelius}
‘enim adhortari referret aut eos equites, qui equitatum ^{milites suos}
‘hostium ad Rhodanum flumen egregie vicissent, aut eas ^{adhortatur.}
‘legiones, cum quibus fugientem hunc ipsum hostem secutus,
‘confessionem cedentis ac detrectantis certamen pro victoria
‘habui? Nunc, quia ille exercitus, Hispaniae provinciae
6 scriptus, ibi cum fratre Cn. Scipione meis auspiciis rem

2 *In reficiendo*] Qui contracta in transitu Alpium mala tum maxime sentiebat, quum se reficere conaretur. CREV.

3 *Efflerata*] Propter squalorem, et omissum tanto tempore omnem corporis cultum, aliquid torvi ferique praeferebat. Supr. ii. 23. *Promissa barba et capilli effleraverant speciem oris.* CREV.

4 *Quia volentes in amicitiam non veniebant*] Nempe oppidani. Prius legebatur *quia volentis . . . veniebat.*

Unus e regis codicibus exhibuit nobis eam scripturam quam expressimus. Illam coniectura iam praeceperat Gronovius. CREV.

5 *Convenerantque duces*] Non in colloquium, sed tantum in eandem regionem, ita ut haud multum inter se abessent.

6 *Meis auspiciis*] Quia Cornelio sorte Hispania evenerat provincia, adeoque eius auspiciis res ibi gerebantur. DOER.

U. C. 534. 'gerit, ubi eum gerere senatus populusque Romanus voluit;
 A. C. 218. 'ego, ut consulem ducem adversus Hannibalem ac Poenos
 'haberetis, ipse me huic voluntario certamini obtuli; novo
 'imperator apud novos milites pauca verba facienda sunt.
 'Ne genus belli, neve hostem ignoretis; cum iis est vobis,
 'milites, pugnandum, quos terra marique priore bello
 'vicistis: a quibus stipendium per viginti annos exegistis: a
 'quibus capta belli praemia, Siciliam ac Sardiniam, habetis.
 'Erit igitur in hoc certamine is vobis illisque animus, qui
 'victoribus et victis esse solet. Nec nunc illi, quia audent,
 'sed quia necesse est, pugnaturi sunt: nisi creditis, qui
 'exercitu incolumi pugnam detrectavere, eos, duabus parti-
 'bus peditum equitumque in transitu Alpium amissis, quum
 'plures paene perierint, quam supersunt, plus spei nactos
 'esse. At enim pauci quidem sunt, sed vigentes animis
 'corporibusque, quorum robora ac vires vix sustinere vis
 'ulla possit. Effigies, imo umbrae hominum, fame, frigore,
 'illuvie, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa ru-
 'pesque. Ad haec, praeusti artus, nive rigentes nervi,
 'membra torrida gelu, quassata fractaque arma, claudi ac
 'debiles equi. Cum hoc equite, cum hoc peditate pugnaturi
 'estis: reliquias extremas hostium, non hostes, habebitis.
 'Ac nihil magis vereor, quam ne, vos quum pugnaveritis,
 'Alpes vicisse Hannibalem videantur. Sed ita forsitan de-
 'cuit, cum foederum ruptore duce ac populo deos ipsos, sine
 'ulla humana ope, committere ac profligare bellum: nos,
 'qui secundum deos violati sumus, commissum ac profliga-
 41. 'tum conficere. Non vereor, ne quis me hoc vestri adhor-
 'tandi causa magnifice loqui existimet; ipsum aliter animo
 'affectum esse. Licuit in Hispaniam, provinciam meam,
 'quo iam profectus eram, cum exercitu ire meo: ubi et
 'fratrem consilii participem ac periculi socium haberem, et
 'Hasdrubalem potius, quam Hannibalem, hostem, et
 'minorem haud dubie molem belli. Tamen, quum prae-

8 *Duabus partibus*] Duabus tertiis partibus.

9 *Quum plures paene perierint, quam supersunt*] Suspecta quidem est haec parenthesis Strothio et Doeringio, et quae glossatoris manum prodere videatur. Bauerus quidem nostrum mitigare velle censet, quod forte nimis auxerat: contra Raschig. *paene* non *ferme*, sed *penitus* hic significare suspicatur, quemadmodum apud Planc. in Cic. Ep. x. 23. *non hoc vitio paene sum deceptus*, legitur. cf. Prisc. iii. p. 608.

1 *At enim*] Obiectionem fere sem-

per indicant particulae *at enim*. cf. supr. iv. 4. Rasch.

2 *Profligare*] h. e. Ad exitum ferme adducere, ut Cic. Tusc. v. 6. cf. supr. iii. 50.

3 *Vestri adhortandi causa*] Vide-retur ratio grammaticarum legum postulare vel *vestri adhortandorum*, vel *vos adhortandi*. Sed hanc loquendi formam compluribus ex probatissimo quoque scriptore exemplis tuentur Sanctius in Minerva iii. 8. et auctor Novae Methodi linguae Latinae in observationibus ad Gerundia. CREV.

'terveherer navibus Galliae oram, ad famam huius hostis U. C. 534.
 'in terram egressus, praemisso equitatu, ad Rhodanum movi A. C. 218.
 'castra. Equestri proelio, qua parte copiarum conserendi
 'manum fortuna data est, hostem fudi: peditum agmen,
 'quod in modum fugientium raptim agebatur, quia assequi
 'terra non poteram, regressus ad naves, quanta maxima
 'celeritate potui, tanto maris terrarumque circuitu, in radi-
 'cibus Alpium obviui. Huic timendo hosti utrum,
 'quum declinare certamen, improvisus incidisse videor an
 'occurrere in vestigiis eius? lacessere ac trahere ad decer-
 'nendum? Experiri iuvat, utrum alios repente Cartha-
 'ginienses per viginti annos terra ediderit: an iidem sint,
 'qui ad Aegates pugnauerunt insulas, et quos ab Eryce
 'duodevicenis denariis aestimatos emisistis: et utrum Han-
 'nibal hic sit aemulus itinerum Hericulis, ut ipse fert, an
 'vectigalis stipendiariusque et servus populi Romani a patre
 'relictus: quem nisi Saguntinum scelus agitare, respiceret
 'profecto, si non patriam victam, domum certe, patremque,
 'et foedera Hamilcaris scripta manu: qui, iussus a consule
 'nostro, praesidium deduxit ab Eryce: qui graves impositas
 'victis Carthaginensibus leges frementis inacerensque accepit:
 'qui decedere Sicilia, qui stipendium populo Romano dare
 'pactus est. Itaque vos ego, milites, non eo solum animo,
 'quo adversus alios hostes soletis, pugnare velim; sed cum
 'indignatione quadam atque ira: velut si servos videatis
 'vestros arma repente contra vos ferentes. Licuit ad Ery-
 'cem clausos, ultimo supplicio humanorum, fame interficere:
 'licuit victricem classem in Africam traicere, atque intra
 'paucos dies sine ullo certamine Carthaginem delere.
 'Veniam dedimus precantibus: emisimus ex obsidione:
 'pacem cum victis fecimus: tutelae deinde nostrae duximus,
 'quum Africo bello urgerentur. Pro his impartitis, furiosum
 'iuvenem sequentes, oppugnatam patriam nostram veniunt.
 'Atque utinam pro decore tantum hoc vobis, et non pro
 'salute, esset certamen. Non de possessione Siciliae ac
 'Sardiniae, de quibus quondam agebatur, sed pro Italia
 'vobis est pugnandum: nec est alius ab tergo exercitus,
 'qui, nisi nos vincimus, hosti obsistat; nec Alpes aliae sunt,

4 *Duodevicenis denariis*] De hac re omnino silet Pol. i. 62. sed ap. Zonar. viii. 17. in legibus pacis scriptum esse invenimus, quod Poeni Romanos captivos gratuito dimittere, suos autem a Romanis pretio redimere deberent.

5 *Vectigalis stipendiariusque*] Oratore haec dicta, quippe *stipendium* haud dubie Carthaginensibus imperatum erat, ager vero Carthaginensis

adhuc non *vectigalis* erat, ut qui minime in *provinciae* locum cesserat.

6 *Tutelae ... nostrae*] Ad tutelam nostram pertinere duximus. Haec haud dubie vera sunt, quippe Romani teste Polybio, dum Africo bello urgebantur Carthaginenses, foederis leges observabant, sed sedato illo bello, ipsi invadere Sardiniam. Hanc autem iniuriam noster prudenter reticet.

U. C. 534. 'quas dum superant, comparari nova possint praesidia.
 A. C. 218. 'Hic est obstandum, milites, velut si ante Romana moenia
 'pugnemus. Unusquisque se non corpus suum, sed con-
 'ingem ac liberos parvos armis protegere putet: nec
 'domesticas solum agitet curas, sed identidem hoc animo
 'reputet, nostras nunc intueri manus senatum populumque
 'Romanum: qualis nostra vis virtusque fuerit, talem deinde
 'fortunam illius urbis ac Romani imperii fore.'

42. Haec apud Romanos consul. Hannibal, rebus prius,⁷
 quam verbis, adhortandos milites ratus, circumdato ad spe-
 ctaculum exercitu, captivos montanos vinetos in medio
 statuit; armisque Gallicis ante eorum pedes proiectis, inter-
 rogare interpretem iussit, ecquis, si vinculis levaretur, arma-
 que et equum victor acciperet, decertare ferro vellet? Quum
 ad unum omnes ferrum pugnamque poscerent, et deiecta s
 in id sors esset, se quisque eum optabat, quem fortuna in id
 certamen legeret. Ut cuiusque sors exciderat, alacer, inter
 gratulantes gaudio exsultans, cum sui moris tripudiis arma
 raptim capiebat. Ubi vero dimicarent, is habitus animorum 9
 non inter eiusdem modo conditionis homines erat, sed etiam
 inter spectantes vulgo, ut non vincentium magis, quam
 bene morientium, fortuna laudaretur.

43. Quum sic aliquot spectatis paribus affectos dimisisset,¹
 Eius oratio. concione inde advocata, ita apud eos locutus fertur: 'Si,
 'quem animum in alienae sortis exemplo paullo ante
 'habuistis, eundem mox in aestimanda fortuna vestra
 'habueritis, vicinus, milites: neque enim spectaculum modo
 'illud, sed quaedam veluti imago vestrae conditionis erat.
 'Ac nescio, an maiora vincula maioresque necessitates vobis,
 'quam captivis vestris, fortuna circumdederit. Dextra
 'laevaue duo maria claudunt, nullam, ne ad effugium qui-
 'dem, navem habentibus: contra Padus amnis, maior Padus 2
 'ac violentior Rhodano; ab tergo Alpes urgent, vix integris
 'vobis ac vigentibus transitae. Hic vincendum aut morien-
 'dum, milites, est, ubi primum hosti occurristis. Et eadem
 'fortuna, quae necessitatem pugnandi imposuit, praemia
 'vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines ne

⁷ *Rebus prius*] Exemplo scilicet fortitudinis ante militum oculos edito. DOER. cf. Pol. iii. 62.

⁸ *Deiecta . . . sors*] In urnam seu sitellam coniecta, qua versata excidebant tabellae sortibus inscriptae.

⁹ *Is habitus animorum*] Ita affecti sunt animi non modo Gallorum, eiusdem scilicet conditionis, sed etiam Poenorum. Huuc morem captivos per paria certamine componendi apud

Poenos usitatum fuisse docet Casaub. ad Suet. Aug. 13. RUP.

¹ *Quum sic aliquot spectatis paribus*] Contra Pol. iii. 62. duos tantum dimicasse, quorum alterum periisse, alterum superstitem fuisse scribit.

² *Contra Padus amnis*] In pluribus codd. circa occurrit, sed *contra*, quod I. Gronovius reposuit, tantum non omnes editores malunt.

' ab diis quidem immortalibus optare solent. Si Siciliam ^{U. C. 534.}
 ' tantum ac Sardiniam, parentibus nostris ereptas, nostra ^{A. C. 218.}
 ' virtute recuperaturi essemus, satis tamen ampla pretia
 ' essent. Quicquid Romani tot triumphis partum conges-
 ' tumque possident, id omne vestrum cum ipsis dominis
 ' futurum est. In hanc tam opimam mercedem, agite, cum
 ' diis bene iuvantibus arma capite. Satis adhuc in vastis
 ' Lusitaniae Celtiberiaeque montibus, pecora consecrando,
 ' nullum emolumentum tot laborum periculorumque vestro-
 ' rum vidistis: tempus est iam, opulenta vos ac ditia stipen-
 ' dia facere, et magna operae pretia mereri, tantum itineris
 ' per tot montes fluminaque et tot armatas gentes emensos.
 ' Hic vobis terminum laborum fortuna dedit: hic dignam
 ' mercedem, emeritis stipendiis, dabit. Nec, quam magni
 ' nominis bellum est, tam difficilem existimaveritis victoriam
 ' fore. Saepe et contemptus hostis cruentum certamen
 ' edidit, et incluti populi regesque perlevi momento victi
 ' sunt. Nam, dempto hoc uno fulgore nominis Romani,
 ' quid est, cur illi vobis comparandi sint? Ut viginti anno-
 ' rum militiam vestram cum illa virtute, cum illa fortuna
 3 ' taceam; ab Herculis columnis, ab Oceano terminisque
 ' ultimis terrarum, per tot ferocissimos Hispaniae et Galliae
 ' populos vincentes huc pervenistis: pugnabitis cum exer-
 ' citu tirone, hac ipsa aestate caeso, victo, circumsessio a
 ' Gallis, ignoto adhuc duci suo, ignorantique ducem. An
 ' me, in praetorio patris, clarissimi imperatoris, prope
 ' natum, certe eductum, domitorem Hispaniae Galliaeque,
 ' victorem eundem non Alpinarum modo gentium, sed ipsa-
 ' rum, quod multo maius est, Alpium, cum semestri hoc
 4 ' conferam duce, desertore exercitus sui? Cui si quis,
 ' demptis signis, Poenos Romanosque hodie ostendat, igno-
 ' raturum certum habeo, utrius exercitus sit consul. Non
 ' ego illud parvi aestimo, milites, quod nemo vestrum est,
 ' cuius non ante oculos ipse saepe militare aliquod ediderim
 ' facinus; cui non idem ego, virtutis spectator ac testis,
 ' notata temporibus locisque referre sua possim decora.
 ' Cum laudatis a me millicies donatisque, alumnus prius om-
 ' nium vestrum, quam imperator, procedam acie adversus
 ' ignotos inter se ignorantesque. Quocunque circumtuli
 44.
 ' oculos, plena omnia video animorum ac roboris; veteranum
 5 ' peditem, generosissimarum gentium equites frenatos et
 ' infrenatos, vos socios fidelissimos fortissimosque, vos Car-

3 *Ab Herculis columnis*] Hae quidem duo montes erant, quorum alter in Hispania *Calpe*, alter in Africa *Abyle* dictus est, *hodie Gibraltar* et *Ceuta*.

4 *Desertore exercitus sui*] Invidiose

de Scipione, qui maximam exercitus sui partem in Hispaniam miserat. *supr. c. 32.*

5 *Equites frenatos et infrenatos*] Numidae, qui plurimi in equitatu

U. C. 534. 'thaginienses, quum ob patriam, tum ob iram iustissimam,
 A. C. 218. 'pugnatu-ros. Inferimus bellum, infestisque signis descen-
 'dimus in Italiam, tanto audacius fortiusque pugnaturi,
 'quanto maior spes, maior est animus inferentis vim, quam
 'arcentis. Accendit praeterea animos et stimulat dolor,
 'iniuria, indignitas. Ad supplicium depoposcerunt me
 'ducem primum, deinde vos omnes, qui Saguntum oppug-
 'nassetis: deditos ultimis cruciatibus affecturi fuerunt.
 'Crudelissima ac superbissima gens sua omnia suique arbitrii
 'facit. Cum quibus bellum, cum quibus pacem habeamus,
 'se modum imponere aequum censet: circumscribit inclu- 6
 'ditque nos terminis montium fluminumque, quos ne exce-
 'damus: neque eos, quos statuit, terminos observat. Ne
 'transieris Iberum: ne quid rei tibi sit cum Saguntinis. Ad
 'Iberum est Saguntum: nusquam te vestigio moveris. Pa-
 'rum est, quod veterrimas provincias meas Siciliam et Sar-
 'diniam adimis: etiam Hispanias? et inde cessero, in Africam 7
 'transcendes. Transcendes autem, dico? Duos consules
 'huius anni, unum in Africam, alterum in Hispaniam mise-
 'runt. Nihil usquam nobis relictum est, nisi quod armis
 'vindicaremus. Illis timidiset ignavis licet esse, qui respectum 8
 'habent, quos suus ager, sua terra, per tuta ac pacata itinera
 'fugientes, accipient: vobis necesse est fortibus viris esse,
 'et, omnibus inter victoriam mortemve certa desperatione 9
 'abruptis, aut vincere, aut, si fortuna dubitabit, in proelio
 'potius, quam in fuga, mortem oppetere. Si hoc bene
 'fixum omnibus destinatumque in animo est, iterum dicam,
 'vicistis: nullum momentum ad vincendum homini ab diis 1
 'immortalibus acrius datum est.'

Hannibalis erant, equis infrenatis utebantur. Hinc apud Virgilium, *Nu-
 midae infreni*.

6 *Circumscribit includitque nos terminis*] Sequitur dialogus oratoricus, in quo Romanus dicit *ne transieris* — *Saguntinis*, et *nusquam te vestigio moveris*; quibus respondet Poenus, *ad Iberum est Saguntum*: quorum sensus est: Neque transeo Iberum, foedus servans; sed, quod ex foedere meum est, occupo. Quum Iberus sit finis nostri imperii, in nostra parte est Saguntum: namque *ad i. e. cis Iberum est Saguntum*. Prudenti autem consilio dixit Livius *ad Iberum*, quum neque *cis Iberum* neque *trans I.* sine ambiguitate dicere posset. Namque *cis I.* neque Romanus, neque Hannibal, iam Alpes transgressus, dicere poterat: et *trans I.* adversari visum esset verbis foederis *ne transi-*

eris Iberum. Neque contradictionem in foedere tam manifestam aperuisset, quam oculis subiicere vult Hannibal: *ne transieris Iberum* . . . *ne quid rei tibi sit cum Saguntinis*, non transgresso Iberum. STROTII.

7 *Inde cessero*] Si inde cessero. Supprimeretur particula *si* ad maiorem vim. CREV.

8 *Qui respectum habent*] Qui habent quo respiciant, quum illis a tergo sit Roma et Italia. CREV.

9 *Omnibus inter victoriam mortemve certa desperatione abruptis*] Quum inter victoriam mortemve nihil sit vobis medium, sed omnia certa desperatione, velut profunda quadam voragine, abrupta. CREV.

1 *Nullum momentum*] Hoc loco omnes mss. vitiiati sunt. Optimi habent loco ultimae vocis *contemptum*: nec abludunt ceteri. Inde Gronovius

His adhortationibus quum utrimque ad certamen accensi militum animi essent, Romani ponte Ticinum iungunt, tandemque pontis causa castellum insuper imponunt. Poenus, opere occupatis hostibus, Maharbalem cum ala Numidarum, equitibus quingentis, ad depopulandos sociorum populi Romani agros mittit. Gallis parci quam maxime iubet, principumque animos sollicitari ad defectionem. Ponte perfecto, traductus Romanus exercitus in agrum Insubrium, quinque millia passuum a Victumulis consedit. Ibi Hannibal castra habebat: revocatoque propere Maharbale atque equitibus, quum instare certamen cerneret, nihil unquam satis dictum praemonitumque ad cohortandos milites ratus, vocatis ad concionem certa praemia pronuntiat, in quorum spem pugnarent. ‘Agrum sese daturum esse in Italia, Africa, Hispania, ubi quisque velit, immumem ipsi, qui accepisset, liberisque; qui pecuniam, quam agrum, maluisset, ei se argento satisfacturum: qui sociorum cives Carthaginienses fieri vellent, potestatem facturum: qui domos redire mallent, daturum se operam, ne cuius suorum popularium mutata secum fortunam esse vellent.’ Servis quoque dominos prosecutis libertatem proponit, binaque pro his mancipia dominis se rediditurum. Eaque ut rata scirent fore, agnum laeva manu, dextra silicem retinens, si falleret, Iovem ceterosque precatus deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset, secundum precationem caput pecudis saxo elisit. Tum vero omnes, velut diis auctoribus in spem suam quisque acceptis, id morae, quod nondum pugnarent, ad potianda sperata rati, proelium uno animo et voce una poseunt.

Apud Romanos haudquaquam tanta alacritas erat, super cetera recentibus etiam territos prodigiis. Nam et lupus intraverat castra, laniatisque obviis ipse intactus exarserat;

Praemia
suis pron-
nunciat
Hannibal.

Prodigia in
castris Ro-
manis.

finxit *momentum*, quod verissimum putavit, atque adeo non dubitavit in textum immittere. Prius editi ex Vallae coniectura habebant *incitamentum*, quod aptius congruit cum adiectivo *acrius*. Iac. Gronovius propius insistens ipsis apicibus literarum scriptae lectionis suspicatur *nullum eo letum*. CREV.

2 *A Victumulis*] *Vico tumulis* MSS. omnes et edd. vetustiores. Unde postea Rubenius effecit *Victumviliis* quod recentiores edd. receperunt. *Victumviae* infr. c. 57. occurrunt, sed alium locum ibi intelligi censet Stroth. qui *Victumulis* hic reponit. *Ictumuli* sive *Victumuli* ap. Strabon.

v. p. 218. et Plin. H. N. xxxiii. 4. memoratur, oppidum haud procul Placentia. cf. Pol. iii. 66. qui Publum castra prope Placentiam posuisse narrat.

3 *Saxo elisit*] cf. Supr. i. 24. ix. 5.

4 *In spem suam quisque acceptis*] Insolita constructio τοῦ quisque pro cuique. Noster in animo habuit, *velut si deos auctores in spem suam quisque acceperat*.

5 *Id morae*] Id tantum sibi esse morae rati, quominus speratis potirentur, quod nondum pugnarent; atque adeo sese, statim atque pugnare daretur, compotes votorum fore. CREV.

U. C. 534. et examen apum in arbore praetorio imminente consederat.
 A. C. 218. Quibus procuratis, Scipio, cum equitatu iaculatoribusque expeditis profectus ad castra hostium, exque propinquo co-⁶pias, quantae, et cuius generis essent, speculandas, obvius fit Hannibali, et ipsi cum equitibus ad exploranda circa loca progresso. Neutri alteros primo cernebant: densior deinde incessu tot hominum equorumque oriens pulvis signum propinquantium hostium fuit. Constitit utrumque agmen, et proelio sese expediebant. Scipio iaculatores et Gallos equites in fronte locat; Romanos, sociorumque quod roboris fuit, in subsidiis. Hannibal frenatos equites in medium accipit, cornua Numidis firmat. Vixdum clamore sublato, iaculatores fugerunt inter subsidia. Ad secundam aciem inde equitum certamen erat aliquamdiu anceps: dein, quia turbabant equos pedites intermixti, multis labentibus ex equis, aut desilientibus, ubi suos premi circumventos vidissent, iam magna ex parte ad pedes pugna venerat: donec Numidae, qui in cornibus erant, circumvecti paululum, ab tergo se ostenderunt. Is pavor pereulit Romanos, auxitque pavorem consulis vulnus, periculumque intercurso tum primum pubescentis filii propulsatum. Hic⁷ erit iuvenis, penes quem perfecti huiusce belli laus est, Africanus ob egregiam victoriam de Hannibale Poenisque appellatus. Fuga tamen effusa iaculatorum maxime fuit, quos primos Numidae invaserunt. Alius confertus equitatus consulem in medium acceptum, non armis modo, sed etiam corporibus suis, protegens, in castra, nusquam trepide neque effuse cedendo, reduxit. Servati consulis decens Coelius ad servum natione Ligurem delegat. Malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores, et fama obtinuit.⁸

47. Hoc primum cum Hannibale proelium fuit; quo facile apparuit, et equitatu meliorem Poenum esse, et ob id campos patentes, quales sunt inter Padum Alpesque, bello gerendo Romanis aptos non esse. Itaque proxima nocte, iussis militibus vasa silentio colligere, castra ab Ticino mota, festinatumque ad Padum est; ut ratibus, quibus iunxerat flumen, nondum resolutis, sine tumultu atque insectatione hostis, copias traiceret. Prius Placentiam pervenere,

Ultra Padum recedunt Romani.

6 *Exque propinquo*] Ita Valla emendavit pro *ex quo propinquo*, quod edd. fere omnes habent. *Ex propinquo copias* Stroth. *Ex propinquo, copiasque* cum Gronov. legendum censet Crev.

7 *Hic erit iuvenis*] Ita optimi mss. pro vulg. *erat*, probb. Gron.

Drak. et Stroth. tanquam vividius et praesentius, quia sit futura pars narrationis, etsi rei gestae praeteritae, ut ap. Flor. ii. 6. *Hic erit Scipio, qui in exitum Africae crescit.* Cf. supr. vii. 1. et Ovid. Fast. ii. 386. Rur.

8 *Fama obtinuit*] Intellige casum sextum, Rascu.

9 quam satis sciret Hannibal ab Ticino profectos: tamen ad U. C. 534.
 sexcentos moratorum in ceteriore ripa, segniter ratem sol- A. C. 218.
 1 ventes, cepit. Transire non potuit pontem, ut extrema
 resoluta erant, tota rate in secundam aquam labente. Coe-
 lius auctor est, Magonem cum equitatu et Hispanis pediti-
 bus flumen extemplo transisse; ipsum Hannibalem per
 superiora Padi vada exercitum traduxisse, elephantis in or-
 dinem ad sustinendum impetum fluminis oppositis. Ea
 peritis annis eius vix fidem fecerint. Nam neque equites,
 armis equisque salvis, tantam vim fluminis superasse veri-
 2 simile est, ut iam Hispanos omnes inflati transvexerint
 3 utres: et multorum dierum circuitu Padi vada petenda
 fuerant, qua exercitus gravis impedimentis traduci posset.
 Potiores apud me auctores sunt, qui biduo vix locum rate
 iungendo flumini inventum tradunt; ea cum Magone equi-
 tes Hispanorum expeditos praemissos. Dum Hannibal, Sequitur
 circa flumen legationibus Gallorum audiendis moratus, tra- cos Han-
 hiecit gravius peditum agmen, interim Mago equitesque ab nibal.
 transitu fluminis diei unius itinere Placentiam ad hostes
 contendunt. Hannibal paucis post diebus sex millia a Pla-
 centia castra communivit, et postero die, in conspectu hos-
 tium acie directa, potestatem pugnae fecit.

Insequenti nocte caedes in castris Romanis, tumultu ta- 48.
 men quam re maior, ab auxiliariis Gallis facta est. Ad Galli 2200
 duo millia peditum et ducenti equites, vigilibus ad portas transfugi-
 trucidatis, ad Hannibalem transfugiunt: quos Poenus be- unt ad
 nigne allocutus, et spe ingentium donorum accensos, in Hanniba-
 civitates quinquae suas, ad sollicitandos popularium animos lem.
 dimisit. Scipio, caedem eam signum defectionis omnium
 Gallorum esse ratus, contactosque eo scelere, velut iniecta
 rabie, ad arma ituros: quanquam gravis adhuc vulnere Scipio ad
 erat, tamen quarta vigilia noctis insequentis tacito agmine Trebiam
 4 profectus ad Trebiam fluvium, in loca altiora collesque im- recedit.
 peditiores equiti castra movet. Minus, quam ad Ticinum,
 fefellit: missisque Hannibal primum Numidis, deinde om-
 ni equitatu, turbasset utique novissimum agmen, ni avidi-

9 *Ad sexcentos moratorum*] Numerum apposuit e Polybio Gronovius. Vulgati praeferebant *aliquot*: scripti *adhaec*. Nimirum Livius scripserat *ad DC*. CREV.

1 *Ut extrema*] Toto illo ponte, qui e ratibus iunctus erat, labente secundum cursum fluminis, simul atque extrema resoluta fuere. CREV.

2 *Ut iam Hispanos omnes*] Etiam si id quoque ponatur, credatur, Hispanos ope utrius inflatorum annum transisse. Vox *omnes* vacare videtur, et

mutanda esse in *pedites*, vel omnino ableganda. CREV.

3 *Petenda fuerant*] *Fuerint* reputavit Crev. quod Bekker. in textum recepit, sed minime opus est, quippe, ut verbis Ruhkenii utar, "Centies grammatici docuerunt, plusquam perfecti indicativum modum pro eiusdem subiunctivo poni." cf. inffr. xli. 24.

4 *Collesque impeditiores*] Hoc ex coniectura Vallae in omnes deinceps edd. venit. *Lucosque* vel *locosque* codices exhibent. cf. Pol. iii. 67.

U. C. 534.
A. C. 218.

tate praedae in vacua Romana castra Numidae devertissent. Ibi dum, perscrutantes loca omnia castrorum, nullo satis digno morae pretio tempus terunt, emissus hostis de manibus est: et quum iam transgressos Trebiam Romanos, metantesque castra conspexissent, paucos moratorum occiderunt, citra flumen interceptos. Scipio, nec vexationem vulneris in via iactati ultra patiens, et collegam (iam enim 5 et revocatum ex Sicilia audierat) ratus expectandum, locum, qui prope flumen tutissimus stativis est visus, delectum communit. Nec procul inde Hannibal quum conse- 6 disset, quantum victoria equestri elatus, tantum anxius inopia, quae per hostium agros euntem, nusquam praeparatis commeatibus, maior in dies excipiebat, ad Clastidium vicum, quo magnum frumenti numerum congesserant Romani, mittit. Ibi quum vim pararent, spes facta prodictionis: nec sane magno pretio, nummis aureis quadringen- 7 tis, Dasio Brundisino praefecto praesidii corrupto, traditur Hannibali Clastidium. Id horreum fuit Poenis sedentibus ad Trebiam. In captivos ex tradito praesidio, ut fama clementiae in principio rerum colligeretur, nihil saevitum est.

Clastidium
Poenis pro-
ditum.

49.

Res circa
Siciliam
terra mari-
que gestae.

Quum ad Trebiam terrestre constitisset bellum, interim circa Siciliam insulasque Italiae imminentes, et a Sempronio consule, et ante adventum eius, terra marique res gestae. Viginti quinquereemes cum mille armatis ad depopulandam oram Italiae a Carthaginensibus missae, novem Liparas, octo insulam Vulcani tenuerunt, tres in fretum s avertit aestus. Ad eas conspectas a Messana duodecim naves ab Hierone rege Syracusanorum missae, qui tum forte Messanae erat, consulem Romanum opperiens, nullo repugnante captas naves Messanam in portum deduxerunt. Cognitum ex captivis, praeter viginti naves, cuius ipsi clas- sis essent, in Italiam missas, quinque et triginta alias quinquereemes Siciliam petere ad sollicitandos veteres socios. Lilybaei occupandi praecipuam curam esse: credere eadem

5 *Vulneris in via iactati*] *Iactantis* vel *iactanti* codices habent. *Iactati* ex emendatione N. Heinsii provenit, cui Bekker, se addidit. cf. infr. xxx. 19, ubi de *iactatione vulneris in via* noster loquitur.

6 *Nec procul inde Hannibal quum consedisset*] Intervallo quinque mill. pass. et Trebia fluvio inter utraque castra interiecto, cf. Polyb. iii. 68, qui et *inopiam* eius a Gallis sublevatam dicit. Rup.

7 *Nummis aureis*] Sed *nummus aureus* adhuc Romae non signatus

erat, neque ante an. U. C. 547, si Plinio fides danda sit, H. N. xxxiii.

3. Haud dubie noster proleptice loquitur, et stateras sive didrachmas aureas innuit, quemadmodum voce *denariis* supr. viii. 11, pro drachmis utitur.

8 *Insulam Vulcani tenuerunt*] cf. Infr. xxviii. 18, xxx. 24. Ceterum praepos. *ad* nonnunquam cum voce *tenere* occurrit ut supr. i. 1. *ad Laurentem agrum tenuisse*, quam lectionem Kreyssig. et Rupert. receperunt, Crev. tamen et Bekker. repudiarunt.

tempestate, qua ipsi disiecti forent, eam quoque classem U. C. 534. A. C. 218. ad Aegates insulas deiectam. Haec sicut audita erant, rex M. Aemilio praetori, cuius Sicilia erat provincia, perscribit, 9 monetque, Lilybaeum firmo teneret praesidio. Extemplo et circa a praetore ad civitates missi legati tribumque, qui 1 suos ad curam custodiae intenderent; ante omnia Lily- 2 baeum teneri: ad apparatusum belli, edicto proposito, ut socii 3 nares decem dierum cocta cibaria ad naves deferrent; ubi signum datum esset, ne quis moram conscendendi fa- 4 ceret: perque omnem oram, qui ex speculis prospicerent adventantem hostium classem. Simul itaque, quanquam de industria morati cursum navium erant Carthaginienses, ut ante lucem accederent Lilybaeum, praesensum tamen est, quia et luna pernox erat, et sublati armamentis venie- bant; extemplo datum e speculis signum, et in oppido ad arma conclamatum est, et in naves conscensum: pars mili- tum in muris portarumque in stationibus, pars in navibus erant. Et Carthaginienses, quia rem fore haud cum im- paratis cernebant, usque ad lucem portu se abstinerunt, 4 demendis armamentis eo tempore aptandaque ad pugnam classe absumpto. Ubi illuxit, recipere classem in altum, ut spatium pugnae esset, exitumque liberum e portu naves hostium haberent. Nec Romani detrectavere pugnam, et 5 memoria circa ea ipsa loca gestarum rerum freti, et mili- tum multitudine ac virtute. Ubi in altum evecti sunt, Ro- manus conserere pugnam, et ex propinquo vires conferre

50.

Pugna na-
valis ad
Lilybaeum.

9 *Extemplo et circa a praetore*] Ex ms. Flor. [repositi cum Str. prob. Drak. Vulgo *circa praetorem*, i. e. circa eum locum, ubi praetor erat. Gronov. iungebat *legati circa praetorem*, h. e. qui circa illum erant, eumque honoris causa assectabantur relictis praesidiis suis. cf. Intpp. Suet. Caes. 27. Vulgo tamen ita dici *qui circa aliquem sunt*, ut *οἱ περὶ τὸν Πλάτωνα*, monet Drak. Rur.

1 *Ante omnia Lilybaeum teneri: ad apparatusum belli*] Primo supple ex sensu, *iussit praetor*. Deinde, quum uno tenore legeretur *teneri ad apparatusum belli*, mutavimus distinctionem, et *τὸ ad* intelligimus *praeter*: ut sensus sit, praeter apparatusum belli collatum iam, aut etiam conferendum in urbem Lilybaeum, puta arma, tela, frumentum, etc. propositum fuisse edictum praetoris, quo socii navales iuberentur decem dierum cocta cibaria ad naves deferre. *Ad* non raro sumitur apud Livium eo sensu quem volumus, ut infr. xxvi. 5. *Ad alium vi- rorum, equorum, armorumque sonum*.

CREV.

2 *Socii navales*] i. e. Non solum remiges sive nautae, sed etiam ipsi milites, quorum proprium munus erat tueri naves, hisque praesidio esse. Pol. vi. 19. docet cives, qui minus quattuor millia aeris in censum deferebant, ad nauticos usus reservari solitos esse, sed, casu graviore urgente, pedibus aliquando meruisse. Socii navales libertini quoque ordinis ex civibus Romanis haud raro scribebantur, infr. xlii. 27; necnon socii maritimi Italiae tertiam partem nonnunquam explebant. ibid. 31.

3 *Perque omnem oram, qui*] *Qui erant*, plures edd. Gronov. *uti* repoen- dum suadet, sed *qui* hic idem quod *quidam* valet.

4 *Demendis armamentis*] Instru- mentis navium, h. e. antennis, velis, malisque.

5 *Circa ea ipsa loca*] Aegates insulae, ad quas celebris illa pugna pugnata est, qua victi Carthaginienses pacem petiere, non longe absunt a Lilybaeo. CREV.

U. C. 534.
A. C. 218.

Victi
Poeni.

velle: contra eludere Poenus, et arte, non vi, rem gerere, naviumque, quam virorum aut armorum, malle certamen facere. Nam ut sociis navalibus affatim instructam classem, ita inopem milite habebant: et, sicubi conserta navis esset, haudquaquam par numerus armatorum ex ea pugnabat. Quod ubi animadversum est, et Romanis multitudo sua auxit animum, et paucitas illis minuit. Extemplo septem naves Punicæ circumventæ; fugam ceteræ ceperunt. Mille et septingenti fuere in navibus capti, milites nautæque; in his tres nobiles Carthaginensium. Classis Romana incolumis, una tantum perforata navi, sed ea quoque ipsa reduce, in portum rediit.

Secundum hanc pugnam, nondum gnaris eius, qui Messanae erant, Ti. Sempronius consul Messanam venit. Ei 7 fretum intranti rex Hiero classem ornatam obviam duxit: transgressusque ex regia in praetoriam navem, gratulatus sospitem cum exercitu et navibus advenisse, precatusque prosperum ac felicem in Siciliam transitum; statum deinde insulae et Carthaginensium conata exposuit: pollicitusque est, quo animo priore bello populum Romanum juvenis adjuvisset, eo senem adiuturum. Frumentum vestimenta que sese legionibus consulis sociisque navalibus gratis praebiturum. Grande periculum Lilybaeo maritimisque civitatibus esse, et quibusdam volentibus novas res fore. Ob haec 8 consuli nihil cunctandum visum, quin Lilybaeum classe peteret: et rex regiaeque classis una profecti. Navigantes inde, pugnatum ad Lilybaeum fusasque et captas hostium naves, accepere. A Lilybaeo consul, Hierone cum classe regia dimisso, relictoque praetore ad tuendam Siciliae oram, ipse in insulam Melitam, quae a Carthaginensibus tenebatur, traiecit. Advenienti Hamilcar Gisgonis filius praefectus praesidii, cum paullo minus duobus millibus militum, oppidumque cum insula traditur: inde post paucos dies reditum Lilybaeum, captivique et a consule et a praetore, praeter insignes nobilitate viros, sub corona venierunt. Postquam ab ea parte satis tutam Siciliam censebat consul, ad insulas Vulcani, quia fama erat stare ibi Punicam classem, traiecit: nec quisquam hostium circa eas insulas inventus. Iam forte transmiserant ad vastandam Italiae oram: depopulatoque Vibonensi agro, urbem etiam terre- 9

51.
Sempronius Melitam capit.

6 *Nondum gnaris eius*] Pugnae nimirum ad Lilybaeum. GROX.

7 *Ei fretum intranti*] Sic legendum esse iamdiu monuit Sigonius; cui assentiuntur nostri codices, et in primis Put. Vulgo *et fretum*. CREV.

8 *Quibusdam volentibus*] Graeco more loquendi, quemadmodum ἀσμένω

δέ σοι, Aesch. Prom. 23.

9 *Vibonensi agro*] Parte agri Bruttiorum, cuius urbs olim dicta *Hippo* vel potius Ἰππώνιον, postea *Vibo* s. *Vibon*, et *Vibona Valentia*, hodie *Monte Leone* et *Bivona*; unde *Valentini* et *Vibonenses* dicti. infr. xxxv. 40. RUF.

bant. Repetenti Siciliam consuli exscensio hostium in agrum Vibonensem facta nuntiatur: literaeque ab senatu de transitu in Italianam Hannibalis, et, ut primo quoque tempore collegae ferret auxilium, missae traduntur. Multis simul anxius curis, exercitum, extemplo in naves impositum, Ariminum supero mari misit: Sex. Pomponio legato cum viginti quinque longis navibus Vibonensem agrum maritimamque oram Italiae tuendam attribuit: M. Aemilio praetori quinquaginta navium classem explevit: ipse, compositis Siciliae rebus, decem navibus oram Italiae legens, Ariminum pervenit: inde cum exercitu suo profectus ad Trebiam flumen, collegae coniungitur.

U. C. 534.
A. C. 218.
Revocatur
in Italiani.

Ad colle-
gum venit.

Iam ambo consules, et quicquid Romanarum virium erat, Hannibali oppositum, aut illis copiis defendi posse Romanum imperium, aut spem nullam aliam esse, satis declarabat. Tamen consul alter, equestri proelio uno et vulnere suo minutus, trahi rem malebat: recentis animi alter, eoque ferocior, nullam dilationem patiebatur. Quod inter Trebiam Padumque agri est, Galli tum incolebant; in duorum praepotentium populorum certamine, per ambiguum favorem, haud dubie gratiam victoris spectantes. Id Romani, ne quid modo moverent, aequo satis, Poenus periniquo animo ferebat, ab Gallis accitum se venisse ad liberandos eos, dictitans. Ob eam iram, simul ut praeda militem aleret, duo millia peditum et mille equites, Numidas plerosque, mixtos quosdam et Gallos, populari omnem deinceps agrum usque ad Padi ripas iussit. Egentes ope Galli, quum ad id dubios servassent animos, coacti ab auctoribus iniuriae ad vindices futuros declinant: legatisque ad consulem missis, auxilium Romanorum terrae, ob nimiam cultorum fidem in Romanos laboranti, orant. Cornelio nec causa, nec tempus agenda rei placebat: suspectaque ei gens erat, quum ob infida multa facinora, tum, ut alia vetustate obsolevisent, ob recentem Boiorum perfidiam. Sempronius contra, continendis in fide sociis maximum vinculum esse primos, qui egnissent ope, defensos, censebat. Tum collega cunctante, equitatum suum, mille peditum iaculatoribus ferme admixtis, ad defendendum Gallicum agrum trans Trebiam mittit. Ii sparsos et incompósitos, ad hoc graves praeda plerosque, quum inopinatos invasissent, ingentem terrorem caedemque ac fugam usque

Proelium
equestre
dubium.

1 *Hannibali oppositum*] h. e. Id, quod oppositum erat, declarabat, quemadmodum supr. 53. *degeneratum*.

2 *Equestri proelio uno et vulnere suo minutus*] Fractus animo et viribus: Vox uno h. l. parum apta. *Victus*

coniecit Str. et una Sigon. Rvp.

3 *Ne quid modo moverent*] i. e. Modo quietem agerent, neque ipsi rebellarent. STROTH.

4 *Ad id dubios*] Ad id tempus, h. e. hactenus.

U. C. 534. ad castra stationesque hostium fecere: unde multitudine
 A. C. 218. effusa pulsi, rursus subsidio suorum proelium restituere.
 Varia inde pugna sequente, quanquam ad extremum ae-⁵
 quassent certamen, maior tamen hostium Romanis fama⁶
 victoriae fuit.

53. Ceterum nemini omnium maior iustiorque, quam ipsi
 Sempro- consuli, videri; gaudio efferri, 'qua parte copiarum alter
 nius pugnae cupido, consul victus foret, ea se vicisse. Restitutos ac refectos
 ' militibus animos: nec quemquam esse, praeter collegam,
 ' qui dilatam dimicationem vellet: eum, animo magis, quam
 ' corpore, aegrum, memoria vulneris aciem ac tela horrere.
 ' Sed non esse cum aegro senescendum. Quid enim ultra
 ' differri aut teri tempus? Quem tertium consulem, quem
 ' alium exercitum expectari? Castra Carthaginiensium
 ' in Italia, ac prope in conspectu urbis esse. Non Siciliam
 ' ac Sardiniam victis ademptas, nec cis Iberum Hispaniam
 ' peti, sed solo patrio terraque, in qua geniti forent, pelli
 ' Romanos. Quantum ingemiscant,' inquit, 'patres nostri,
 ' circa moenia Carthaginis bellare soliti, si videant nos,
 ' progeniem suam, duos consules consularesque exercitus,
 ' in media Italia paventes intra castra; Poenum, quod in-
 ' ter Alpes Apenninumque agri sit, suae ditionis fecisse?'
 Haec assidens aegro collegae, haec in praetorio prope con-
 cionabundus agere. Stimulabat et tempus propinquum co-
 mitiorum, ne in novos consules bellum differretur, et occa-
 sio in se unum vertendae gloriae, dum aeger collega erat.
 Itaque, nequicquam dissentiente Cornelio, parari ad pro-
 pinquum certamen milites iubet. Hannibal, quum, quid
 optimum foret hosti, cerneret, vix ullam spem habebat, te-
 mere atque improvide quicquam consules acturos. Quum
 alterius ingenium, fama prius, deinde re cognitum, perci-
 tum ac ferox sciret esse, ferociusque factum prospero cum
 praedatoribus suis certamine crederet; adesse gerendae rei
 fortunam haud diffidebat. Cuius ne quod praetermitteret
 tempus, sollicitus intentusque erat, dum tiro hostium esset
 miles, dum meliorem ex ducibus inutilem vulnus faceret,
 dum Gallorum animi vigerent: quorum ingentem multitu-
 dinem sciebat segnius secuturam, quanto longius ab domo
 traherentur. Quum ob haec taliaque speraret propinquum
 certamen, et facere, si cessaretur, cuperet; speculatoresque⁷

⁵ *Varia inde pugna sequente*] cf. Pol. iii. 69. *Sequente* pro vulg. *se-quentes* emendavit Iac. Gronov. Ce-terum *varia inde pugna sedentes se-quentesque* reposuit Bekker.

⁶ *Maior tamen hostium*] Hunc locum varii varie tentant. Clericus

non immerito fortasse integrum putat, et exponit hoc modo: maior tamen fama victoriae fuit Romanis, quam fama victoriae hostium: magis pro victoribus vulgo habiti sunt Romani, quam hostes. CREV.

⁷ *Et facere, si cessaretur*] Ipse

Galli, ad ea exploranda, quae vellet, tutiores, quia in utris-
 que castris militabant, paratos pugnae esse Romanos retu-
 lissent; locum insidiis circumspectare Poenus coepit. Erat
 in medio rivus, praecaltis utrinque clausus ripis, et circa
 obsitus palustribus herbis et, quibus inculta ferne vestium-
 tur, virgultis vepribusque. Quem ubi equiti quoque te-
 gendo satis latebrosum locum circumvectus ipse oculis per-
 lustravit: 'Hic erit locus,' Magoni fratri ait, 'quem teneas.
 'Delige centenos viros ex omni peditate atque equite; cum
 'quibus ad me vigilia prima venias. Nunc corpora curare
 'tempus est.' Ita praetorium missum. Mox cum delectis
 Mago aderat. 'Robora virorum cerno,' inquit Hannibal:
 'sed, ut et numero etiam, non animis modo, valeatis, sin-
 'gulis vobis novenos ex turnis manipulisque vestri similes
 'eligite. Mago locum monstrabit, quem insideatis. Hos-
 'tem caecum ad has belli artes habebitis.' Ita mille equi-
 tibus Magoni, mille peditibus dimissis, Hannibal prima luce
 Numidas equites, transgressos Trebiam flumen, obequitare
 iubet hostium portis, iaculandoque in stationes elicere ad
 pugnam hostem: iniecto deinde certamine, cedendo sen-
 sim citra flumen pertrahere. Haec mandata Numidis.
 Ceteris ducibus peditum equitumque praeceptum, ut pran-
 dere omnes iuberent: armatos deinde, iustrisque equis,
 signum exspectare.

U. C. 534.
 A. C. 218.

Locum in-
 sidiis Han-
 nibal cir-
 cumspe-
 ctat.

Numidae
 obequitant
 castris Ro-
 manis.

Sempronius, ad tumultum Numidarum primum omnem
 equitatum, ferox ea parte virium, deinde sex millia peditum,
 postremo omnes copias ad destinatum iam ante consilio,
 avidus certaminis, eduxit. Erat forte brumae tempus et
 nivalis dies in locis Alpibus Apenninoque interiectis, pro-
 pinquitate etiam fluminum ac paludium praegelidis. Ad
 hoc raptim eductis hominibus atque equis, non capto ante
 cibo, non ope ulla ad arcendum frigus adhibita, nihil calor
 inerat: et quicquid aurae fluminis appropinquabant, afflabat
 acrior frigoris vis. Ut vero refugientes Numidas inse-
 quentes aquam ingressi sunt, (et erat pectoribus tenuis aucta
 nocturno imbri) tum utique egressis rigere omnibus corpora,
 ut vix armorum tenendorum potentia essent, et simul lassi-

Sempro-
 nius educit
 copias.

Cedunt
 Numidae.

committere certamen si cessaretur a Romanis, cuperet. DOER. πράττειν τι. Pol. iii. 70.

8 *Equiti quoque tegendo*] Ita quoque edidit Stroth. sed *equites quoque tegendo* ex fide plurium mss. recepit Bekker.

9 *Praetorium missum*] Dimissi praecepui ducum, qui in praetorium, sive tabernaculum imperatoris, conveniebant. Vid. Lips. de Mil. Rom. v.

2. CREV.

1 *Mille equitibus Magoni*] h. e. Ut ad Magonis verba praesto essent. Sed displicet hoc Perizon., qui cum *Magone* legendum coniecit.

2 *Ad destinatum iam ante consilio*] Supple certamen, nisi *destinatum* absolute dictum ex more Liviano fuerit.

3 *Quicquid aurae fluminis*] h. e. Quantum. cf. supr. vii. 32. viii. 39.

U. C. 534.
A. C. 218.
55.

Hannibal
aciem in-
struit.

Proelium
committi-
tur.

tudine, procedente iam die, fame etiam deficere. Hannibal interim miles, ignibus ante tentoria factis, oleoque per manipulos, ut mollirent artus, misso, et cibo per otium capto, ubi transgressos flumen hostes nuntiatum est, alacer animis corporibusque arma capit, atque in aciem procedit. Baliares locat ante signa, levem armaturam, octo ferme millia hominum; dein graviorem armis peditem, quod virium, quod roboris erat: in cornibus circumfudit decem millia equitum; et ab cornibus in utramque partem divisos elephantos statuit. Consul effusus sequentes equites, quum ab resistantibus subito Numidis incauti exciperentur, signo receptui dato, revocatos circumdedit peditibus. Duodevigi⁴nti⁵ millia Romani erant, socium nominis Latini viginti⁶; auxilia praeterea Cenomanorum: ea sola in fide manserat Gallica gens. His copiis concursum est. Proelium a Baliaribus ortum est; quibus quum maiore robore legiones obsisterent, deductae propere in cornua leves armaturae sunt. Quae res effecit, ut equitatus Romanus extemplo urgeretur: nam quum vix iam per se resisterent decem millibus equitum quattuor millia, et fessi plerisque integris, obruti sunt insuper velut nube iaculorum a Baliaribus coniecta. Ad hoc elephantum, eminentes ab extremis cornibus, equis maxime non visu modo, sed odore insolito territis, fugam late faciebant. Pedestris pugna par animis magis, quam viribus, erat; quas recentes Poenus, paullo ante curatis corporibus, in proelium attulerat: contra, ieiuna fessaque corpora Romanis et rigentia gelu torpebant. Restitissent tamen animis, si cum peditum solum foret pugnatum. Sed et Baliares, pulso equite, iaculabantur in latera, et elephantum iam in mediam peditum aciem sese tulerant: et Mago Numidaeque, simul latebras eorum improvida praeterlata acies est, exorti ab tergo ingentem tumultum ac terrorem fecere. Tamen in tot circumstantibus malis mansit aliquandiu immota acies, maxime praeter⁷ spem omnium adversus elephantos. Eos velites, ad id⁸ ipsum locati, verutis coniectis et avertere, et insecuti aversos sub caudis, qua maxime molli cute vulnera acci-

⁴ *Circumdedit peditibus*] Locavit a dextra laevaque peditum. CREV.

⁵ *Duodeviginti millia Romani erant*] sc. Pedites; sed *μυπλούς ἑξακισχιλίους* habet Polyb. qui etiam monet, quod mireris, quoties ob discrimen summae rerum copias coniunxerint consules, plenum exercitum populi Rom. ex xvi m. peditum et xx m. sociorum constitisse. RUP.

⁶ *Socium nominis Latini*] h. e. Sociorum Italicorum et nominis Latini,

cf. infr. xxvi. 15.

⁷ *Maxime praeter spem omnium adversus elephantos*] In quo id maxime praeter spem omnium accidit, quod etiam adversus elephantos aliquandiu restitere. CREV.

⁸ *Eos velites*] Ita iaculatores per prolepsin appellat Livius, quum velites demum in obsidione Capuae in exercitu Romano instructi sint. cf. infr. xxvi. 4.

9 piunt, fodiebant. Trepidantes propeque iam in suos con- U. C. 534.
sternatos media acie in extremam, ad sinistrum cornu, A. C. 218.
adversus Gallos auxiliares agi iussit Hannibal. Extemplo 56.
haud dubiam fecere fugam. Additus quoque novus terror Vincuntur
Romanis, ut fusa auxilia sua viderunt. Itaque, quum iam Romani.
1 in orbem pugnarent, decem millia ferme hominum, quum
alia evadere nequissent, media Afrorum acie, quae Gallicis
auxiliis firmata erat, cum ingenti caede hostium perrupere:
et, quum neque in castra reditus esset flumine interclusis,
neque prae imbri satis decernere possent, qua suis opem
ferrent, Placentiam recto itinere perrexere. Plures deinde
in omnes partes eruptiones factae: et, qui flumen petiere,
aut gurgitibus absumpti sunt, aut inter cunctationem in-
grediendi ab hostibus oppressi. Qui passim per agros fuga
sparsi erant, vestigia cedentis sequentes agminis, Placentiam Placentiam
contendere: aliis timor hostium audaciam ingrediendi fugiunt.
flumen fecit, transgressique in castra pervenerunt. Imber
nive mixtus, et intoleranda vis frigoris, et homines multos,
et iumenta, et elephantos prope omnes, absumpsit. Finis
insequendi hostis Poenis flumen Trebia fuit: et ita tor-
pentes gelu in castra rediere, ut vix laetitiam victoriae
sentirent. Itaque nocte insequenti, quum praesidium cas-
2 trorum, et quod reliquum ex magna parte militum erat,
ratibus Trebiam traicerent, aut nihil sentire, obstrepente
pluvia; aut, quia iam moveri prae lassitudine nequibant ac
vulneribus, sentire sese dissimularunt: quietisque Poenis,
tacito agmine ab Scipione consule exercitus Placentiam est
perductus: inde Pado traiectus Cremonam, ne duorum
exercituum hibernis una colonia premeretur.

Romam tantus terror ex hac clade perlatus est, ut iam 57.
ad urbem crederent infestis signis hostem venturum; nec Romae tre-
quicquam spei aut auxilii esse, quo portis moenibusque pidatio.
vim arcerent. 'Uno consule ad Ticinum victo, altero ex
'Sicilia revocato, duobus consulibus, duobus consularibus
'exercitibus victis, quos alios duces, quas alias legiones
3 'esse, quae arcessantur.' Ita territis Sempronius consul
advenit, ingenti periculo per effusos passim ad praedandum

9 *Trepidantes propeque iam in suos*] Ita ex emendat. Gronov. reposuerunt Bekker. et Rup. In plerisque mss. *trepidantesque prope*, quod Stroth. probavit. Mox legendum videtur *e vel a media acie*.

1 *Quum alia evadere*] Suppl. *via*, ut Gronov. coniecit, cf. infr. xlv. 43. *alii alia . . . delapsi sunt*.

2 *Et quod reliquum ex magna parte militum erat*] Et quod reliquum militum erat, saltem magna ex parte,

plerique certe, traicerent flumen Trebiam. Dicit Livius plerosque Trebiam traicisse, non omnes, quia aliqua pars profecto Sempronium ad urbem Romam comitata est. CREV.

3 *Sempronius consul advenit*] Haec Polyb. omittit, traditque consulem nuntios Romam misisse, qui magnitudinem cladis elevent. iii. 75. Alia quoque, ap. Liv. et Pol. post pugnam Trebiensem narrata, nisi discrepare monet Duk.

U. C. 534. hostium equites, audacia magis, quam consilio aut spe fal-
 A. C. 218. lendi resistendive, si non falleret, transgressus. Id quod
 Comitia unum maxime in praesentia desiderabatur, comitiis con-
 consularia. sularibus habitis, in hiberna rediit. Creati consules Cn.
 Servilius et C. Flaminius.

Ceterum ne hiberna quidem Romanis quieti erant, vagantibus passim Numidis equitibus, et, qua his impeditiora erant, Celtiberis Lusitanisque. Omnes igitur clausi undique commeatus erant, nisi quos Pado naves subveherent. Emporium prope Placentiam fuit, et opere magno munitum, et valido firmatum praesidio. Eius castelli ex-⁴ pugnandi spe cum equitibus ac levi armatura profectus Hannibal, quum plurimum in eclando incepto ad effectum⁶ spei habuisset, nocte adortus, non fefellit vigiles. Tantus repente clamor est sublatus, ut Placentiae quoque audiretur. Itaque sub lucem cum equitatu consul aderat, iussis quadrato agmine legionibus sequi. Equestre proelium interim commissum: in quo, quia saucius Hannibal pugna excessit, pavore hostibus iniecto, defensum egregie praesidium est. Paucorum inde dierum quiete sumpta, et vixdum satis percurato vulnere, ad Victumvias ire pergit oppugnandas. Id emporium a Romanis Gallico bello fuerat munitum. Inde locum frequentaverant accolae mixti undique ex finitimis populis; et tum terror populationum eo plerosque ex agris compulerat. Huius generis multitudo, fama impigre defensi ad Placentiam praesidii accensa, armis arreptis obviam Hannibali procedit. Magis agmina, quam⁷ acies, in via concurrerunt; et, quum ex altera parte nihil, praeter inconditam turbam, esset, in altera et dux militi, et duci fidens miles, ad triginta quinque millia hominum a paucis fusa. Postero die, deditione facta, praesidium intra moenia acceperere: iussique arma tradere quum dicto paruissent, signum repente victoribus datur, ut tanquam vi captam urbem diriperent. Neque ulla, quae in tali re memorabilis scribentibus videri solet, praetermissa clades est: adeo omnis libidinis, crudelitatisque, et inhumanae superbiae editum in miseros est exemplum. Hae fuere hibernae expeditiones Hannibalis.

⁴ *Qua his impeditiora*] h. e. Si qua loca. De Hispanorum cohorte impeditioribus locis assueta, cf. infr. xxii. 18.

⁵ *Expugnandi*] Hoc monente Perizonio Bekker, et Kreyss, reposuerunt. Vulgo *oppugnandi*.

⁶ *Quum plurimum*] Quum maximam spem efficiendi id, quod destinarat, in eo collocasset, si celare posset

inceptum suum. CREV.

⁷ *Magis agmina, quam acies*] *Agmen* est exercitus eo ordine compositus, qui ad iter faciendum accommodatus est: *acies*, exercitus aptatus ad pugnam. Vult igitur Livius hos exercitus eo ordine instructos concurrisse, qui itineri magis aptus esset, quam proelio. CREV.

8 *Haud longi inde temporis*, dum intolerabilia frigora U. C. 534.
 erant, quies militi data est: et ad prima ac dubia signa A. C. 218.
 veris profectus ex hibernis, in Etruriam ducit, eam quoque 58.
 gentem, sicut Gallos Liguresque, aut vi aut voluntate ad-
 iuncturus. Transeuntem Apenninum adeo atrox adorta Transitum
 tempestas est, ut Alpium foeditatem prope superaverit. Apennini
 Vento mixtus imber quum ferretur in ipsa ora, primo, tentat Han-
 quia aut arma omittenda erant, aut contra enitentes vortice nibal.
 9 intorti affligebantur, constitere: dein, quum iam spiritum
 1 includeret nec reciprocare animam sineret, aversi a vento
 parumper consedere. Tum vero ingenti sono coelum
 strepere, et inter horrendos fragores micare ignes: capti
 auribus et oculis metu omnes torpere. Tandem, effuso
 imbre, quum eo magis accensa vis venti esset, ipso illo, quo
 deprehensi erant, loco castra ponere necessarium visum est.
 Id vero laboris velut de integro initium fuit. Nam nec
 explicare quicquam, nec statuere poterant; nec, quod
 statutum esset, manebat, omnia perscindente vento et
 2 rapiente: et mox aqua levata vento, quum super gelida
 montium inga concreta esset, tantum nivosae grandinis de-
 iecit, ut, omnibus omissis, procumberent homines, tegmin-
 ibus suis magis obruti, quam tecti. Tantaque vis frigoris
 insecuta est, ut, ex illa miserabili hominum iumentorumque
 strage quum se quisque attollere ac levare vellet, diu ne-
 quiret, quia, torpentibus rigore nervis, vix flectere artus
 poterant. Deinde, ut tandem agitando sese movere ac re-
 cepere animos, et raris locis ignis fieri est coeptus, ad alie-
 nam opem quisque inops tendere. Biduum eo loco, velut
 obsessi, mansere. Multi homines, multa iumenta, elephantii
 quoque ex his, qui proelio ad Trebiam facto superfuerant,
 3 septem absumpti.

Degressus Apennino retro ad Placentiam castra movit, 59.
 et ad decem millia progressus consedit. Postero die duo- Regreditur.
 decim millia peditum, quinque equitum adversus hostem
 ducit. Nec Sempronius consul (iam enim redierat ab
 Roma) detrectavit certamen: atque eo die tria millia pas-
 suum inter bina castra fuere. Postero die ingentibus Pugna inter
 animis, vario eventu, pugnatum est. Primo concursu adeo Sempro-
 res Romana superior fuit, ut non acie vincerent solum, sed nium et
 pulsos hostes in castra persequerentur; mox castra quoque Hanniba-
 oppugnarent. Hannibal, paucis propugnatoribus in vallo lem.

8 *Haud longi inde temporis*] Ita ciproco halitu aerem excipere et ef-
 I. F. Gronov. emendavit. Vulgo *haud* flare. CREV.
longis inde temporibus.

9 *Affligebantur*] Humi prosterne- 2 *Aqua levata vento*] Vapores sub-
 bantur, ut supr. 35. lati vento. STROTH.

3 *Septem absumpti*] Unum solum 3 *Septem absumpti*] Unum solum
 1 *Reciprocare animam*] h. e. Re- superfuisset tradit Pol. iii. 74.

U. C. 534. portisque positis, ceteros confertos in media castra recepit,
 A. C. 218. intentosque signum ad erumpendum spectare iubet. Iam nona ferme diei hora erat, quum Romanus, nequicquam fatigato milite, postquam nulla spes erat potiundi castris, signum receptui dedit. Quod ubi Hannibal acceperit, laxatamque pugnam et recessum a castris vidit, extemplo equitibus dextra laevaue emissis in hostem, ipse cum peditum robore mediis castris erupit. Pugna raro ulla⁴ magis saeva, et cum utriusque partis pernicie clarior fuisset, si extendi eam dies in longum spatium sivisset. Nox accensum ingentibus animis proelium diremit. Itaque acrior concursus fuit, quam caedes; et, sicut aequata ferine pugna erat, ita clade pari discessum est. Ab neutra parte sexcentis plus peditibus, et dimidium eius equitum cecidit. Sed maior Romanis, quam pro numero, iactura fuit: quia equestris ordinis aliquot, et tribuni militum quinque, et praefecti sociorum tres, sunt interfecti. Secundum eam⁵ pugnam Hannibal in Ligures, Sempronius Lucam concessit. Venienti in Ligures Hannibali per insidias intercepti duo quaestores Romani, C. Fulvius et L. Lucretius, cum duobus tribunis militum, et quinque equestris ordinis senatorum ferme liberis, quo magis ratam fore cum his pacem societatemque crederet, traduntur.

60.

Res gestae
 a Cn. Scipione in
 Hispania.

Dum haec in Italia geruntur, Cn. Cornelius Scipio, in Hispaniam cum classe et exercitu missus, quum, ab ostio Rhodani profectus, Pyrenaeosque montes circumvectus, Emporiis appulisset classem, exposito ibi exercitu, orsus a Lacetanis, omnem oram usque ad Iberum flumen, partim renovandis societatibus, partim novis instituendis, Romanae ditionis fecit. Inde conciliata clementiae fama, non ad maritimos modo populos, sed, in mediterraneis quoque ac montanis, ad ferociore iam gentes valuit: nec pax modo apud eos, sed societas etiam armorum, parata est: validaeque aliquot auxiliorum cohortes ex iis conscriptae sunt. Hamonis cis Iberum provincia erat: cum reliquerat Hannibal ad regionis eius praesidium. Itaque prius, quam alienarentur omnia, obviam eundem ratus, castris in conspectu hostium positis, in aciem eduxit. Nec Romano differendum certamen visum: quippe qui sciret, cum Hannone et Hasdrubale sibi dimicandum esse; malletque adversus singulos separatim, quam adversus duos simul, rem gerere. Nec magni certaminis ea dimicatio fuit. Sex millia hostium caesa, duo capta cum praesidio castrorum:

Hanno victus.

⁴ *Pugna raro ulla magis sacra*
Pugna raro magis dubia ex coniect.
 Gronov. in textum recepit Bekker.

⁵ *Praefecti sociorum*. De his vide

Tac. Ann. i. 71. Polyb. vi. 26. Eadem omnia in socios, quae tribuni militum in cives, usurpabant.

6 nam et castra expugnata sunt, atque ipse dux cum aliquot principibus capiuntur: et Scissis, propinquum castris oppidum, expugnatur. Ceterum praeda oppidi parvi pretii rerum fuit; suppellex barbarica, ac vilium mancipiorum. 8 Castra militem ditavere; non eius modo exercitus, qui victus erat, sed et eius, qui cum Hannibale in Italia militabat, omnibus fere caris rebus, ne gravia impedimenta ferentibus essent, citra Pyrenaeum relictis.

Priusquam certa huius cladis fama accideret, transgressus Iberum Hasdrubal cum octo millibus peditum, mille equitum, tanquam ad primum adventum Romanorum occurrurus, postquam perditas res ad Scissim amissaque castra accepit, iter ad mare convertit. Haud procul Tarracone classicos milites navalesque socios, vagos palantesque per agros, (quod ferme fit, ut secundae res negligentiam creent) equite passim dimisso, cum magna caede, maiore fuga ad naves compellit. Nec diutius circa ea loca morari ausus, ne a Scipione opprimeretur, trans Iberum sese recepit. Et Scipio, raptim ad famam novorum hostium agmine acto, quum in paucos praefectos navium animadvertisset, praesidio Tarracone modico relicto, Emporias cum classe rediit. Vixdum digresso eo, Hasdrubal aderat: et, Ilergetum populo, qui obsides Scipioni dederat, ad defectionem impulsus, cum eorum ipsorum iuventute agros fidelium Romanis sociorum vastat. Excito deinde Scipione hibernis, 9 toto cis Iberum rursus cedit agro. Scipio, relictam ab auctore defectionis Ilergetum gentem quum infesto exercitu invasisset, compulsis omnibus Athanagiam, urbem, quae caput eius populi erat, circumsegit: intraque dies paucos, pluribus quam ante obsidibus imperatis, Ilergetes, pecunia etiam multatos, in ius ditionemque recepit. Inde in Ausitanos prope Iberum, socios et ipsos Poenorum, procedit: atque, urbe eorum obsessa, Lacetanos auxilium finitimis ferentes nocte, haud procul iam urbe, quum intrare vellent, excepit insidiis. Caesa ad duodecim millia: exuti paene omnes armis, domos passim palantes per agros diffugere; nec obsessos alia ulla res, quam iniqua oppugnantibus hiems, tutabatur. Triginta dies obsidio fuit: per quos raro un-

61.

Hasdrubal
sero adve-
nit.Vastat soci-
orum P. R.
agros.Scipio Iler-
getes inva-
dit.

6 *Dux cum aliquot principibus capiuntur*] Elegans genus loquendi. cf. infr. xxvi. 46. xlii. 20. Sall. Cat. xlii. Ter. Heaut. iii. 1. 64. DRAC.

7 *Praeda oppidi*] Praeda oppidi fuit rerum parvi pretii; nihil habuit nisi res parvi pretii. CREV.

8 *Non eius modo exercitus*] Hic aliquid ex sensu supplendum est. Castra militem ditavere, qui in iis reperit non modo eius exercitus opes,

qui victus erat, sed etiam omnes fere earas res eius qui cum Hannibale militabat, relictas citra Pyrenaeum, ne gravia impedimenta ferentibus essent. CREV.

9 *Ab auctore defectionis*] Hasdrubale, qui eis Iberum se receperat. Ceterum de Athenagia multum ap. viros doctos dubitatur, quae quibusdam *Lerida*, Strothio *Aytona* haud procul Ibero sita, hodie esse videtur.

U. C. 534. quam nix minus quattuor pedes alta iacuit: adeoque pluteos¹
A. C. 218. ac vineas Romanorum operuerat, ut ea sola, ignibus aliquo-
tics coniectis ab hoste, etiam tutamentum fuerit. Postremo
quum Amusitus princeps eorum ad Hasdrubalem profugis-
set, viginti argenti talentis pacti deduntur. Tarraconem in
hiberna reditum est.

62. Romae aut circa urbem multa ea hieme prodigia facta :
Prodigia. aut (quod evenire solet, motis semel in religionem animis)
multa nuntiata, et temere credita sunt: in quis ingenuum
infantem semestrem in foro olitorio triumphum clamasse :
et foro boario bovem in tertiam contignationem sua sponte
cscendisse, atque inde tumultu habitatorum territum sese de-
iecisse: et navium speciem de coelo affulsisse, et aedem Spei,
quae est in foro olitorio, fulmine ictam : et Lanuvii hastam²
se commovisse : et corvum in aedem Iunonis devolasse, at-
que in ipso pulvinario consedissee: et in agro Amiternino
multis locis hominum specie procul candida veste visos,
nec cum ullo congressos: et in Piceno lapidibus pluisse:
et Caere sortes extenuatas: et in Gallia lupum vigili gla-³
diu e vagina raptum abstulisse. Ob cetera prodigia
Procurata. libros adire decemviri iussi. Quod autem lapidibus pluis-⁴
set in Piceno, novendiale sacrum edictum, et subinde aliis
procurandis prope tota civitas operata fuit. Iam primum
omnium urbs lustrata est, hostiaeque maiores, quibus editum⁵
est, diis caesae; et donum ex auri pondo quadraginta La-
navium ad Iunonis portatum est; et signum aeneum ma-
tronaee Iunoni in Aventino dedicaverunt; et lectisternium
Caere, ubi sortes attenuatae erant, imperatum; et suppli-
catio Fortunae in Algido; Romae quoque et lectisternium
Iuventati, et supplicatio ad aedem Iherculis nominatim;
deinde universo populo circa omnia pulvinaria indicta; et
Genio maiores hostiae caesae quinque; et C. Atilius Ser-

¹ *Pluteos ac vineas*] Plutei non multum differebant a vineis et ad similes ferme usus adhibebantur. CREV.

² *Lanuvii hastam se commovisse*] Intelligenda videtur hasta Iunonis Sospitae, cuius fortasse etiam nomen excidit. CREV.

³ *Caere sortes extenuatas*] Sortes hoc loco intelligi possunt vel tabulae lignee, vel membranulae, quae inscriptas haberent aliquas vel literas, vel voces, vel versiculos. Igitur ubi hic sortes extenuatae dicuntur, intelligendum est eas vel tabellas, vel membranulas visas esse coartari et in angustius spatium redigi; sive potius sacerdotum fraude subiectas quasdam minores in locum earum,

quae vulgo educebantur, et maiores erant. Porro Salmasius observat, in ostentis, ut et in somniis, omnia maiora et auctiora videre laetum ac prosperum iudicari solitum fuisse: contra, triste omen fuisse, si qua res solito minor, tenuatior, defectiorque appareret. CREV. cf. Niebhr. i. n. 1129.

⁴ *Decemviri*] Sacris faciundis, supr. x. 8.

⁵ *Urbs lustrata est*] Designatur Amburbium, sive Amburbale sacrum; quod sic dicebatur, quia urbem circuibat et ambibat victima. CREV.

⁶ *Hostiaeque maiores*] Hostiae maiores opponuntur lactentibus, ut apparet infr. xxii. 1. CREV.

ranus praetor vota suscipere iussus, si in decem annos res- U. C. 534.
publica eodem stetisset statu. Haec procurata votaue ex A. C. 218.
libris Sibyllinis, magna ex parte levaverant religione
animos.

Consulum designatorum alter Flaminius, cui eae legiones, 63.
quae Placentiae hibernabant, sorte evenerant, edictum et
7 literas ad consulem misit, ut is exercitus Idibus Martiis
8 Arimini adesset in castris. Huic in provincia consulatum T^{em}eritas
inire consilium erat, memori veterum certaminum cum et arrogan-
9 Patribus; quae tribunus plebis, et quae postea consul, prius tia Flami-
de consulatu, qui abrogabatur, dein de triumpho habuerat; nii.
invisus etiam Patribus ob novam legem, quam Q. Claudius
tribunus plebis adversus senatum, uno Patrum adiuvante C.
Flamini, tulerat; ne quis senator, cuive senatorius pater
fuisset, maritimam navem, quae plus quam trecentarum am-
phorarum esset, haberet. Id satis habitum ad fructus ex
2 agris vectandos: quaestus omnis Patribus indecorus visus.
Res, per summam contentionem acta, invidiam apud nobili-
tatem suasori legis Flamini, favorem apud plebem alterum-
3 que inde consulatum, peperit. Ob haec ratus auspiciis emen-
tiendis, Latinarumque feriarum mora, et consularibus aliis
impedimentis retenturos se in urbe, simulato itinere privatus
clam in provinciam abiit. Ea res, ubi palam facta est, Clam in
novam insuper iram infestis iam ante Patribus movit: ‘Non provinciam
‘cum senatu modo, sed iam cum diis immortalibus, C. abit.
‘Flamini bellum gerere. Consulem ante inauspicato
‘factum revocantibus ex ipsa acie diis atque hominibus non
‘paruisse; et nunc conscientia spretorum et Capitolium et
‘sollennem votorum nuncupationem fugisse: ne die initi
‘magistratus Iovis optimi maximi templum adiret: ne se-
‘natum, invisus ipse, et sibi uni invisum, videret consule-

7 *Idibus Martiis*] Hic dies tum
temporis magistratibus ineundis sol-
lennis erat. cf. infr. xxii. 1. SRR.

8 *Arimini*] De Flamini doliis ni-
hil habet Polybius, qui Flaminium Ar-
retium, Servilium Ariminum profec-
tos esse scribit. iii. 77.

9 *Quae tribunus plebis*] Quando
rogationem de agro Gallico et Pi-
ceno viritum dividendo tulerat. cf. Val.
Max. v. 4. Cic. de Sen. 4.

1 *Quae postea consul*] cf. Plut. in
Marc. qui tradit, quum augures vitio
creatos esse consules, adversus Insu-
bres profectos, dixissent, senatum eos
confestim literis Romam revocasse et
iussisse, quam primum consulatu se
abdicare nec quicquam pro imperio
gerere; Flaminium vero has literas

non prius aperuisse, quam hostes fu-
disset; cf. Polyb. ii. 32. 33. itaque
victori, cum ingenti praeda redeunti,
triumphum fuisse negatum; ipsum
vero privatum triumphasse, et mox
magistratu abire coactum esse. RCP.

2 *Quaestus omnis Patribus indeco-
rus visus*] Nam senatores post bellum
Punicum primum in Sicilia, Sardinia,
et Corsica praedia sibi comparare, et
per speciem deportandorum ex iis
fructuum negotiationes, amplissimo
ordine indignas, exercere coeperunt;
quod h. l. significari videtur. Duk.
cf. Ern. Clav. Cic. v. *Negotiator*.

3 *Auspiciis ementiendis*] Huius-
modi artes Patres saepissime adhi-
buerunt, maxime contra plebeios ho-
mines. RCP.

U. C. 534. 'retque: ne Latinas indiceret, Iovique Latiari sollemne sa-
 A. C. 218. 'crum in monte faceret: ne, auspicato profectus in Capito-
 'lium ad vota nuncupanda, paludatus inde cum lictoribus
 'ad provinciam iret. Lixae modo sine insignibus, sine
 'lictoribus, profectum clam, furtim, haud aliter quam si
 'exsilio causa solum vertisset. Magis pro maiestate videlicet
 'imperii Arimini, quam Romae, magistratum initurum, et
 'in deversorio hospitali, quam apud penates suos, praetex-
 'tam sumpturum.' Revocandum universi retrahendumque
 censuerunt; et cogendum omnibus prius praesentem in
 deos hominesque fungi officiis, quam ad exercitum et in
 provinciam iret. In eam legationem (legatos enim mitti
 placuit) Q. Terentius et M. Antistius profecti, nihilo magis
 eum moverunt, quam priori consulatu literae moverant ab
 senatu missae. Paucos post dies magistratum iniit, immo-
 lantique ei vitulus iam iectus e manibus sacrificantium sese
 quum proripuisset, multos circumstantes cruore respersit.
 Fuga procul etiam maior apud ignaros, quid trepidaretur,
 et concursatio fuit: id a plerisque in omen magni terroris
 acceptum. Legionibus inde duabus a Sempronio prioris
 anni consule, duabus a C. Atilio praetore acceptis, in Etru-
 riam per Apennini tramites exercitus duci est coeptus.

Frustra re-
 vocatur.

U. C. 535.

A. C. 217.

Cn. Servi-

lio, C. Fla-

minio II.

Coss.

4 *Ne Latinas indiceret*] Mos erat, dixissent et celebrassent. cf. supr. v.
 ut consules non ante in provincias 17. CREV.
 proficiscerentur, quam has ferias in-

EPI TOM E LIBRI XXII.

HANNIBAL, per continuas vigilias in paludibus oculo amisso, venit in Etruriam; per quas paludes quatruluo et tribus noctibus sine ulla requie iter fecit. *C. Flaminius* consul, homo temerarius, contra auspicia profectus, signis militibus effossis, quae tolli non poterant, et ab equo, quem conscenderat, per caput devolutus, insidiis ab Hannibale circumventus, ad Trasimenum lacum cum exercitu caesus est. Sex millia, quae eruperant, fide ab Maharbale data, perfidia Hannibalis victa sunt. Quum ad nuntium cladis Romae luctus esset, duae matres, ex insperato receptis filiis, gaudio mortuae sunt. Ob hanc cladem ex Sibyllinis libris versutum votum. Quum deinde *Q. Fabius Maximus* dictator, adversus Hannibalem missus, nollet acie cum eo confligere, ne, contra ferocem tot victoriis hostem, territum adversus proclis militem pugnae committeret, et, opponendo se tantummodo, conatus Hannibalis impediret: *M. Minucius* magister equitum, ferox et temerarius, criminando dictatorem tanquam sequem et timidum, effecit, ut populi iussu aequaretur ei cum dictatore imperium; divisoque exercitu, quum iniquo loco conflisset, et in maximo discrimine legiones eius essent, superveniente cum exercitu *Fabio Maximo* discrimine liberatus est. Quo beneficio victus castra cum eo iunxit, et patrem eum salutavit; idemque facere milites iussit. Hannibal, vastata Campania, inter *Cusilinum* oppidum et *Calliculam* montem a *Fabio* clausus, sarmentis ad cornua bouum alligatis et incensis, praesidium Romanorum, quod *Calliculam* insidebat, fugavit: et sic transgressus est saltum. Idemque *Q. Fabii Maximi* dictatoris, quum circumposita ureret, agro pepercit, ut illum tanquam proditorem suspectum faceret. *Aemilio* deinde *Paullo* et *Terentio Varrone* consulibus et ducibus, cum maxima clade adversus Hannibalem ad *Cannas* pugnatum est: caesaque eo proelio Romanorum quadraginta quinque millia, cum *Paullo* consule et seuatoribus octoginta, consularibus atque praetoriis aut aediliciis triginta. Post quam cladem quum a nobilibus adolescentibus propter desperationem consilium de relinquenda Italia iniretur, *P. Cornelius Scipio* tribunus militum, qui postea *Africanus* nuncupatus est, stricto

super capita deliberantium ferro, iuravit, se pro hoste habiturum eum, qui in verba sua non iurasset; effecitque, ut omnes, minime relictum iri a se Italiam, iureiurando astringerentur. Praeterea trepidationem urbis et luctum, et res in Hispania meliore eventu gestas continet. Opimia et Floronia, Vestales virgines, incesti damnatae sunt. Propter paucitatem vero militum servorum octo millia armata sunt. Captivi, quum potestas esset redimendi, redempti non sunt. Varroni obviam itum est, et gratiae actae, quod de republica non desperasset.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXII.

IAM ver appetebat, quum Hannibal ex hibernis movit, U. C. 535. A. C. 217.
 et nequiequam ante conatus transcendere Apenninum
 intolerandis frigoribus, et cum ingenti periculo moratus ac
 metu. Galli, quos praedae populationumque conciverat Galli in-
 fensi Han-
 nibali.
 spes, postquam pro eo, ut ipsi ex alieno agro raperent age-
 rentque, suas terras sedem belli esse, premique utriusque
 partis exercituum hibernis viderunt; verterunt retro ad
 Hannibalem ab Romanis odia: petitusque saepe principum
 insidiis, ipsorum inter se fraude, eadem levitate, qua con-
 senserant, consensum indicantium, servatus erat; et, mu-
 1 tando nunc vestem, nunc tegumenta capitis, errore etiam
 sese ab insidiis munierat. Ceterum hic quoque ei timor
 causa fuit maturius movendi ex hibernis.
 2 Per idem tempus Cn. Servilius consul Romae Idibus
 Martiis magistratum iniit. Ibi quum de republica retulis-
 set, redintegrata in C. Flaminium invidia est. ‘Duos se Querelae
 Romano-
 rum de
 Flaminio.
 ‘consules creasse, unum habere. Quod enim illi iustum
 ‘imperium, quod auspicium esse? Magistratus id a domo,
 ‘publicis privatisque penetibus, Latinis feriis actis, sacrificio
 3 ‘in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, se-
 4 ‘cum ferre: nec privatum auspicia sequi, nec sine auspiciis
 5 ‘profectum in externo ea solo nova atque integra concipere

1 *Errore etiam*] Fraude, quae cos
 in errorem duceret. Polybius iii. 78.
 Hannibalem capillamenta, ad omnia
 aetatum discrimina formata, sibi pa-
 ravisse scribit.

2 *Per idem tempus*] Praetores huius
 anni Livius praeter morem omisit.
 Quorum M. Aemilius Regulus urba-
 nam iurisdictionem exercebat: M.
 Pomponius Matho peregrinam: T.
 Otacilius Crassus Siciliam: A. Cor-
 nelius Mammula Sardiniam habebat.

3 *In monte*] Albano. cf. supr. xxi.
 63.

4 *Nec privatum auspicia sequi*]
 Quippe pullorum sacrorum auspicii
 gratia Augures imperatorem seque-
 bantur; sed privatum auspicia non
 sequebantur.

5 *Nova atque integra concipere*]
 Semel enim cum auspiciis profectus
 domo, poterat in externo solo ea ite-
 rumque iterumque rite capere. At ea
 nova et non ante quaesita sibi acqui-
 rere in externo solo non posse contem-
 dunt Patres eum, qui sine iis profectus
 esset. CREV.

U. C. 535.
A. C. 217.
Prodigia.

‘posse.’ Augebant metum prodigia ex pluribus simul locis nuntiata: in Sicilia militibus aliquot spicula, in Sardinia 6 autem in muro circumeunti vigilias equiti scipionem, quem manu tenuerat, arsisse, et litora crebris ignibus fulsisse, et scuta duo sanguine sudasse, et milites quosdam ictos fulminibus, et solis orbem minui visum: et Praeneste ardentem lapides coelo cecidisse: et Arpis parmas in coelo visas, pugnantemque cum luna solem: et Capenae duas interdiu lunas ortas: et aquas Caeretes sanguine mixtas fluxisse; fontemque ipsum Herculis cruentis manasse sparsum maculis: et in Antiati metentibus cruentas in corbem spicas cecidisse: et Faleriis coelum findi velut magno hiatu visum; quaque patuerit, ingens lumen effulsisse: sortes sua sponte 8 attenuatas, unamque excidisse, ita scriptam: MAVORS TELUM SUUM CONCUTIT: et per idem tempus Romae signum Martis Appia via ad simulacra luporum sudasse: et Capuae speciem coeli ardentis fuisse, lunaeque inter imbrem cadentis. Inde minoribus etiam dictu prodigiis fides habita: capras lanatas quibusdam factas, et gallinam in marem, gallum in feminam sese vertisse. His, sicut erant nuntiata, expositis, auctoribusque in curiam introductis, consul de religione Patres consuluit. Decretum, ut ea prodigia, partim maioribus hostiis, partim lactentibus, procurarentur: et uti supplicatio per triduum ad omnia pulvinaria haberetur. Cetera, quum decemviri libros inspexissent, ut ita fierent, quemadmodum cordi esse divis, carminibus praefarentur. 9 Decemvirorum monitu decretum est, Iovi primum donum fulmen aureum pondo quinquaginta fieret; Iunoni Minervaeque ex argento dona darentur; et Iunoni Reginae in Aventino, Iunonique Sospitae Lanuvii maioribus hostiis sacrificaretur; matronaeque, pecunia collata, quantum conferre cuique commodum esset, donum Iunoni Reginae in Aventinum ferrent, lectisterniumque fieret; quin et ut libertinae et ipsae, unde Feroniae donum daretur, pecuniam pro facultatibus suis conferrent. Haec ubi facta, decemviri Ardeae in foro maioribus hostiis sacrificarunt. Postremo Decembri iam mense ad aedem Saturni Romae immolatum 2

Procurata,

6 *In Sardinia autem in muro*] Recte videtur observare Iac. Gronovius hic deesse nomen eius urbis, cuius in muro id prodigium, de quo agitur, factum est. Quumque aliquot libri optimi habeant *Sudes* pro *autem*, inde ille suspicatur legendum, *Suleis*. Sulei nobilis et antiqua Sardiniae civitas fuit. CREV.

7 *Solis orbem minui*] Solem defecisse.

8 *Sortes sua sponte attenuatas*] cf.

Supr. xxi. 62. *Signum Martis*, cf. supr. x. 23.

9 *Praefarentur*] *Profarentur* ex emend. Gronov. reposuit Bekker.

1 *Quin et ut libertinae et ipsae*] Vulgo *quin et libertinae ut ipsae*, ceterum Bekker *quin ut libertinae et ipsae*. Feronia libertinorum et libertinarum dea erat, ex cuius templo pileus, signum libertatis, petebatur.

2 *Decembri iam mense*] Intellige mensem Decembrem huius ipsius anni,

- est, lectisterniumque imperatum, (et cum lectum senatores U. C. 535.
straverunt) et convivium publicum; ac per urbem Saturna- A. C. 217.
- 3 lia diem ac noctem elatum, populusque eum diem festum
habere ac servare in perpetuum iussus.
- 4 Dum consul placandis Romae diis habendoque delectu 2.
dat operam, Hannibal, profectus ex hibernis, quia iam Hannibal
Flaminiu[m] consulem Arretiu[m] pervenisse fama erat, quum Etruriam
5 aliud longius, ceterum commodius, ostenderetur iter, pro- petit.
piorem viam per paludem petit, qua fluvius Arnus per eos
dies solito magis inundaverat. Hispanos et Afros, (id omne
veterani erat robur exercitus) admixtis ipsorum impedi-
mentis, necubi consistere coactis necessaria ad usus dees-
sent, primos ire iussit: sequi Gallos, ut id agminis medium
esset; novissimos ire equites: Magonem inde cum expe-
ditis Numidis cogere agmen, maxime Gallos, si taedio
laboris longaeque viae (ut est mollis ad talia gens) dilabe-
rentur aut subsisterent, cohibentem. Primi, qua modo Molestum
praeirent duces, per praecaltas fluvii ac profundas voragines, iter per pa-
hausti paene limo immergentesque se, tamen signa seque- ludes.
bantur. Galli neque sustinere se prolapsi, neque assurgere
6 ex voraginibus poterant; aut corpora animis, aut animos
spe sustinebant: alii fessa aegre trahentes membra; alii,
ubi semel victis taedio animis procubuissent, inter iumenta,
et ipsa iacentia passim, morientes: maximeque omnium vi-
giliac conficiebant, per quatrividuum iam et tres noctes tole-
ratae. Quum, omnia obtinentibus aquis, nihil, ubi in secco
fessa sternerent corpora, inveniri posset, cumulat[i]s in aquas
sarcinis insuper incumbabant. Iumentorum itinere toto
7 prostratorum passim acervi tantum, quod exstaret aqua,
quaerentibus ad quietem parvi temporis necessarium cubile
dabant. Ipse Hannibal, aeger oculis ex verna primum in-
temperie variante calores frigoraque, elephanto, qui unus Hannibal
superfuerat, quo altius ab aqua exstaret, vectus; vigiliis oculum
tandem et nocturno humore palustrique coelo gravante amittit.

qui consules habuit Flaminiu[m] et Ser-
viliu[m]. Nimirum hic Livius in unum
colligit quicquid hoc anno procuran-
dis hisce prodigiis factum est. CREV.

3 *Populusque eum diem festum ha-
bere*] Hic Saturnalia novo edicto san-
cita, non tum primum instituta intel-
ligi debent. Siquidem supra ii. 21.
trecentos fere ante annos institutum
esse diem festum Saturnalia Livius
iam memoravit. Vide hac de re Lips.
Saturnal. i. 2. CREV. cf. Macrob.
Saturnal. i. 10.

4 *Habendoque delectu*] Vulgo dis-
trahendoque, unde trahendo Drak. sed

delectu pro *delectui* ut supr. iv. 12.
ix. 5.

5 *Ostenderetur iter*] De hoc itinere,
cf. Polyb. iii. 78, 79.

6 *Aut corpora animis*] Huc revo-
care opus est particulam negantem,
quae in praecedentibus exprimitur.
Itaque sic exponenda sunt haec verba,
quasi legeretur: Neque corpora ani-
mis, neque animos spe sustinebant.
CREV.

7 *Quod exstaret aqua*] Tantum
spatii, quantum eorum aquae super-
emineret, pro cubili dabant.

U. C. 535. caput, et quia medendi nec locus nec tempus erat, altero 8
A. C. 217. oculo capitur.

3.

Flaminii
Cos.ferocia.

Multis hominibus iumentisque foede amissis, quum tandem de paludibus emersisset, ubi primum in sicco potuit, castra locat: certumque per praemissos exploratores habuit, exercitum Romanum circa Arretii moenia esse. Consulis deinde consilia atque animum, et situm regionum, itineraque, et copias ad commeatus expediendos, et cetera, quae 9 cognosse in rem erat, summa omnia cum cura inquirendo exsequebatur. Regio erat in primis Italiae fertilis, Etrusci campi, qui Faesulas inter Arretiumque iacent, frumenti ac pecoris et omnium copia rerum opulenti. Consul ferox ab consulatu priore, et non modo legum ac Patrum maiestatis, sed ne decorum quidem satis metuens. Hanc insitam ingenio eius temeritatem fortuna prospero civilibus bellicisque rebus successu aluerat. Itaque satis apparebat, nec deos nec homines consulentem, ferociter omnia ac praepropere acturum. Quoque pronior esset in vitia sua, agitare eum atque irritare Poenus parat: et, laeva relicto hoste, Faesulas petens, medio Etruriae agro praedatum profectus, quantam maximam vastitatem potest, caedibus incendiisque consuli procul ostendit. Flaminius, qui ne quieto quidem hoste ipse quieturus erat, tum vero, postquam res sociorum ante oculos prope suos ferri agique vidit, suum id dedecus ratus, 1 per median iam Italiam vagari Poenum, atque, obsistente nullo, ad ipsa Romana moenia ire oppugnanda; ceteris omnibus in consilio salutaria magis, quam speciosa, suadentibus, 'collegam expectandum, ut coniunctis exercitibus, 'communi animo consilioque rem gererent; interim equi- 'tatu auxiliisque levium armorum ab effusa praedandi li- 'centia hostem cohibendum;' iratus se ex consilio proripuit, signumque simul itineris pugnaeque proposuit. 'Quin imo 'Arretii ante moenia sedeamus,' inquit: 'hic enim patria 'et penates sunt. Hannibal emissus e manibus perpopule- 'tur Italiam, vastandoque et urendo omnia ad Romana 'moenia perveniat; nec ante nos hinc moverimus, quam, 'sicut olim Camillum ab Veis, C. Flaminium ab Arretio 2

8 *Altero oculo capitur*] Ita Pol. iii. 79. sed Corn. Nep. v. Hann. 4. gravi oculorum morbo affectum, Hannibalem dextro oculo nunquam aeque bene usum esse scribit.

9 *Et copias*] Id est, rerum necessariarum ad commeatus expediendos.

1 *Ferri agique*] sc. diripi. Latini dixerunt *ferre, agere* pro *diripere*, exemplo sumpto a Graecis, qui eodem sensu usurpant *ἄγειν καὶ φέρειν*. Origo

autem huius locutionis inde est, quod in praeda alia sunt vita praedita, homines, pecora, iumenta, adeoque *aguntur*; alia inanima, et quum agi non possint, *feruntur*. CREV.

2 *Camillum ab Veis*] Idem legitur supr. ix. 4. Ceterum Camillum Ardeae exsulasse et ab Ardea accitum esse tradit Liv. v. 43. 46. Quum vero eius exercitus apud Veios esset, ipse a Veis accitus dicitur. RASCH.

‘Patres acciverint.’ Haec simul increpans, quum oculus U. C. 535.
 3 signa convelli iuberet, et ipse in equum insiluisset, equus A. C. 217.
 repente corruit, consulenique lapsum super caput effudit. Ex equo
 Territis omnibus, qui circa erant, velut foedo omine incipi- prolabitur.
 endae rei, insuper nuntiat, signum, omni vi moliente si- Signum
 4 gnifero, convelli nequire. Conversus ad nuntium, ‘Num convelli
 ‘litteras quoque,’ inquit, ‘ab senatu affers, quae me rem nequit.
 ‘gerere vetent? Abi, nuntia, signum effodiant, si ad con-
 ‘vellendum manus prae metu obtorpuerint.’ Incedere inde
 agmen coepit; primoribus, super quam quod dissenserant a
 consilio, territis etiam duplici prodigio; milite in vulgus
 laeto ferocia ducis, quum spem magis ipsam, quam causam
 spei, intueretur.

Hannibal, quod agri est inter Cortonam urbem Trasime-
 numque lacum, omni clade belli pervastat, quo magis iram
 hosti ad vindicandas sociorum iniurias acuat. Et iam per-
 5 venerant ad loca insidiis nata, ubi maxime montes Corto-
 nenses Trasimenum subit. Via tantum interest perangusta,
 velut ad id ipsum de industria relicto spatio: deinde paullo
 latior patescit campus; inde colles assurgunt. Ibi castra
 in aperto locat, ubi ipse cum Afris modo Hispanisque con-
 sideret. Baliares ceteramque levem armaturam post montes
 circumducit: equites ad ipsas fauces saltus, tumulis apte
 tegentibus, locat; ut, ubi intrassent Romani, obiecto equi-
 tatu, clausa omnia lacu ac montibus essent.

Flaminius quum pridie solis occasu ad lacum pervenisset, Flaminius
 inexplorato, postero die, vixdum satis certa luce, angustiis in insidiis
 superatis, postquam in patientiorem campum pandi agmen praecepit.
 coepit, id tantum hostium, quod ex adverso erat, conspexit:
 6 ab tergo et super caput decipere insidiae. Poenus ubi, id
 quod petierat, clausum lacu ac montibus et circumfusum
 suis copiis habuit hostem, signum omnibus dat simul inva-
 dendum. Qui ubi, qua cuique proximum fuit, decucurrere, Undequa-
 eo magis Romanis subita atque improvisa res fuit, quod orta que cum
 ex lacu nebula campo, quam montibus, densior sederat, Poeni inva-
 dunt.

3 *Equus repente corruit*] Et nun-
 tiatur, signum convelli nequire: ea-
 dem et alia quoque prodigia memo-
 rant Valer. Max. i. 6. 6. Cic. de
 Div. i. 35. Sil. v. 59, sq. Flor. ii. 6. et
 Plut. in Fabio. Rur.

4 *Num litteras . . . ab senatu af-
 fers*] In hoc dicto respicit Flaminius
 id quod ipsi primo suo consulatu ac-
 ciderat, ut quum iam in conspectu
 hostium esset, litterae a senatu affer-
 rentur, quibus vetabatur certamen
 committere, iubebaturque, quasi vitio

creatus, redire Romam ut consulatum
 abdicaret. CREV.

5 *Montes Cortonenses Trasimenum
 subit*] Omnes scripti in *Trasime-
 num*: quidam etiam *subeunt*. Gro-
 novius Observ. iv. 17. emendat in
Trasimenum sidunt, id est, in Trasi-
 meni alveum molliter sese demittunt
 ac desinunt, quod reposuit Bekker.

6 *Decipere insidiae*] h. e. Fefellere.
 Olim *deceptae*, sed *decipere* ex emend.
 Lips. edd. opt. receperunt: sed alia
 desiderantur exempla.

U. C. 535. agminaque hostium ex pluribus collibus ipsa inter se satis 7
A. C. 217. conspecta, eoque magis pariter decucurrerunt. Romanus

5. clamore prius undique orto, quam satis cerneret, se circum-
ventum esse sensit; et ante in frontem lateraque pugnari
coeptum est, quam satis instrueretur acies, aut expediri
arma, stringique gladii possent. Consul, percussis omnibus,
ipse satis, ut in trepida re, impavidus, turbatos ordines, ver-
tente se quoque ad dissonos clamores, instruit, ut tempus
locusque patitur; et quacunque adire audirique potest, ad-
hortatur, ac stare et pugnare iubet; ‘nec enim inde votis
‘aut imploratione deum, sed vi ac virtute, evadendum esse.
‘Per medias acies ferro viam fieri: et, quo timoris minus
‘sit, eo minus ferme periculi esse.’ Ceterum prae strepitu
ac tumultu nec consilium nec imperium accipi poterat:
tantumque aberat, ut sua signa atque ordinem et locum
nosceret miles, ut vix ad arma capienda aptandaque pugnae
competeret animus: opprimerenturque quidam, onerati 8
magis his, quam tecti: et erat in tanta caligine maior usus
aurium quam oculorum. Ad gemitus vulnerum ictusque
corporum aut armorum, et mixtos strepentium paventium-
que clamores, circumferebant ora oculosque. Alii fugientes
pugnantium globo illati haerebant: alios redeuntes in pu-
gnam avertebat fugientium agmen. Deinde, ubi in omnes
partes nequicquam impetus capti, et ab lateribus montes ac 9
lacus, a fronte et ab tergo hostium acies claudebat, apparuit-
que, nullam, nisi in dextra ferroque, salutis spem esse; tum
sibi quisque dux adhortatorque factus ad rem gerendam, et
nova de integro pugna exorta est; non illa ordinata per
principes hastatosque ac triarios, nec ut pro signis antesi-
gnani, post signa alia pugnaret acies; nec ut in sua legione
miles, aut cohorte, aut manipulo esset. Fors conglobat, et
animus suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat:

Terrae mo-
tum nemo
pugnan-
tium sentit.

tantusque fuit ardor armorum, adeo intentus pugnae animus,
ut eum motum terrae, qui multarum urbium Italiae magnas 2
partes prostravit, avertitque cursu rapidos amnes, mare
fluminibus invexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pu-
gnantium senserit.

6. Tres ferme horas pugnatum est, et ubique atrociter.
Circa consulem tamen acrior infestiorque pugna est. Eum

7 *Ex pluribus collibus*] Vulgo *val-
libus*, sed *collibus* ex coniectura Lipsii
tantum non omnes edd. receperunt.

8 *Competeret animus*] sc. Sufficeret.
cf. Tac. Ann. iii. 46.

9 *Impetus capti*] cf. Supr. ii. 65.
ix. 4. Vulgo *facti* legitur.

1 *Pro signis antesignani*] Hastatos

et principes, quos etiam antepilanos
vocatos esse ex libro supr. viii. 8.
constat, hic intelligendos esse monet
Stroth.

2 *Eum motum terrae*] cf. Cic. de
Div. i. 35. Plin. H. N. ii. 84. 86.
Flor. ii. 6. Heyn. Opusc. Acad. iii. p.
259.

et robor virorum sequebantur, et ipse, quaecunque in parte U. C. 535.
 premi ac laborare senserat suos, impigre ferebat opem; A. C. 217.
 insignemque armis et hostes summa vi petebant, et tueban-
 3 tur cives: donec Insuber eques (Ducario nomen erat) facie Mors Fla-
 quoque noscens, 'Consul, en,' inquit, 'hic est,' popularibus minii.
 suis, 'qui legiones nostras cecidit, agrosque et urbem est
 'depopulatus. Iam ego hanc victimam Manibus perem-
 'ptorum foede civium dabo:' subditisque calcaribus equo,
 per confertissimam hostium turbam impetum facit: obtrun-
 catoque prius armigero, qui se infesto venienti obviam obie-
 cerat, consulem lancea transfixit. Spoliare cupientem triarii
 obicetis scutis arcuere. Magnae partis fuga inde primum Fugiant
 coepit: et iam nec lacus, nec montes obstabant pavori. Per Romani.
 omnia arcta praeruptaque velut caeci evadunt: armaque et
 viri super alium alii praecipitantur. Pars magna, ubi locus
 fugae deest, per prima vada paludis in aquam progressi,
 quoad capitibus humerisque exstare possunt, sese immergunt.
 Fuere, quos inconsultus pavor nando etiam capessere fugam
 impulerit. Quae ubi immensa ac sine spe erat, aut defici-
 entibus animis hauriebantur gurgitibus, aut nequiequam
 fessi vada retro aegerrime repetebant, atque ibi ab ingressis
 aquam hostium equitibus passim trucidabantur. Sex millia
 ferme prius agminis, per adversos hostes eruptione impigre
 facta, ignari omnium, quae post se agerentur, ex saltu
 evasere. Et, quum in tumultu quodam constitissent, cla-
 morem modo ac sonum armorum audientes, quae fortuna
 pugnae esset, neque scire, nec perspicere prae caligine
 poterant. Inclinata denique re, quum incalescente sole
 dispulsa nebula aperuisset diem, tum liquida iam luce
 montes campique perditas res stratanque ostendere foede
 Romanam aciem. Itaque, ne in conspectos procul immit-
 teretur eques, sublatis raptim signis, quam citatissimo pote-
 4 rant agmine, sese abriperunt. Postero die, quum super
 cetera extrema fames etiam instaret, fidem dante Maharbale,
 qui cum omnibus equestribus copiis nocte consecutus erat,
 si arma tradidissent, abire cum singulis vestimentis passurum,
 sese dediderunt. Quae Punica religione servata fides ab
 Hannibale est, atque in vincula omnes coniecit.

Haec est nobilis ad Trasimenum pugna, atque inter 7.
 paucas memorata populi Romani clades. Quindecim millia Numerus
 Romanorum in acie caesa sunt; decem millia, sparsa fuga caesorum
 per omnem Etruriam, diversis itineribus urbem petiere. utrinque.

3 *Insuber eques*] Adversus Insu-
 bres Gallos in priore suo consulatu
 Flaminius bellum gesserat. cf. Pol.
 ii. 32, 33.

4 *Sese abriperunt*] Illos quidem,

quum in vicum quandam Etruriae se
 recepissent, a Maharbale circumse-
 sos, ei fide accepta se dedidisse narrat
 Pol. iii. 84.

U. C. 535. Mille quingenti hostium in acie, multi postea utrimque ex 5
 A. C. 217. vulneribus periere. Multiplex caedes utrimque facta tra- 6
 ditur ab aliis. Ego, praeterquam quod nihil haustum ex 7
 vano velim, quo nimis inclinant ferme scribentium animi,
 Fabium aequalem temporibus huiusce belli potissimum auc- 8
 torem habui. Hannibal, captivorum qui Latini nominis
 essent, sine pretio dimissis, Romanis in vincula datis, segre- 9
 gata ex hostium coacervatorum cumulis corpora suorum
 quum sepeliri iussisset, Flamini quoque corpus, funeris
 causa magna cum cura inquisitum, non invenit.

Romae
 magnus ter-
 ror.

Romae, ad primum nuntium cladis eius, cum ingenti
 terrore ac tumultu concursus in forum populi est factus.
 Matronae vagae per vias, quae repens clades allata, quaeve
 fortuna exercitus esset, obvios percunctantur. Et quum
 frequentis concionis modo turba in comitium et curiam 1
 versa magistratus vocaret; tandem haud multo ante solis
 occasum M. Pomponius praetor, ‘Pugna,’ inquit, ‘magna
 ‘victi sumus:’ et, quanquam nihil certius ex eo auditum
 est, tamen alius ab alio impleti rumoribus domos referunt,
 ‘consulem cum magna parte copiarum caesum: superesse
 ‘paucos, aut fuga passim per Etruriam sparsos, aut captos
 ‘ab hoste.’ Quot casus exercitus victi fuerant, tot in curas 2
 dispersi eorum animi erant, quorum propinqui sub C.
 Flamini consule meruerant, ignorantium, quae cuiusque
 suorum fortuna esset: nec quisquam satis certum habet,
 quid aut speret aut timeat. Postero, ac deinceps aliquot
 diebus, ad portas maior prope mulierum, quam virorum,
 multitudo stetit, aut suorum aliquem, aut nuntios de his
 opperiens: circumfundebanturque obviis sciscitantes; neque
 avelli, utique ab notis, prius, quam ordine omnia inqui-
 sissent, poterant. Inde varios vultus digredientium ab
 nuntiis cerneret, ut cuique aut laeta aut tristia nuntiabantur:

5 *Multi postea utrimque ex vulne-
 ribus periere*] Assentimur Perizonio
 delenti hic vocem *utrimque*, ut male
 repetitam ex versu sequenti. Hic de
 solis Poenis agit Livius. Et sane, qui
 Romani letalia vulnera acceperant,
 eos verisimile non est, lacu, monti-
 bus clausos, nullum propinquum re-
 ceptum habentes, effugere potuisse.
 CREV.

6 *Multiplex*] Scilicet *multiplex
 maior*, quemadmodum supr. vii. 8.
multiplex quam pro numero; simili-
 ter Graeci *πολλαπλήσιον*. cf. Herod.
 iv. 50.

7 *Nihil haustum*] *Auctum* ex e-
 mend. Walchii reposuit Bekker.

8 *Fabium*] Q. Fabium Pictorem,

historiae Romanae scriptorem. Vid.
 infr. xxiii. 11.

9 *Sine pretio dimissis*] Praefatus se
 non Italis, sed Romanis bellum in-
 ferre, necnon ad ipsos Italos in liber-
 tatem vindicandos venisse. cf. Pol.
 iii. 85.

1 *Comitium*] Pars altera fori, “ad
 Curiam Hostiliam et subter rostra cu-
 riae Hostiliae affixa,” ita dicta erat,
 quod patres in ea *coibant*: in altera
 vero parte quae *forum* praecipue dice-
 batur, plebs et tribuni stabant. Ros-
 tra quidem in longum porrecta com-
 itium et forum dirimebant.

2 *Quot casus*] sc. Pro variis casibus
 victi exercitus, variis curis populus
 distrahebatur.

gratulantesque aut consolantes redeuntibus domos circum-
 fusos. Feminarum praecipue et gaudia insignia erant, et
 luctus. Unam in ipsa porta, sospiti filio repente oblatam,
 in conspectu eius exspirasse ferunt: alteram, cui mors filii
 falso nuntiata erat, maestam sedentem domi, ad primum
 conspectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam.
 Senatum praetores per dies aliquot ab orto usque ad occi-
 dentem solem in curia retinent, consultantes, quonam duce,
 aut quibus copiis, resisti victoribus Poenis posset.

8. Priusquam satis certa consilia essent, repens alia nuntiatur
 clades: quattuor millia equitum, cum C. Centenio pro-
 praetore missa ad collegam ab Servilio consule, in Umbria,
 quo post pugnam ad Trasimenum auditam averterant iter,
 ab Hannibale circumventa. Eius rei fama varie homines
 affecit. Pars, occupatis maiore aegritudine animis, levem,
 ex comparatione priorum, ducere recentem equitum iactu-
 ram: pars non id, quod acciderat, per se aestimare, sed, ut
 in affecto corpore quamvis levis causa magis, quam valido
 gravior, sentiretur: ita tum aegrae et affectae civitati quod-
 cunque adversi inciderit, non rerum magnitudine, sed viri-
 bus extenuatis, quae nihil, quod aggravaret, pati possent,
 3 aestimandum esse. Itaque ad remedium, iam diu neque
 desideratum nec adhibitum, dictatorem dicendum, civitas
 confugit: et quia et consul aberat, a quo uno dici posse
 videbatur; nec per occupatam armis Punicis Italiam facile
 erat aut nuntium, aut literas mitti; nec dictatorem populus
 creare poterat, quod nunquam ante eam diem factum erat:
 prodictatorem populus creavit Q. Fabium Maximum, et
 magistrum equitum M. Minucium Rufum. Hisque nego-
 tium ab senatu datum, ut muros turresque urbis firmarent,
 et praesidia disponderent, quibus locis videretur, pontesque
 rescinderent fluminum: ad penates pro urbe dimicandum
 esse, quando Italiam tueri nequissent.

9. Hannibal recto itinere per Umbriam usque ad Spoletum
 venit. Inde, quum perpopulato agro urbem oppugnare
 adortus esset, cum magna caede suorum repulsus, coniectans
 ex unius coloniae haud nimis prospere tentatae viribus,
 quanta moles Romanae urbis esset, in agrum Picenum
 avertit iter, non copia solum omnis generis frugum abun-
 dantem, sed refertum praeda, quam effuse avidi atque
 egentes rapiebant. Ibi per dies aliquot stativa habita:
 refectusque miles, hibernis itineribus ac palustri via proelio-
 tentat.

3 *Ad remedium, iam diu neque de-
 sideratum*] Hacc intelligenda sunt de
 dictatore rei gerundae causa creato,
 qui nullus post Atilium Calatinum
 per tres et triginta annos creatus fue-

rat. Aliquot fuere per hoc temporis
 intervallum dictatores, inter quos ipse
 Fabius, sed comitorum habendorum
 causa creati. CREV.

U. C. 535-
A. C. 217-
Vastat Ita-
liam.

Libri Si-
byllini in-
specti.

10.

que, magis ad eventum secundo, quam levi aut facili, affec-
tus. Ubi satis quieti datum, praeda ac populationibus 4
magis, quam otio aut requie, gaudentibus, profectus Prae- 5
tutianum Hadrianumque agrum, Marsos inde Marrucinosque
et Pelignos devastat, circaque Arpos et Luceriam proximam
Apuliae regionem. Cn. Servilius consul, levibus proeliis
cum Gallis actis, et uno oppido ignobili expugnato, post-
quam de collegae exercitusque caede audivit, iam moenibus
patriae metuens, ne abesset in discrimine extremo, ad urbem
iter intendit. Q. Fabius Maximus dictator iterum, quo die 6
magistratum iniit, vocato senatu, ab diis orsus, quum edo-
cuisset Patres, plus negligentia caerimoniarum auspiciorum-
que, quam temeritate atque insecitia, peccatum a C. Flamini
consule esse, quaeque piacula irae deum essent, ipsos deos
consulendos esse; pervicit, ut, quod non ferme decernitur,
nisi quum taetra prodigia nuntiata sunt, decemviri libros
Sibyllinos adire iuberentur. Qui, inspectis fatalibus libris,
retulerunt Patribus, ‘quod eius belli causa votum Marti 7
‘foret, id non rite factum, de integro atque amplius facien-
‘dum esse: et Iovi ludos magnos, et aedes Veneri Erycinae
‘ac Menti votendas esse, et supplicationem lectisternium-
‘que habendum, et ver sacrum votendum, si bellatum pro- 8
‘spere esset, resque publica in eodem, quo ante bellum
‘fuisset, statu permansisset.’ Senatus, quoniam Fabium
belli cura occupatura esset, M. Aemilium praectorem, ex
collegii pontificum sententia, omnia ea ut mature fiant, cu- 9
rare iubet. His senatusconsultis perfectis, L. Cornelius
Lentulus pontifex maximus, consulente collegio praetorum,
omnium primum populum consulendum de vere sacro cen-
set: iniussu populi voveri non posse. Rogatus in haec

4 *Ubi satis quieti*] *Quietis*, ex e-
mend. Gronov. reponendum suadent
Crev. et Bekker.

5 *Gaudentibus, profectus*] *Gauden-
tibus* pro ablativo absoluto accipien-
dum censet Stroth. sed Drak. cum
profectus iungebat, quasi dictum es-
set *cum gaudentibus profectus*.

6 *Dictator iterum*] Fuerat quidem
dictator paullo ante hoc bellum cum
C. Flamini magistro equitum; sed
ob occentum soricis auditum se mu-
nere abdicaverat, ut Valerius Maxi-
mus i. 1. narrat.

7 *Quod eius belli causa votum Mar-
ti foret*] Hoc tangit procul dubio ea
vota, quae supr. xxi. 62. dicitur C.
Atilius praetor suscipere iussus, si in
decem annos respublica eodem ste-
tisset statu. Ex hoc loco discimus,
quod prius observare neglexerat Li-

vius, id votum Marti factum fuisse.
CREV.

8 *Ver sacrum*] Quaecunque prox-
imo vere nata essent animalia, diis
sacra erant. Quum vero crudelius
videretur homines interficere, adulti,
qui in eo vere nati essent, fines mu-
tare coacti sunt. cf. Serv. ad Aen. vii.
796. Festus vv. *Ver Sacrum*. et *Ma-
mertini*. Niebhr. i. n. 280.

9 *Omnia ea ut mature fiant, cura-
re*] Non iubetur M. Aemilius ea om-
nia per se ipse peragere, sed curare
ut mature fiant. Itaque nihil repug-
nat huic loco, quod infr. xxxiii. 44.
A. Cornelius Mammula ver sacrum
vovisse dicitur. Sic et infr. 10. aedes
Veneri Erycinae vovetur a Fabio dic-
tatore, Menti, a T. Otacilio praetore.
CREV.

verba populus, 'Velitis iubeatisue hoc sic fieri? si respublica U. C. 535.
 'populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum, A. C. 217.
 'sicut velim eam, salva servata erit hisce duellis; (quod
 'duellum populo Romano cum Carthaginiensi est, quaeque
 1 'duella cum Gallis sunt, qui eis Alpes sunt) datum donum
 'duit populus Romanus Quiritium, quod ver attulerit ex
 2 'suillo, ovillo, caprino, bovillo grege, quaeque profana erunt,
 3 'Iovi fieri, ex qua die senatus populusque iusserit. Qui
 4 'faciet, quando volet, quaque lege volet, facito: quo modo
 'faxit, probe factum esto. Si id moritur, quod fieri oportet,
 'tebit, profanum esto, neque scelus esto. Si quis rumpet
 5 'occidetve insciens, ne fraus esto. Si quis clepsit, ne populo
 6 'scelus esto, neve cui cleptum erit. Si atro die faxit
 'insciens, probe factum esto. Si nocte sive luce, si servus
 7 'sive liber faxit, probe factum esto. Si antidea senatus
 'populusque iusserit fieri, ac faxit, eo populus solutus, liber
 8 'esto.' Eiusdem rei causa ludi magni voti aeris trecentis Ludi magni.
 triginta tribus millibus, trecentis triginta tribus, triente: ni.
 praeterea bubus Iovi trecentis, multis aliis divis bubus albis,
 atque ceteris hostiis. Votis rite nuncupatis, supplicatio
 edicta: supplicatumque iere cum coniugibus ac liberis non
 urbana multitudo tantum, sed agrestium etiam, quos in
 aliqua sua fortuna publicae quoque contingebat cura. Tum Lectisternium.
 lectisternium per triduum habitum, decemviris sacrorum
 curantibus. Sex pulvinaria in conspectu fuere: Iovi ac
 Iunoni unum: alterum Neptuno ac Minervae; tertium
 Marti ac Veneri; quartum Apollini ac Dianae; quintum
 Vulcano ac Vestae; sextum Mercurio ac Cereri. Tum Aedes Veneri et
 aedes votae. Veneri Erycinac aedem Q. Fabius Maximus Menti votae.
 dictator vovit; quia ita ex fatalibus libris editum erat, ut is

1 *Donum duit*] *Duit* antiqua forma vocis *det*, ut supr. x. 19. Sollemnem voti formulam bene illustrat illa quae occurrit infr. xxxvi. 2.

2 *Quaeque profana erunt*] Quae non sacra iam erunt alii cuiuspiam divo. Itaque, si quae antea consecrata fuissent, ea hoc voto non continebantur. CREV.

3 *Iovi fieri*] Quemadmodum Graece vox *ἑῶν* de sacrificiis dicitur, ita *facere* et *fieri* Latine usurpantur.

4 *Ex qua die senatus populusque iusserit*] Nimirum ad arbitrium senatus populi que reservabatur, quo die ver sacrum incipere deberet. Unde infr. xxxiv. 44. ubi hoc veris sacri votum persolvitur, decernitur *ver sacrum videri pecus, quod natum esset inter Kalendas Martias, et pridie Kalendas Maias*. CREV.

5 *Clepsit*] Furatus fuerit: *cleptum*, furto subductum; a Graeco *κλέπτω*. cf. Cie. de Legg. ii. 9.

6 *Atro die*] *Atro* dies iidem erant, qui *religiosi*, quibus nempe vel rem divinam facere, vel rem novam quampiam exordiri religioni erat. cf. A. Gell. v. 17.

7 *Si antidea*] *Si senatus populusque iusserit fieri*, sive immolari. *antidea ac faxit*, id est, priusquam privatus quispiam faxit, sive immolaverit: si privatus aliquis immolaverit pecus votum post diem a senatu populoque praefinitum, id ne fraudi sit populo. *Antidea ac antiquae pro antea ac*, i. e. *priusquam*, sicut *postidea* pro *postea*. cf. Plaut. Cist. Act. ii. Sc. i. 3. Aulul. Act. i. Sc. ii. 40.

8 *Trecentis triginta tribus*] cf. Niebhr. ii. n. 1296.

U. C. 535. voveret, cuius maximum imperium in civitate esset. Menti
A. C. 217. acdem T. Otacilius praetor vovit.

11. Ita rebus divinis peractis, tum de bello reque de publica dictator retulit, quibus quotve legionibus victori hosti obviam eundum esse Patres censerent. Decretum, 'ut ab 'Cn. Servilio consule exercitum acciperet: scriberet praeterea ex civibus sociisque, quantum equitum ac peditum videretur: cetera omnia ageret faceretque, ut e republica 'duceret.' Fabius duas se legiones adiecturum ad Servilianum exercitum dixit. His, per magistrum equitum scriptis, Tibur diem ad conveniendum edixit. Edictoquoque proposito, ut quibus oppida castellaque immunita essent, 9 uti in loca tuta commigrarent; ex agris quoque demigrarent omnes regionis eius, qua iturus Hannibal esset, tectis prius incensis ac frugibus corruptis, ne cuius rei copia esset; ipse, via Flaminia profectus obviam consuli exercituique, 1 quum ad Tiberim circa Oriculum prospexisset agmen, consulemque cum equitibus ad se prodeuntem, viatorem misit, qui consuli nuntiaret, ut sine lictoribus ad dictatorem veniret. Qui quum dicto paruisset, congressusque eorum ingentem speciem dictaturae apud cives sociosque, vetustate iam prope oblitos eius imperii, fecisset; literae ab 2 urbe allatae sunt, naves onerarias, commeatum ab Ostia in Hispaniam ad exercitum portantes, a classe Punica circa 3 portum Cosanum captas esse. Itaque extemplo consul Ostiam proficisci iussus, navibusque, quae ad urbem Romanam aut Ostiae essent, completis milite ac navalibus sociis, persequi hostium classem, ac litora Italiae tutari. Magna vis hominum conscripta Romae erat: libertini etiam, 4 quibus liberi essent, et aetas militaris, in verba iuraverant. Ex hoc urbano exercitu, qui minores quinque et triginta annis erant, in naves impositi: alii, ut urbi praesiderent, relict.

12. Dictator, exercitu consulis accepto a Fulvio Flacco legato, per agrum Sabinum Tibur, quo diem ad conveniendum edixerat novis militibus, venit: inde Praeneste, ac transversis limitibus in viam Latinam est egressus: unde,

9 *Ut quibus oppida . . . uti*] Non raro geminat hanc particulam Livius. Exempla pete infr. xxviii. 9. xxxvi. 1. 3. CREV.

1 *Via Flaminia*] Via munita ab hoc ipso Flaminio, qui modo ad Trasimenum lacum periisse memoratus est. Munerat illam ab Roma Ariminum usque, quum esset censor, quarto ante hunc anno. CREV.

2 *Oblitos eius imperii*] Quippe comitiorum Romae habendorum, non

rei foris gerundae causa dictatores post annum U. C. 504. creabantur.

3 *Circa portum Cosanum*] Cosa, sive Cossa, oppidum Etruriae non longe a mari situm. Plin. H. N. iii. 5. Portus Cosanus idem, qui portus Herculis erat.

4 *Libertini etiam, quibus liberi essent*] De libertinis centuriatis cf. supr. x. 21. Ceterum ii, quibus liberi essent, reipublicae obsides quodammodo dederant.

itineribus summa cum cura exploratis, ad hostem ducit; U. C. 535.
 nullo loco, nisi quantum necessitas cogeret, fortunae se A. C. 217.
 5 commissurus. Quo primum die haud procul Arpis in con- Fabius pug-
 spectu hostium posuit castra, nulla mora facta, quin Poenus nam detrec-
 educeret in aciem, copiamque pugnandi faceret: sed ubi tat.
 6 quieta omnia apud hostes, nec castra ullo tumultu mota
 videt; increpans quidem, victos tandem quoque Martios
 animos Romanis, debellatumque, et concessum propalam
 7 de virtute ac gloria esse, in castra rediit: ceterum tacita
 cura animum incensus, quod cum duce, haudquaquam
 Flaminio Sempronioque simili, futura sibi res esset; ac
 tum demum edocti malis Romani parem Hannibali ducem
 8 quaesissent. Et prudentiam quidem, non vim, dictatoris
 extemplo timuit. Constantiam haud dum expertus, agitare
 ac tentare animum movendo crebro castra, populandoque
 in oculis eius agros sociorum, coepit. Et modo citato
 agmine e conspectu alibat, modo repente in aliquo flexu
 viae, si excipere degressum in aequum posset, occultus
 subsistebat. Fabius per loca alta agmen ducebat, modico Fabii artes.
 ab hoste intervallo, ut neque omitteret eum, neque con-
 grederetur. Castris, nisi quantum usus necessario cogeret,
 tenebatur miles. Pabulum et ligna nec pauci petebant,
 nec passim. Equitum levisque armaturae statio, composita
 instructaque in subitos tumultus, et suo militi tuta omnia,
 et infesta effusis hostium populatoribus praebebat. Neque
 universo periculo summa rerum committebatur: et parva
 momenta levium certaminum ex tuto coeptorum, finitimo
 receptu, assuefaciebant territum pristinis cladibus militem,
 9 minus iam tandem aut virtutis aut fortunae poenitere suae.
 Sed non Hannibalem magis infestum tam sanis consiliis
 1 habebat, quam magistrum equitum: qui nihil aliud, quam Mag. equi-
 quod impar erat imperio, morae ad rempublicam praecipit- tum impru-
 tandam habebat. Ferox rapidusque in consiliis, ac lingua dentia.
 immodicus, primo inter paucos, dein propalam in vulgus,
 pro cunctatore segnem, pro cauto timidum, affingens vicina
 virtutibus vitia, compellabat: premendoque superiorem
 (quae pessima ars nimis prosperis multorum successibus
 crevit) sese extollebat.

5 *Haud procul Arpis*] Polybius circa Accas, urbem Apuliae, itidem Dauniae, Fabio obvium fuisse Hannibalem scribit. CREV.

6 *Victos tandem quoque*] Quoque ex conjectura Gronov. recepit Drak. sed Bekker. omisit.

7 *Ceterum tacita cura animum incensus*] *Animum incessit* Muretus emendavit, et Bekker. reposuit.

8 *Non vim, dictatoris*] *Novi ductoris* ex conjectura Gronov. recepit Bekker.

9 *Minus ... poenitere*] i. e. Minus diffidere aut virtuti aut fortunae suae. CREV.

1 *Quam quod impar erat*] Quem nihil aliud a praecipitanda republica morabatur, quam quod dictatoris cedere deberet imperio. DOER.

U. C. 535.
A. C. 217.
13.

Hannibal
Campaniam
petit.

Imperat
duci ut se
Casinum
ducat.

Casilinum
deducitur.

Hannibal ex Hirpinis in Samnium transit: Beneventanum depopulatur agrum: Telesiam urbem capit: irritat etiam de industria ducem, si forte accensum tot indignitatibus cladibusque sociorum detrahere ad aequum certamen possit. Inter multitudinem sociorum Italici generis, qui ad Trasimenum capti ab Hannibale dimissique fuerant, tres Campani equites erant, multis iam tum illecti donis promissisque Hannibalis ad conciliandos popularium animos. Hi nuntiantes, si in Campaniam exercitum admovisset, Capuae potiendae copiam fore, quum res maior, quam auctores, esset, dubium Hannibalem, alternisque fidentem ac diffidentem, tamen, ut Campanos ex Samnio peteret, moverunt; monitos, ut etiam atque etiam promissa rebus affirmarent, iussosque, cum pluribus et aliquibus principum redire ad se, dimisit. Ipse imperat duci, ut se in agrum Casinatem ducat: edoctus a peritis regionum, si eum saltum occupasset, exitum Romano ad opem ferendam sociis interclusurum. Sed Punicum abhorrens ab Latinorum nominum prolatione, pro Casino Casilinum dux ut acciperet, fecit; aversusque ab suo itinere, per Allifanum, Calatinumque, et Calenum agrum, in campum Stellatam descendit: ubi quum montibus fluminibusque clausam regionem circumspexisset, vocatum ducem percunctatur, ubi terrarum esset? Quum is Casilini eo die mansurum eum dixisset, tum demum cognitus est error, et Casinum longe inde alia regione esse: virgisque caeso duce, et ad reliquorum terrorem in crucem sublato, castris communitis, Maharbalem cum equitibus in agrum Falernum praedatum dimisit. Usque ad aquas Sinuessanas populatio ea per-

2 *Quum res maior, quam auctores, esset*] Quum res maior esset, quam quanta erat auctoritas et potentia eorum qui ad eam aggrediendam hortabantur. CREV.

3 *Monitos, ut etiam atque etiam promissa*] Recte monet Gronovius legendum videri: *monitosque etiam atque etiam ut promissa*. CREV.

4 *Sed Punicum*] h. e. Punismus, Punica pronuntiatio, *abhorrens ab Latinorum nominum prolatione*, ut fere ap. Cic. pro Arch. 8. *Cordubae nalis poetis pingue quiddam sonantibus atque peregrinum*. STR. Gronovius, quem secuti sunt Cler., Crev., Drak. et Bekker, post *abhorrens* inseruit *os*, et haec notavit: "Punicum hoc os est ipsius Hannibalis iubentis Casinum duci, eamque vocem ita pronuntiando trahentis, ut *dux* viarum Casilinum nuncupari putaret; est

enim proprium vitium Afrorum in pronuntiatione *Labdacismus*, si pro uno *L* duo pronuntiantur, ut *Afri faciunt*: (v. Isidor. Orig. i. 30.) sed definitio haec nimis angusta; immititur enim et nonnullis naturali vitio, ubi prorsus non est." Ceterum de tota hac re nihil ap. Polyb. et Appian. *Casinum* vero est opp. extremum Volscorum et Latii septentrionalis trans Lirim; (h. Casino) et *Casilinum* in Campania mediterranea, ubi nunc *Capua* nova, ad utramque ripam Vulturini, per mediam urbem fluentis. RUP.

5 *Aguas Sinuessanas*] Prope Sinuessam aquae fucere celebres apud antiquos, ut apparet ex Plin. H. N. xxxi. 2, et Tac. Ann. xii. 66. et Hist. i. 72. Eas calidas fuisse demonstrat Silius, a quo dicitur *Sinuessae tepens*, viii. 528. CREV.

venit. Ingentem cladem, fugam tamen terroremque latius, U. C. 535.
 Numidae fecerunt. Nec tamen is terror, quum omnia A. C. 217.
 6 bello flagrarent, fide socios dimovit: videlicet quia iusto
 et moderato regebantur imperio; nec abnucebant, quod
 unum vinculum fidei est, melioribus parere.

Ut vero ad Vulturum flumen castra sunt posita, exure- 14.
 baturque amoemissimus Italiae ager, villaeque passim in-
 cendiis fumabant, per iuga Massici montis Fabio dicente,
 tum prope de integro seditio accensa. Quieverant enim Seditio in
 per paucos dies; quia, quum celerius solito ductum agmen castris Fa-
 fuisset, festinari ad prohibendam populationibus Campa-
 niam crediderant. Ut vero in extrema iuga Massici mon-
 tis ventum est, hostesque sub oculis erant, Palerni agri
 colonorumque Sinuessae tecta urentes, nec ulla erat mentio
 pugnae, 'Spectatumne huc,' inquit Minucius, 'ut rem Minucii se-
 'fruendam oculis, sociorum caedes et incendia, venimus? ditiosa ora-
 'Nec, si nullius alterius nos, ne civium quidem horum tio.
 'pudet, quos Sinuessam colonos patres nostri miserunt, ut
 'ab Samnite hoste tuta haec ora esset: quam nunc non
 'vicinus Samnis urit, sed Poenus advena, ab extremis orbis
 'terrarum terminis, nostra cunctatione et socordia, iam huc
 'progressus. Tantum, pro! degeneramus a parentibus
 'nostris, ut, praeter quam oram illi Punicas vagari classes,
 'dedecus esse imperii sui duxerint, eam nos nunc plenam
 'hostium Numidarumque ac Maurorum iam factam videamus? Qui modo, Saguntum oppugnari indignando, non
 'homines tantum, sed foedera et deos, ciebamus, scanden-
 'tem moenia Romanae coloniae Hannibalem lenti specta-
 'mus. Fumus ex incendiis villarum agrorumque in oculos
 'atque ora venit; strepunt aures clamoribus plorantium
 'sociorum, saepius nos, quam deorum invocantium opem.
 'Nos hic pecorum modo per aestivos saltus deviasque calles
 'exercitum ducimus, conditi nubibus silvisque. Si hoc
 'modo peragrando cacumina saltusque M. Furius recipere
 'a Gallis urbem voluisset, quo hic novus Camillus, nobis
 'dictator unicus in rebus affectis quaesitus, Italiam ab Han-
 'nibale recuperare parat, Gallorum Roma esset: quam
 'vereor, ne, sic cunctantibus nobis, Hannibali ac Poenis
 'toties servaverint maiores nostri. Sed vir, ac vere Roma-
 7 nus, quo die, dictatorem cum ex auctoritate Patrum ius-
 'suque populi dictum, Veios allatum est, quum esset satis
 'altum Ianiculum, ubi sedens prospectaret hostem, descen-
 'dit in aequum: atque illo ipso die media in urbe, qua

6 *Videlicet quia iusto*] In hanc inter commissam Camillo dictatorem
 sententiam Pol. iii. 90. accedit. potestatem, et pugnam adversus Gal-

7 *Quo die . . . illo ipso die*] Ex rei veritate aliquot dies intercesserunt
 los. Sed praeproperi ingenii concei-
 nator celeritatem Camilli supra ve-

U. C. 535. 'nunc busta Gallica sunt, et postero die citra Gabios cecidit
 A. C. 217. 'Gallorum legiones. Quid? post multos annos, quum ad 8
 'Furculas Caudinas ab Samnite hoste sub iugum missi
 'sumus, utrum tandem L. Papirius Cursor iuga Samnii
 'perlustrando, an Luceriam premendo obsidendoque, et
 'laccessendo victorem hostem, depulsum ab Romanis cervi-
 'cibus iugum superbo Samniti imposuit? Modo C. Lu- 9
 'tatio quae alia res, quam celeritas, victoriam dedit? quod
 'postero die, quam hostem vidit, classem gravem com-
 'meatibus, impeditam suomet ipsam instrumento atque ap-
 'paratu, oppressit. Stultitia est, sedendo aut votis debel-
 'lari credere posse. Armari copias oportet, deducendas in
 'aequum, ut vir cum viro congrediari. Audendo atque
 'agendo res Romana crevit, non his segnibus consiliis, quae
 'timidi cauta vocant.' Haec velut concionanti Minucio
 circumfundebatur tribunorum equitumque Romanorum
 multitudo, et ad aures quoque militum dicta ferocia volve-
 bantur: ac, si militaris suffragii res esset, haud dubie fere- 1
 bant, Minucium Fabio duci praelaturos.

15. Fabius pariter, in suos haud minus quam in hostes in-
 tentus, prius ab illis invictum animum praestat. Quanquam 2
 Fabius in cunctatione perstat. probe scit, non in castris modo suis, sed iam etiam Romae
 infamem suam cunctationem esse, obstinatus tamen eodem
 consiliorum tenore aestatis reliquum extraxit: ut Hannibal,
 destitutus ab spe summo opere petiti certaminis, iam hibernis
 locum circumspectaret: quia ea regio praesentis erat copiae, 3
 non perpetuae, arbusta vineaeque, et consita omnia magis
 amoenis, quam necessariis fructibus. Haec per explora-
 tores relata Fabio. Quum satis sciret, per easdem angus-
 tias, quibus intraverat Falernum agrum, rediturum, Calli-
 culam montem et Casilinum occupat modicis praesidiis;
 quae urbs, Vulturno flumine dirempta, Falernum ac Cam-
 panum agros dividit: ipse iugis iisdem exercitum reducit,
 misso exploratum cum quadringentis equitibus sociorum
 Mancinus L. Hostilio Mancino. Qui ex turba iuvenum audientium
 saepe ferociter concionantem magistrum equitum, progres-
 sus primo exploratoris modo, ut ex tuto specularetur hos-

rum exauget, ut maiore invidia one-
 ret Fabii cunctationem. CREV. cf.
 supr. v. 48.

8 *Ad Furculas Caudinas*] cf. Supr.
 ix. 5, 6.

9 *Modo C. Lutatius*] Bello Punico
 primo, intervallo xxvi. annorum. cf.
 Pol. i. 60, 61.

1 *Haud dubie ferebant*] Prae se
 ferebant, iactabant. cf. supr. xxi. 41.

2 *Prius ab illis*] Primum certa-

men erat Fabio cum suis; et, quo se
 invictum praestaret ab hostibus, prius
 necesse erat, ut se invictum praestaret
 a suis. Codices aliis, sed illis ex
 emend. Gronov. edd. omnes probant.

3 *Praesentis erat copiae, non per-
 petuae*] Ea regio in praesens aestatis
 tempus, non in totum annum submi-
 nistrare poterat ea, quae alendo exer-
 citui necessaria erant. CREV.

tem, ubi vagos passim per vicos Numidas vidit, per occa-^{U. C. 535.}
sionem etiam paucos occidit. Extemplo occupatus certa-^{A. C. 217.}
mine est animus, excideruntque praecepta dictatoris; qui,
quantum tuto posset, progressum prius recipere sese iusserat,
quam in conspectum hostium veniret. Numidae, alii atque alii
occursantes refugientesque, ad castra prope ipsum cum
fatigatione equorum atque hominum pertraxere. Inde Carthalo,
penes quem summa equestri imperii erat, concitatis equis
invectus, quum prius, quam ad coniectum teli veniret, avertisset
hostem, quinque millia ferme continenti cursu secutus est
fugientes. Mancinus, postquam nec hostem desistere sequi,
nec spem vidit effugiendi esse, cohortatus suos in proelium
rediit, omni parte virium impar. Itaque ipse, et delecti
equitum, circumventi occiduntur: ceteri effuso rursus cursu
Cales primum, inde prope inviis callibus ad dictatorem
perfugerunt.

Eo forte die Minucius se coniunxerat Fabio, missus ad
firmandum praesidio saltum, qui super Tarracinam, in artas
4 coactus fauces, imminet mari, ne, immunito Appiae limite,
Poenus pervenire in agrum Romanum posset. Coniunctis
exercitibus dictator ac magister equitum castra in viam
deferunt, qua Hannibal ducturus erat. Duo inde millia
hostes aberant. Postero die Poeni, quod viae inter bina 16.
castra erat, agmine complevere. Quum Romani sub ipso
constitissent vallo, haud dubie aequiore loco, successit
5 tamen Poenus cum expeditis equitibus, atque ad lacessendum
hostem carptim et proeursando recipiendoque sese
pugnare. Restitit suo loco Romana acies. Lenta pugna
et ex dictatoris magis, quam Hannibalis, fuit voluntate.
Ducenti ab Romanis, octingenti hostium cecidere.

Inclusus inde videri Hannibal, via ad Casilinum obsessa:
quum Capua et Samnium, et tantum ab tergo divitum so-^{Inclusus Hannibal se explicat arte.}
ciorum Romanis commeatus subveheret; Poenus contra
inter Formiana saxa ac Literni arenas stagnaque perhorrida
situ hibernaturus esset. Nec Hannibalem fefellit, suis se
artibus peti. Itaque, quum per Casilinum evadere non
6 posset, petendique montes et iugum Calliculae superandum
esset; necubi Romanus inclusum vallibus agmen aggredere-
retur, ludibrium oculorum, specie terribile, ad frustrandum
hostem commentus, principio noctis furtim succedere ad

4 *Immunito Appiae limite*] Si limes Appiae viae, ferens ab Tarracina in Romanum agrum, munitus praesidio non esset. CREV. Ceterum *ab Sinu-essa* ex emend. Gronov. pro *immunito* reposuit Bekker.

5 *Ad lacessendum hostem carptim*]

Pro *carptim* Bekkerus *capiti impetus* ex emend. Gronov. reposuit.

6 *Iugum Calliculae*] Quod Faler-num agrum a septentrione claudit, et supra quem est Campus Stellatis. RCP.

U. C. 535.
A. C. 217.
Boves accensis cornibus.

- montes statuit. Fallacis consilii talis apparatus fuit. Faces undique ex agris collectae, fascisque virgarum atque arida sarmata praeligantur cornibus boum, quos domitos indomitosque multos inter ceteram agrestem praedam agebat. Ad duo millia ferme boum effecta: Hasdrubalique negotium datum, ut primis tenebris noctis id armentum accensis cornibus ad montes ageret; maxime, si posset, super saltus ab hoste insessos. Primis tenebris silentio mota castra; boves aliquanto ante signa acti. Ubi ad radices montium viasque angustas ventum est, signum extemplo datur, ut accensis cornibus armenta in adversos concitentur montes. Et metus ipse relucens flammae ex capite, calorque, iam ad vivum, ad imaque cornuum adveniens, velut stimulatus furore agebat boves. Quo repente discursu, haud secus quam silvis montibusque accensis, omnia circum virgulta ardere: capitumque irrita quassatio, excitans flammam,⁷ hominum passim discurrentium speciem praebebat. Qui ad transitum saltus insidendum locati erant, ubi in summis montibus ac super se quosdam ignes conspexerunt, circumventos se esse rati, praesidio excessere; qua minime densae micabant flammae, velut tutissimum iter, petentes summa montium iuga, tamen in quosdam boves palatos ab suis gregibus inciderunt. Et primo, quum procul cernerent, veluti flammam spirantium miraculo attoniti constiterunt: deinde, ut humana apparuit fraus, tum vero insidias rati esse, dum maiore metu concitant se in fugam, levi quoque armaturae hostium incurrere. Ceterum nox aequato timore neutros pugnam incipientes ad lucem tenuit. Interea, toto agmine Hannibal transducto per saltum, et quibusdam in ipso saltu hostium oppressis, in agro Allifano posuit castra.
18. Hunc tumultum sensit Fabius. Ceterum et insidias esse ratus, et ab nocturno utique abhorrens certamine, suos munimentis tenuit. Luce prima sub iugo montis proelium fuit; quo interclusam ab suis levem armaturam facile (etenim numero aliquantum praestabant) Romani superassent, nisi Hispanorum cohors, ad id ipsum remissa ab Hannibale, praevenisset. Ea assuetior montibus, et ad concurrendum inter saxa rupesque aptior ac levior, quum velocitate corporum, tum armorum habitu, campestem hostem, gravem armis statariumque, pugnae genere facile elusit. Ita haudquaquam pari certamine digressi, Hispani fere

Leve
proelium.

⁷ *Capitumque irrita quassatio*] Dum frustra excutere ignem moliuntur. Haec emendatio loci in omnibus mss. imprimis corrupti I. Fr. Gronov. debetur.

⁸ *Praesidio excessere*] h. e. Statio-

nem, ubi in praesidio locati fuerunt, reliquerunt. DOER.

⁹ *Remissa ab Hannibale, praevenisset*] Vulgo *pervenisset*, pro quo ponendum *supervenisset* concecit Gronov. et probat Bekker.

omnes incolumes, Romani, aliquot suis amissis, in castra U. C. 535.
contenderunt. A. C. 217.

Fabius quoque movit castra: transgressusque saltum super Allifas, loco alto ac munito consedit. Tum, per Samnium Roman se petere simulans, Hannibal usque in Pelignos populabundus rediit. Fabius medius inter hostium agmen urbemque Roman iugis ducebat; nec absistens, nec congregiens. Ex Pelignis Poenus flexit iter, retroque Apuliam repetens, Geronium pervenit, urbem metu, quia collapsa ruinis pars moenium erat, ab suis desertam. Dictator in Larinate agro castra communiit. Inde sacrorum causa Roman revocatus, non imperio modo, sed Dictator it Roman.
consilio etiam, ac prope precibus agens cum magistro equitum, 'ut plus consilio, quam fortunae, confidat: et se potius ducem, quam Sempronium Flaminiumque, imitetur. Ne
3 'nihil actum censeret, extracta prope aestate per ludificationem hostis. Medicos quoque plus interdum quiete, quam movendo atque agendo, proficere. Haud parvam rem esse, ab toties victore hoste vinci desisse, et ab continuis cladibus respirasse.' Haec nequicquam praemonito magistro equitum, Roman est profectus.

Principio aetatis, qua haec gerebantur, in Hispania quoque terra marique coeptum bellum est. Hasdrubal ad eum 19.
Res gestae in Hispania.
navium numerum, quem a fratre instructum paratumque acceperat, decem adiecit: quadraginta navium classem Himilconi tradidit: atque ita Carthagine profectus navibus prope terram, exercitum in litore ducebat, paratus confligere, quacunque parte copiarum hostis occurrisset. Cn. Scipioni, postquam movisse ex hibernis hostem audivit, primo idem consilii fuit: deinde, minus terra, propter ingentem famam novorum auxiliorum, concurrere ausus,
4 delecto milite ad naves imposito, quinque et triginta navium classe ire obviam hosti pergit. Altero ab Tarracone die ad stationem, decem millia passuum distantem ab ostio Iberi amnis, pervenit. Inde duae Massiliensium speculatoriae

1 *Geronium pervenit*] Apuliae urbes: (*castellum Apuliae inops* dicitur infr. 39.) nam ibi et Luceriae magnam frumenti copiam esse audiverat. cf. Schweigh. ad Polyb. iii. 100. et Appian. Hannib. 15. Rur.

2 *Ac prope precibus agens*] Pendet oratio, nec concluditur nisi post absolutam totam Fabii orationem, his nempe verbis, *Roman est profectus*. Vide similiter interpositam duobus unius periodi membris orationem, supr. v. 24. CREV.

3 *Extracta prope aestate per ludificationem hostis*] Sigonius maluerat

exacta, et ei obtemperaverant editores. Sed pro ea lectione quam revocamus, stat sermonis elegantia et proprietate: stant quoque plurimi et optimi codices Gronovio inspecti, et unus e nostris. CREV.

4 *Delecto milite ad naves imposito*] Bene monet Gronov. non iungendum esse *ad naves imposito*, sed *milite ad naves delecto*. cf. Pol. iii. 95. Similiter ap. Thucyd. viii. 24. ἐπιβάται τῶν ὀπλιτῶν ἐκ καταλόγου navibus Atheniensibus extra ordinem impositi sunt.

U. C. 535. praemissae retulerunt, classem Punicam stare in ostio
 A. C. 217. fluminis, castraque in ripa posita. Itaque, ut improvidos incautosque universo simul offuso terrore opprimeret, sub- 5
 latis ancoris ad hostem vadit. Multas et locis altis positas turres Hispania habet, quibus et speculis et propugnaculis adversus latrones utuntur. Inde primo, conspectis hostium navibus, datum signum Hasdrubali est; tumultusque prius in terra et castris, quam ad mare et ad naves, est ortus, nondum aut pulsu remorum strepituque alio nautico exaudito, aut aperientibus classem promontoriis: quum repente eques, alius super alium ab Hasdrubale missus, vagos in litore quietosque in tentoriis suis, nihil minus quam hostem aut proelium eo die expectantes, conscendere naves propere atque arma capere iubet: classem Romanam iam haud procul portu esse. Haec equites dimissi passim imperabant. Mox Hasdrubal ipse cum omni exercitu aderat: varioque omnia tumultu strepunt, ruentibus in naves simul remigibus militibusque, fugientium magis e terra, quam in pugnam euntium modo. Vixdum omnes conscenderant, quum alii, resolutis oris, in ancoras evehuntur: alii, ne 6
 quid teneat, ancoralia incidunt: raptimque omnia praeproperere agendo, militum apparatu nautica ministeria impediuntur, trepidatione nautarum capere et aptare arma miles prohibetur. Et iam Romanus non appropinquabat modo, sed direxerat etiam in pugnam naves. Itaque non ab hoste et proelio magis Poeni, quam suomet ipsi tumultu turbati, tentata verius pugna, quam inita, in fugam averterunt classem. Et quum adversi amnis os lato agmine ac tam multis simul venientibus haud sane intrabile esset, in litus passim naves egerunt: atque alii vadis, alii siccio litore excepti, partim armati, partim inermes, ad instructam per litus aciem suorum perfergere. Duae tamen primo concursu 20.
 captae erant Punicae naves, quattuor suppressae. Romani, quanquam terra hostium erat, armataque aciem toto praetentam in litore cernebant, haud cunctanter insecuti trepidam hostium classem, naves omnes, quae non aut perfregerant proras litore illisas, aut carinas fixerant vadis, re- 7
 ligatas puppibus in altum extraxere: ad quinque et viginti naves ex quadraginta cepere.

Neque id pulcherrimum eius victoriae fuit, sed quod una

5 *Offuso terrore*] *Offuso* emendavit Walehius. Vulgo *effuso* legitur.

6 *Resolutis oris*] *Orae* retinacula erant quibus puppis littori alligabatur, *anchorae* autem de prora missae sunt. Hinc naves plerumque duplici vinculo tenebantur, ita ut puppis in litus versa sit, prora altum spectaret,

unde *resolutis oris*, necdum levatis anchoris, naves in anchoras evectae sint, et hostium impetus puppibus exciperent.

7 *Religatas puppibus*] cf. Thuecyd. i. 50. Pol. iii. 96. *Quadraginta* pro *triginta* emendavit Sigonius.

8 levi pugna toto eius orae mari potiti erant. Itaque ad Ho-
 noscam classe provecti, exscensione ab navibus in terram
 facta, quum urbem vi cepissent, captanque diripuissent,
 Carthaginem inde petunt: atque, omnem agrum circa de-
 populati, postremo tecta quoque coniuncta muro portisque
 9 incenderunt. Inde iam praeda gravis ad Longunticam
 pervenit classis: ubi vis magna sparti ad rem nauticam con-
 gesta ab Hasdrubale. Quod satis in usum fuit, sublato,
 ceterum omne incensum est. Nec continentis modo pro-
 iectas oras praetervecta, sed in Ebusum insulam transmissum.
 Ubi urbe, quae caput insulae est, biduum nequicquam
 summo labore oppugnata, ubi in spem irritam frustra teri
 tempus animadversum est, ad populationem agri versi,
 direptis aliquot incensisque vicis, maiore, quam ex conti-
 nenti, praeda parta, quum in naves se recepissent, ex Bali-
 aribus insulis legati pacem petentes ad Scipionem venerunt.
 Inde flexa retro classis, reditumque in citeriora provinciae;
 quo omnium populorum, qui cis Iberum incolunt, multorum
 et ultimae Hispaniae legati concurrerunt. Sed qui vere
 ditionis imperiique Romani facti sunt, obsidibus datis,
 populi, amplius fuerunt centum viginti. Igitur terrestribus
 1 quoque copiis satis fidens Romanus usque ad saltum Castu-
 lonensem est progressus. Hasdrubal in Lusitaniam ac pro-
 prius Oceanum concessit.

Ebusus in-
 sula direp-
 ta.

Quietum inde fore videbatur reliquum aetatis tempus,
 fuissetque per Poenum hostem; sed, praeterquam quod
 ipsorum Hispanorum inquieta avidaque in novas res sunt
 2 ingenia, Mandonius Indibilisque, qui antea Ilergetum re-
 gulus fuerat, postquam Romani ab saltu recessere ad mari-
 timam oram, concitis popularibus, in agrum pacatum
 sociorum Romanorum ad populandum venerunt. Adversus
 3 eos tribunus militum cum expeditis auxiliis, a Scipione

8 *Ad Honoscam*] Quam urbem, non aliis memoratam, in Tarracon. Hispania inter Carthaginem novam et Iberum sitam fuisse putant. RUP. Ceterum *Etoivissam* coniecit I. Gronov. et *Onusam* reposuit Bekker.

9 *Ad Longunticam*] Urbem non aliunde notam. *Ubi vis magna sparti*, quod *spartum* Graecis dicitur frutex, inpr. genista, at Romanis iuncus Hispanicus, cuius maxima erat copia in campis Carthagini novae vicinis; unde ea quoque *Spartaria* et *Σπαρταρηνής* dicta. RUP. De multiplice huius herbae usu cf. Plin. H. N. xix. 2. xxiv.-9. Inter alia funes e sparto parabantur, quos Plinius *praecipue in aquis marique invictos* ap-

pellat. cf. infr. xxvi. 47.

1 *Saltum Castulonensem*] Ad ripas Boetis fluminis prope Castulonem Oretanorum urbem maximam. De quo Asinius Pollio in Cic. Epist. ad Div. x. 31. *Saltus Castulonensis, qui semper tenuit nostros tabellarios, etsi nunc frequentioribus latrociniiis infestior factus est.*

2 *Antea*] Antequam Ilergetum gens sub ius ditionemque Romanorum redigeretur a Cn. Scipione, quod memoratum est supr. xxi. 61. CREV.

3 *Auxiliis*] Copiis auxiliaribus, quae non Romanae nec Latinae essent, sed ex aliis gentibus quae se adiunxerant Romanis. CREV.

U. C. 535. missi, levi certamine, ut tumultuariam manum, fudere
 A. C. 217. omnes; occisis quibusdam captisque, magna pars armis exuta.
 Hic tamen tumultus cedentem ad Oceanum Hasdrubalem
 cis Iberum ad socios tutandos retraxit. Castra Punica in
 agro Ilereaonensium, castra Romana ad Novam Classem ⁴
 erant, quum fama repens alio avertit bellum. Celtiberi,
 qui principes regionis suae legatos miserant, obsidesque de-
 derant Romanis, nuntio misso a Scipione exciti, arma capiunt,
 provinciamque Carthaginensium valido exercitu invadunt:
 tria oppida vi expugnant. Inde, cum ipso Hasdrubale
 duobus proeliis egregie pugnantes, quindecim millia hostium
 occiderunt, quattuor millia cum multis militaribus signis
 capiunt.

Celtiberi
 arma ad-
 versus Poe-
 nos capi-
 unt.

22. Hoc statu rerum in Hispania, P. Scipio in provinciam ⁵
 venit, prorogato post consulatum imperio ab senatu missus,
 cum viginti longis navibus, et octo millibus militum, magno-
 que commeatu advecto. Ea classis ingens agmine onerari-
 arum procul visa, cum magna laetitia civium sociorumque,
 portum Tarraconis ex alto tenuit. Ibi milite exposito, pro- ⁶
 fectus Scipio fratri se coniungit: ac deinde communi animo
 consilioque gerebant bellum. Occupatis igitur Carthagini-
 ensibus Celtiberico bello, haud cunctanter Iberum trans-
 grediuntur; nec ullo viso hoste, Saguntum pergunt ire,
 quod ibi obsides totius Hispaniae custodiae traditos ab
 Hannibale fama erat modico in arce custodiri praesidio.
 Id unum pignus inclinatos ad Romanam societatem omnium
 Hispaniae populorum animos morabatur, ne sanguine liberum
 suorum culpa defectionis lueretur. Eo vinculo Hispaniam vir
 unus, sollerti magis quam fideli consilio, exsolvit. Abelix
 erat Sagunti nobilis Hispanus, fidus ante Poenis: tum
 (qualia plerumque sunt barbarorum ingenia) cum fortuna
 mutaverat fidem. Ceterum, transfugam, sine magnae rei
 proditione venientem ad hostes, nihil aliud quam unum vile
 atque infame corpus esse ratus, id agebat, ut quam maximum
 emolumentum novis sociis esset. Circumspectis igitur
 omnibus, quae fortuna potestatis eius poterat facere, obsidi-
 bus potissimum tradendis animum adiecit: eam unam rem
 maxime ratus conciliaturam Romanis principum Hispaniae
 amicitiam. Sed quum, iniussu Bostaris praefecti, satis
 sciret, nihil obsidum custodes facturos esse, Bostarem ipsum

Obsides
 Hispano-
 rum Sa-
 gunti.

Eos Abeli-
 lux tradit
 Romanis.

⁴ *Ad Novam Classem*] Urbem quan-
 dam hic intelligendam esse patet, sed
 de nomine eius ambigitur. Urbem
Classicam, de qua Plinius H. N. iii. 4.
 mentionem facit, Strothius hic innui
 suspicatur. Ceterum de iis, quae in
 hoc capite narrantur, silet Polybius
 iii. 96.

⁵ *P. Scipio*] Qui primus cum Han-
 nibale pugnaverat, et cui post con-
 sulatum imperium prorogatum erat.
 STROTH.

⁶ *Portum Tarraconis ex alto te-
 nuit*] De hac loquendi formula cf.
 supr. i. 1. infr. xxxvii. 11.

arte aggreditur. Castra extra urbem in ipso litore habebat U. C. 535.
 7 Bostar, ut aditum ea parte intercluderet Romanis. Ibi cum A. C. 217.
 in secretum abductum, velut ignorantem, monet, quo statu
 sit res. ‘Metum continuisse ad eam diem Hispanorum
 ‘animos, quia procul Romani abessent: nunc eis Iberum
 ‘castra Romana esse, arcem tutam perfugiumque novas
 ‘volentibus res. Itaque, quos metus non teneat, beneficio
 ‘et gratia devinciendos esse.’ Miranti Bostari percunctan-
 tique, quodnam id subitum tantae rei donum possit esse?
 ‘Obsides,’ inquit, ‘in civitates remitte. Id et privatim
 ‘parentibus, quorum maximum nomen in civitatibus est
 ‘suis, et publice populis gratum erit. Vult sibi quisque
 ‘credi, et habita fides ipsam plerumque obligat fidem.
 ‘Ministerium restituendorum domos obsidum miliimet de-
 ‘posco ipse, ut opera quoque impensa consilium adiuvem
 ‘meum, et rei suapte natura gratae, quantam insuper gratiam
 8 ‘possim, adiciam.’ Homini, non ad cetera Punica ingenia
 callido, ut persuasit, nocte clam progressus ad hostium
 stationes, conventis quibusdam auxiliariis Hispanis, et ab
 iis ad Scipionem perductus, quid afferret, expromit. Fide
 accepta dataque, ac loco et tempore constituto ad obsides
 tradendos, Saguntum redit; diem insequentem absumpsit
 cum Bostare, mandatis ad rem agendam accipiendis.
 Dimissus, quum se nocte iturum, ut custodias hostium fal-
 leret, constituisset, ad compositam cum iis horam excitatis
 custodibus puerorum profectus, veluti ignarus in praeparatas
 sua fraude insidias ducit. In castra Romana perducti: In castra Romana perductos suis reddit Scipio.
 cetera omnia de reddendis obsidibus, sicut cum Bostare
 constitutum erat, acta per eundem ordinem, quo si Cartha-
 giniensium nomine sic ageretur. Maior aliquanto Roma-
 norum gratia fuit in re pari, quam quanta futura Cartha-
 giniensium fuerat. Illos enim, graves superbosque in rebus
 secundis expertos, fortuna et timor mitigasse videri poterat.
 Romanus primo adventu, incognitus ante, ab re clementi
 liberalique initium fecerat: et Abelux, vir prudens, haud
 frustra videbatur socios mutasse. Itaque ingenti consensu
 defectionem omnes spectare: armaque extemplo mota
 forent, ni hiems, quae Romanos quoque et Carthaginenses
 concedere in tecta coegit, intervenisset.

Haec in Hispania quoque secunda aestate Punici belli 23.
 gesta, quum in Italia paullum intervalli cladibus Romanis
 sollers cunctatio Fabii fecisset: quae ut Hannibalem non
 mediocri sollicitum cura habebat, tandem eum militiae

7 *Ut aditum ea parte ... Romanis]*
Aditum ex portu Crev. et Bekker.
 servant.

8 *Ad cetera Punica ingenia cal-*
lido] Homini non tam callido quam
 solent esse Punica ingenia. CREV.

U. C. 535. magistrum delegisse Romanos cernentem, qui bellum
 A. C. 217. ratione, non fortuna, gereret; ita contempta erat inter cives,
 Fabij armatos pariter togatosque; utique postquam, absente eo,
 cunctatio Romae in- temeritate magistri equitum, laeto verius dixerim, quam
 visa. prospero eventu, pugnatum fuerat. Accesserant duae res
 Hannibalis ad augendam invidiam dictatoris: una fraude ac dolo
 dolus ad Hannibalis, quod, quum a perfugis ei monstratus ager dic-
 augendam tatoris esset, omnibus circa solo aequatis, ab uno eo ferrum
 invidiam ignemque et vim omnem hostium abstineri iussit, ut occulti 8
 dictatoris. alicuius pacti ea merces videri posset: altera ipsius facto,
 primo forsitan dubio, quia non exspectata in eo senatus
 auctoritas est; ad extremum haud ambigue in maximam
 laudem verso, in permutandis captivis: quod, sicut primo
 Punico bello factum erat, convenerat inter duces Romanum
 Poenumque, ut, quae pars plus reciperet, quam daret,
 Fabius pe- argenti pondo bina et selibras in militem praestaret. Du- 9
 cunia sua centos quadraginta septem quum plures Romanus, quam
 captivos Poenus, recepisset, argentumque pro iis debitum, saepe iac-
 redimit. tata in senatu re, quoniam non consulisset Patres, tardius
 erogaretur: inviolatum ab hoste agrum, misso Romam
 Quinto filio, vendidit, fidemque publicam impendio privato 1
 exsolvit.

Hannibal pro Geronii moenibus, cuius urbis, captae at-
 que incensae ab se, in usum horreorum pauca reliquerat
 tecta, in stativis erat. Inde frumentatum duas exercitus
 partes mittebat: cum tertia ipse expedita in statione erat,
 simul castris praesidio, et circumspectans, necunde impetus
 24. in frumentatores fieret. Romanus tunc exercitus in agro
 Larinati erat. Praeerat Minucius magister equitum, pro-
 fecto, sicut ante dictum est, ad urbem dictatore. Ceterum
 castra, quae in monte alto ac tuto loco posita fuerant, iam
 in planum deferuntur: agitabanturque pro ingenio ducis
 consilia calidiora, ut impetus aut in frumentatores palatos,
 aut in castra, relicta cum levi praesidio, fieret. Nec Han-
 nibalem fefellit, cum duce mutata esse belli rationem, et
 ferocius, quam consultius, rem hostes gesturos. Ipse autem,
 (quod minime quis crederet) quum hostis propius esset, 2

8 *Abstineri iussit*] cf. Similis do-
 lus ap. Thucyd. ii. 13.

9 *Argenti pondo bina et selibras*] De hac summa Hannibal, captivis abundans, aliquid remisit post victoriam ad Cannas, si A. Gellio vii. 18. fides habenda sit, qui tradit, eum argenti pondo et selibras pactum esse. cf. infr. 58. RUP.

1 *Fidemque publicam*] Quod rei-publicae nomine debebatur hostibus, privata sua pecunia exsolvit. CREV.

2 *Quod minime quis crederet*] Cur autem quisquam aegre credat eum ducem qui, hoste procul dissito, duas militum partes frumentatum mittebat, postquam propius accessit hostis, iam solummodo tertiam partem militum misisse. Omnino haec parenthesis parum digna Livio videtur, et aut corrupta, aut etiam penitus tollenda. Neque enim simile quicquam reperitur apud Polybium, quem hic sequitur Livius. Ceterum de toto hoc ne-

Eo absente
 Minucius
 rem non
 improspere
 gerit.

tertiam partem militum frumentatum, duabus in castris re-
 tentis, dimisit: dein castra ipsa propius hostem movit, duo
 ferme a Geronio millia, in tumulum hosti conspectum; ut
 intentum sciret esse ad frumentatores, si qua vis fieret,
 tutandos. Propior inde ei, atque ipsis imminens Roma-
 norum castris tumulus apparuit: ad quem capiendum si
 huic palam iretur, quia laud dubie hostis brevior via
 3 praeventurus erat, nocte clam missi Numidae ceperunt.
 Quos tenentes locum, contempta paucitate, Romani postero
 die quum deiecissent, ipsi eo transferunt castra. Tum ita-
 que, ut exiguum spatii vallum a vallo aberat, et id ipsum
 4 totum prope compleverat Romana acies, simul et per aversa
 castra a castris Hannibalis equitatus, cum levi armatura
 emissus in frumentatores, late eadem fugamque hostium
 palatorum fecit. Nec acie certare Hannibal ausus; quia
 tanta paucitate vix castra, si oppugnarentur, tutari poterat.
 5 Iamque artibus Fabii, (pars exercitus aberat) iam ferme se-
 dendo et cunctando bellum gerebat, receperatque suos in
 priora castra, quae pro Geronii moenibus erant. Iusta
 quoque acie et collatis signis dimicatum, quidam auctores
 sunt. Primo concursu Poenum usque ad castra fusum,
 inde eruptione facta repente versum terrorem in Romanos:
 Num. Decimii Samnitis deinde interventu proclium resti-
 tutum. Hunc, principem genere ac divitiis non Boviani
 6 modo, unde erat, sed toto Samnio, iussu dictatoris octo
 millia peditum, et equites quingentos ducentem in castra,
 ab tergo quum apparuisset Hannibali, speciem parti utrique

U. C. 535.
 A. C. 217.

gotio operae pretium est accuratissi-
 mum illum scriptorem consulere, qui
 rem distinctius et apertius narrat, in
 hunc fere modum. Postquam Minu-
 cius in tumulum illum unde Numidas
 deiecerat, castra transtulit, Hannibal
 aliquamdiu maximam partem mili-
 tum in castris tenuit. Verum post
 aliquot dies coactus est partim fru-
 mentatum, partim ad pecora pascenda
 quamplurimos dimittere. Quod quum
 sensisset Minucius, ipse ad castra
 hostium cum legionibus successit:
 equitatum et levem armaturam in pa-
 bulatores emisit. Hannibali neque ad
 certandum acie satis virum erat, ne-
 que ad opem palatis per agros suis
 ferendam. Iamque vellebant vallum
 hostium Romani, quum Hasdrubal,
 collectis frumentatoribus qui Gero-
 nium refugerant ad quattuor millia,
 auxilium Hannibali iam prope ob-
 sesso in castris tulit. Tum Romani
 abscedere coacti sunt, multis tamen
 hostium ad castra caesis. Frumen-
 tatorum maior etiam caedes fuit.

Postero die Hannibal in priora castra,
 quae pro Geronii moenibus erant, re-
 cepit suos: ac postea parcius et cau-
 tius pabulati sunt Carthaginenses.
 Haec ideo attexuimus, quia Liviana
 narratio paullo obscurior est, nec pa-
 rum ei lucis ex his videtur afferri.
 CREV.

3 *Ceperunt*] Hanc vocem non sine
 ratione delendam censet Gronovius.
 STROTH. cf. Pol. iii. 101.

4 *Per aversa castra a castris Han-
 nibalis*] Per portam castrorum Ro-
 manorum, quae erat aversissima a
 castris Hannibalis. Postrema haec
 verba *a castris Hannibalis* non sine
 causa videntur Gronovio recidenda,
 tanquam supervacanea. CREV.

5 *Pars exercitus aberat*] Haec ver-
 ba post *tanta paucitate* inserenda cen-
 set Crev., sed dum *pars exercitus ab-
 erat* legendum suadet Stroth. qui Li-
 vium minime rem eandem tertium in-
 culcasse sibi persuasum habet.

6 *Octo millia*] Duas scilicet le-
 giones. cf. Niebhr. ii. n. 174.

U. C. 535. praebuisse novi praesidii, cum Q. Fabio ab Roma venientis:
 A. C. 217. Hannibalem insidiarum quoque aliquid timentem recepis-
 suos: Romanum insecutum, adiuvante Samnite, duo ca-
 stella eo die expugnasse: sex millia hostium caesa, quinque
 admodum Romanorum: tamen in tam pari prope clade
 famam egregiae victoriae cum vanioribus literis magistri
 equitum Romam perlatam.

25. De his rebus persaepe et in senatu et in concione actum
 est. Quum, laeta civitate, dictator unus nihil nec famae,
 nec literis crederet; ut vera omnia essent, secunda se ma-
 gis, quam adversa, timere diceret: tum M. Metilius tribu-
 nus plebis, 'id enim ferendum esse' negat. 'Non prae-
 sentem solum dictatorem obstitisse rei bene gerendae, sed
 absentem etiam gestae obstare: et in ducendo bello sedulo
 tempus terere, quo diutius in magistratu sit, solusque et
 Romae et in exercitu imperium habeat. Quippe consulum
 alterum in acie cecidisse; alterum, specie classis Punicae
 persequendae, procul ab Italia ablegatum. Duos praetores 7
 Sicilia atque Sardinia occupatos, quarum neutra hoc tem-
 pore provincia praetore egeat. M. Minucium magistrum
 equitum, ne hostem videret, ne quid rei bellicae gereret,
 prope in custodiam habitum. Itaque, hercule, non Sam-
 nium modo, quo iam, tanquam trans Iberum agro, Poenis 8
 concessum sit, et Campanum, Calenumque, et Falernum
 agros pervastatos esse, sedente Casilini dictatore, et legi-
 onibus populi Romani agrum suum tutante. Exercitum
 cupientem pugnare, et magistrum equitum, clausos prope
 intra vallum retentos; tanquam hostibus captivis arma
 adempta. Tandem, ut abscesserit inde dictator, ut obsi-
 dione liberatos, extra vallum egressos fudisse ac fugasse
 hostes. Quas ob res, si antiquus animus plebi Romanae
 esset, audaciter se laturum fuisse de abrogando Q. Fabii
 imperio: nunc modicam rogationem promulgaturum de
 acquando magistri equitum et dictatoris iure; nec tamen
 ne ita quidem prius mittendum ad exercitum Q. Fabium, 9
 quam consulem in locum C. Flamini suffecisset.' Dicta-
 tor concionibus se abstinuit, in actione minime populari.
 Ne in senatu quidem satis aequis auribus audiebatur, tunc
 quum hostem verbis extolleret, bienniique clades per teme-
 ritatem atque inscientiam ducum acceptas referret: 'ma-
 gistroque equitum, quod contra dictum suum pugnasset,

Oratio Me-
 tilii Trib.
 Pl. in Fa-
 bium.

Fabius se
 defendit
 apud sena-
 tum.

7 *Duos praetores*] T. Otacilium Crassum et A. Cornelium Mammu-
 lam. *Quarum*, optima haec emendatio
 pro vulgato *quorum*.

8 *Quo iam . . . Poenis concessum*
 sit] Concedere aequae ac cedere abla-

tivo iungi bene Drakenb. monuit.
 STROTH.

9 *Ne ita quidem*] Ne aequato qui-
 dem dictatoris et magistri equitum
 imperio. CREV.

‘rationem’ diceret ‘reddendam esse. Si penes se summa U. C. 535.
 ‘imperii consiliiue sit, propediem effecturum, ut sciant A. C. 217.
 ‘homines, bono imperatori haud magni fortunam momenti
 1 ‘esse: mentem rationemque dominari. Se in tempore et
 ‘sine ignominia servasse exercitum, quam multa millia hos-
 ‘tium occidisse, maiorem gloriam esse.’ Huius generis M. Atilius
 orationibus frustra habitis, et consule creato M. Atilio
 Regulo, ne praesens de iure imperii dimicaret, pridie quam
 rogationis ferendae dies adesset, nocte ad exercitum abiit.
 Luce orta, quum plebis concilium esset, magis tacita invidia
 dictatoris favorque magistri equitum animos versabat, quam
 satis audebant homines ad suadendum, quod vulgo place-
 2 bat, prodire: et, favore superante, auctoritas tamen roga-
 tionis decrat. Unus inventus est suasor legis C. Terentius C. Teren-
 Varro, qui priore anno praetor fuerat, loco non humili
 solum, sed etiam sordido, ortus. Patrem Ianium fuisse
 3 ferunt, ipsum institorem mercis, filioque hoc ipso in servilia
 eius artis ministeria usum. Is iuvenis, ubi ex eo genere 26.
 quaestus pecunia a patre relicta animos ad spem liberalioris
 4 fortunae fecit, togaque et forum placuere, proclamando
 5 pro sordidis hominibus causisque adversus rem et famam
 bonorum, primum in notitiam populi, deinde ad honores
 pervenit. Quaestura quoque et duabus aedilitatibus, ple-
 beia et curuli, postremo et praetura perfunctus, iam ad con-
 sulatus spem quum attolleret animos, haud parum callide
 6 auram favoris popularis ex dictatoria invidia petiit, seique
 plebis unus gratiam tulit. Omnes eam rogationem, quique Aequatur
 Romae, quique in exercitu erant, aequi atque iniqui, prae-
 ter ipsum dictatorem, in contumeliam eius latam acceperunt. dictatori
 Ipse, qua gravitate animi criminantes se ad multitudinem Mag. Equi-
 inimicos tulerat, eadem et populi in se saevientis iniuriam tum.
 7 tulit: acceptisque in ipso itinere literis senatusque consulto

1 *In tempore*] i. e. Peropportuno.

2 *Favore superante, auctoritas ta-
men*] Quamvis favor esset immodicus,
 quamvis faverent impense et ultra mo-
 dum rogationi homines, decrat tamen
 qui se auctorem suasoremque ei roga-
 tionis praeberet. CREV.

3 *Institorem mercis*] Institores ple-
 rumque servi erant aut libertini, qui
 domini vel patroni nomine singula-
 tim merces in tabernis vendebant, aut
 etiam ostiatim venales circumfere-
 bant; interdum quoque ingenui sed
 de faece plebis, quippe quum hoc ge-
 nus mereaturae cive Romano indig-
 nus haberetur. cf. Iuv. Sat. vii. 221.

4 *Togaque*] Vulgus enim et sordi-
 dus popellus, quo ex genere ortus erat

Varro, in tunica incedebat: toga,
 aut nunquam, aut perraro utebatur.
 CREV.

5 *Proclamando*] Rabularum more
 vociferando et altos clamores tollen-
 do; unde *proclamatores* ap. Cic. de
 Or. i. 46. pro rabula habemus. DOER.

6 *Seitique plebis*] Cum solus fu-
 isset suasor legis, etiam solus plebis-
 cito facto eius rei gratiam tulit. RAS-
 CHIG.

7 *Literis senatusque consulto*] Ita
 Gronov. coniecit pro vulg. *senatus
 consulti*. Strothius autem *literis se-
 natus* scribit. Neque mirere senatus-
 consulti mentionem fieri in re per
 plebem transacta. Quum enim post
 leges Horatiam et Hortensiam ple-

U. C. 535. de aequato imperio, satis fidens, haudquaquam cum imperii
A. C. 217. iure artem imperandi aequatam, cum invicto a civibus hostibusque animo ad exercitum rediit.

27. Minucius vero, quum iam ante vix tolerabilis fuisset secundis rebus ac favore vulgi, tum utique immodice immodesteque, non Hannibale magis victo ab se, quam Q. Fabio, gloriari: 'Illum in rebus asperis unicum ducem ac parem quaesitum Hannibali, maiorem minori, dictatorem magistro equitum, quod nulla memoria habeat annalium, iussu populi aequatum in eadem civitate, in qua magistri equitum virgas ac secures dictatoris tremere atque horrere soliti sint. In tantum suam felicitatem virtutemque enituisse. Ergo secuturum se fortunam suam, si dictator in cunctatione ac segnitie, deorum hominumque iudicio damnata, perstaret.' Itaque, quo die primum congressus est cum Q. Fabio, 'statuendum omnium primum,' ait, 'esse, quem admodum imperio aequato utantur. Se optimum ducere, aut diebus alternis, aut, si maiora intervalla placerent, paritis temporibus, alterius summum ius imperiumque esse: ut par hosti non solum consilio, sed viribus etiam esset, si quam occasionem rei gerendae habuisset.' Q. Fabio haudquaquam id placere: 'omnia enim fortunam habituram, quaecunque temeritas collegae habuisset. Sibi communicatum cum illo, non ademptum, imperium esse. Itaque se nunquam volentem parte, qua posset, rerum consilio gerendarum cessurum: nec se tempora aut dies imperii cum eo, exercitus divisurum, suisque consiliis, quoniam omnia non liceret, quae posset, servaturum.' Ita obtinuit, uti legiones, sicut consulibus mos esset, inter se dividerent. Prima et quarta Minucio, secunda et tertia Fabio evenerunt. Item equites pari numero, sociumque et Latini nominis auxilia diviserunt: castris se quoque separari magister equitum voluit.

Exercitus
inter eos
dividuntur.

28. Duplex inde Hannibali gaudium fuit: neque enim quicquam eorum, quae apud hostes agerentur, eum fallebat, et perfugis multa indicantibus, et per suos explorantem. Nam et liberam Minucii temeritatem se suo modo captaturum,

Duplex inde
Hannibali
gaudium.

biscita populum tenerent, Patres, inquit Gronovius, ut eluderent plebis auctoritatem, plebiscita senatusconsultis confirmare soliti erant.

8 *Secures dictatoris*] Papirii dictatura hic innui videtur. cf. supr. viii. 32 sqq.

9 *Deorum hominumque iudicio*] Deorum, qui sibi egregiam de Hannibale victoriam concessissent; hominum, qui sibi par cum dictatore im-

perium esse voluissent. CREY.

1 *Se nunquam volentem*] Se nunquam eam rerum consilio gerendarum partem, qua posset, sc. res consilio gerere, derelicturum esse. DOER.

2 *Exercitus divisurum*] Particulam sed more Liviano omissam esse monuit I. Gronov. cf. supr. iii. 71. non iuvenem, vicesima iam stipendia merentem.

3 *Se suo modo captaturum*] Occa-

et sollertiae Fabii dimidium virium decessisse. Tumulus U. C. 535.
 erat inter castra Minucii Poenorumque. Eum qui occu- A. C. 217.
 passet, haud dubie iniquiorem erat hosti locum facturum.
 Eum non tam capere sine certamine volebat Hannibal,
 (quanquam id operae pretium erat) quam causam certami-
 nis cum Minucio, quem semper occurrurum ad obsistendum
 satis sciebat, contrahere. Ager omnis medius erat prima
 specie inutilis insidiatori, quia non modo silvestre quie-
 quam, sed ne vepribus quidem vestitum habebat: re ipsa
 natus tegendis insidiis, eo magis quod in nuda valle nulla
 talis fraus timeri poterat: et erant in anfractibus cavae
 rupes, ut quaedam earum ducentos armatos possent capere.
 In has latebras, quot quemque locum apte insidere pote- Insidiae.
 rant, quinque millia conduntur peditum equitumque.
 Necubi tamen aut motus alicuius temere egressi, aut fulgor
 armorum fraudem in valle tam aperta detegeret: missis
 paucis prima luce ad capiendum, quem ante diximus, tu-
 mulum, avertit oculos hostium. Primo statim conspectu
 contempta paucitas: ac sibi quisque deposcere pellendos
 4 inde hostes. Ad locum capiendum dux ipse inter stolidis-
 simos ferocissimosque ad arma vocat; et vanis animis et
 5 minis increpat hostem. Principio levem armaturam dimit-
 tit, deinde conferto agmine mittit equites: postremo, quum
 hostibus quoque subsidia mitti videret, instructis legionibus
 6 procedit. Et Hannibal, laborantibus suis alia atque alia, Pugna in-
 crescente certamine, mittens auxilia peditum equitumque, ter Hanni-
 iam iustam expleverat aciem, ac totis utrimque viribus cer- balem et
 tabatur. Prima levis armatura Romanorum, praecoccupatum Minucium.
 inferiore loco succedens tumultum, pulsa detrusaque terro-
 rem in succedentem intulit equitem, et ad signa legionum
 refugit. Peditum acies inter percussos impavida sola erat,
 7 videbaturque, si iusta aut si recta pugna esset, haudqua-
 quam impar futura. Tantum animorum fecerat prospere
 ante paucos dies res gesta. Sed exorti repente insidiatores Laborat
 cum tumultum terroremque, in latera utrimque ab tergoque Minucius.
 incursantes, fecerunt, ut neque animus ad pugnam, neque
 ad fugam spes cuiquam superesset. Tunc Fabius, primo
 clamore paventium audito, dein conspecta procul turbata
 acie, 'Ita est,' inquit, 'non celerius, quam timui, depre-
 hendit fortuna temeritatem. Fabio aequatus imperio

29.

sionem arte sua captaturum temerita-
 tis Minucii in usum suum converten-
 dae.

4 *Ad locum capiendum*] *Ac locum capiendum*, cum distinctione ante vocem *dux* reposuit Bekker. Ceterum *ad* et *ac* saepius conmutantur.

5 *Levem armaturam dimittit*] Vo-

cem *dimittit* ex coniectura Gronov. delevit Bekker.

6 *Alia atque alia*] Intellige quar-
 tum casum ad *auxilia* referendum.

7 *Si iusta aut si recta*] *Iusta*, quando explicatis utrimque ordinibus acies congredierentur, *recta*, quando aequo campo, ita ut ordines servarentur.

U. C. 535. 'Hannibalem et virtute et fortuna superiorem videt. Sed
 A. C. 217. 'aliud iurgandi succensendique tempus erit: nunc signa
 'extra vallum proferte. Victoriam hosti extorqueamus,
 'confessionem erroris civibus.' Iam magna ex parte caesis
 aliis, aliis circumspectantibus fugam, Fabiana se acies re-
 pente, velut coelo demissa, ad auxilium ostendit. Itaque,
 priusquam ad coniectum teli veniret, aut manum conscre-
 ret, et suos a fuga effusa, et ab nimis feroci pugna hostes
 continuit. Qui solutis ordinibus vage dissipati erant, un-
 dique confugerunt ad integram aciem; qui plures simul
 terga dederant, conversi in hostem, volventesque orbem,
 nunc sensim referre pedem, nunc conglobati restare. Ac
 iam prope una acies facta erat victi atque integri exercitus,
 inferebantque signa in hostem; quum Poenus receptui
 cecinit, palam ferente Hannibale, ab se Minucium, se a
 Fabio victum.

Minucius
 errorem
 suum ag-
 noscit.

Ita per variam fortunam diei maiore parte exacta, quum
 in castra reditum esset, Minucius, convocatis militibus,
 'Saepe ego,' inquit, 'audivi, milites, cum primum esse 8
 'virum, qui ipse consulat, quid in rem sit; secundum eum,
 'qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec
 'alteri parere sciat, eum extremi ingenii esse. Nobis quo-
 niam prima animi ingeniiue negata sors est, secundam ac
 mediam teneamus: et, dum imperare discimus, parere
 'prudenti in animum inducamus. Castra cum Fabio iun-
 gamus: ad praetorium eius signa quum tulerimus, ubi
 'ego eum parentem appellavero, quod beneficio eius erga
 'nos ac maiestate eius dignum est; vos, milites, eos, quo-
 rum vos modo arma dextraeque texerunt, patronos salu-
 'tabitis, et, si nihil aliud, gratorum certe nobis animorum
 'gloriam dies haec dederit.' Signo dato, conclamatur inde,
 30. ut colligantur vasa. Profecti et agmine incedentes ad dic-
 Castra cum
 Fabio
 iungit.
 tatoris castra in admirationem et ipsum, et omnes, qui
 circa erant, converterunt. Ut constituta sunt ante tribunal
 signa, progressus ante alios magister equitum, quum
 'patrem' Fabium appellasset, circumfususque militum eius
 totum agmen 'patronos' consalutasset, 'Parentibus,' inquit, 9
 'meis, dictator, (quibus te modo nomine, quo fando pos-
 'sum, acquavi) vitam tantum debeo: tibi quum meam sa-
 'lutem, tum omnium horum. Itaque plebeiscitum, quo
 'oncratus magis, quam honoratus sum, primus antiquo
 'abrogoque: et, quod tibi mihiue, quod exercitibusque

8 *Eum primum esse virum*] Eadem
 sententia ap. Hesiod. Op. et D. 293,
 sqq. et Cic. pro Cluent. 31. expressa
 est. cf. Aristot. Eth. Nicom. i. 4.

9 *Patronos consalutasset*] cf. Supr.

iii. 29. ubi haud abs re foret animad-
 vertisse, quod L. Minucii exercitus dic-
 tatorem, qui auxilium circumventis
 tulisset, patronum simili ratione salu-
 taverit.

‘his tuis, servato ac conservatori, sit felix, sub imperium U. C. 535.
 ‘auspiciumque tuum redeo, et signa haec legionesque A. C. 217.
 ‘restituo. Tu, quaeso, placatus me magisterium equitum,
 ‘hos ordines suos quemque tenere iubeas.’ Tum dextrae
 interinectae, militesque, concione dimissa, a notis ignotis-
 que benigne atque hospitaliter invitati: laetusque dies, ex
 admodum tristi paullo ante ac prope execrabili, factus.
 Romae, ut est perlata fama rei gestae, dein literis non ma-
 gis ipsorum imperatorum, quam vulgo militum ex utroque
 exercitu affirmata, pro se quisque Maximum laudibus ad
 coelum ferre. Par gloria apud Hannibalem hostesque
 Poenos erat: ac tum demum sentire, cum Romanis atque
 in Italia bellum esse. Nam biennio ante adeo et duces
 Romanos et milites spreverant, ut vix cum eadem gente
 bellum esse crederent, cuius terribilem eam famam a patri-
 bus acceperant. Hannibalem quoque ex acie redeuntem
 dixisse ferunt, ‘tandem eam nubem, quae sedere in iugis
 ‘montium solita sit, cum procella imbrem dedisse.’

Dum haec geruntur in Italia, Cn. Servilius Geminus 31.
 2 consul cum classe centum viginti navium, circumvectus ^{Servilius}
 Sardiniae et Corsicae oram, et obsidibus utrimque acceptis, ^{Cos. male}
 in Africam transmisit: et priusquam in continentem ex- ^{rem gerit}
 3 scensiones faceret, Menige insula vastata, et ab incolentibus ^{in Africa.}
 Cercinam, ne et ipsorum ureretur diripereturque ager,
 decem talentis argenti acceptis, ad litora Africae accessit,
 copiasque exposuit. Inde ad populandum agrum ducti
 milites, navalesque socii iuxta effusi, ac si insulis cultorum
 egentibus praedarentur. Itaque in insidias temere illati,
 quum a frequentibus palantes, ab locorum gnaris ignari cir-
 cumvenirentur, cum multa caede ac foeda fuga retro ad
 naves compulsi sunt. Ad mille hominum, cum his Sem-
 4 pronio Blaeso quaestore amisso, classis, a litoribus hostium
 plenis trepide soluta, in Siciliam cursum tenuit: traditaque
 Lilybaei T. Otacilio praetori, ut ab legato eius P. Sura Ro-
 manam reduceretur. Ipse, per Siciliam pedibus profectus,
 freto in Italiam traiecit, literis Q. Fabii accitus et ipse, et
 5 collega eius M. Atilius, ut exercitus ab se, exacto iam prope
 semestri imperio, acciperent.

1 *Ordines suos quemque*] Scilicet ordines in Fabiano exercitu sibi proprios.

2 *Cum classe centum viginti navium*] Numerum, qui in omnibus mss. desideratur, ex Polybio iii. 96. Lipsius addidit.

3 *Menige insula vastata*] Haec et Cercina finitimae Syrti insulae erant. *Cercina* pro veteri lectione *circa* emendavit Lipsius.

4 *Blaeso quaestore amisso*] Distinctionem post vocem *pruatore*, et *amisso* pro *amisso* reponunt Crev. et Stroth. *Amisso* in plur. edd. inveniri testatur Drakenb., qui tamen distinctionem post *amisso* ponendam suadet. De hac clade Polyb. silet.

5 *Exercitus ab se*] Fabianum nempe Minucianumque, ut mox appellantur. Olim *exercitum* scribebatur.

U. C. 535. Omnium prope annales Fabium dictatorem adversus
 A. C. 217. Hannibalem rem gessisse tradunt. Coelius etiam eum pri-
 Utrum Fa- mum a populo creatum dictatorem scribit. Sed et Coelium
 bius dicta- et ceteros fugit, uni consuli Cn. Servilio, qui tum procul in
 tor, an pro- Gallia provincia aberat, ius fuisse dicendi dictatoris: quam
 dictatore fuerit. moram quia exspectare territa iam clade civitas non poterat,

eo decursum esse, ut a populo crearetur, qui pro dictatore
 esset: res inde gestas gloriamque insignem ducis et augentes
 titulum imaginis posteros, ut, qui pro dictatore, dictator
 diceretur, facile obtinuisse.

32.

Coss. arti-
 bus Fabii
 bellum ge-
 runt.

Consules, Atilius Fabiano, Geminus Servilius Minuciano 8
 exercitu accepto, hibernaculis mature communitis, (extre-
 mum autumnus erat) Fabii artibus cum summa inter se con-
 cordia bellum gesserunt. Frumentatum exeunti Hannibali
 diversis locis opportuni aderant, carpentes agmen, palatos-
 que excipientes. In casum universae dimicationis, quam
 omnibus artibus petebat hostis, non veniebant: adeoque 9
 inopia est coactus Hannibal, ut, nisi tum fugae speciem
 abeundo timuisset, Galliam repetiturus fuerit, nulla relicta
 spe alendi exercitus in iis locis, si insequentes consules
 iisdem artibus bellum gererent.

Quum ad Geronium iam hieme impediendo constitisset
 bellum, Neapolitani legati Romam venere. Ab iis quadra-
 ginta paterae aureae magni ponderis in curiam illatae, atque
 ita verba facta, ut dicerent: 'Scire sese, Romani populi
 'aerarium bello exauriri: et, quum iuxta pro urbibus 1
 'agrisque sociorum, ac pro capite atque arce Italiae, urbe
 'Romana atque imperio geratur, aequum censuisse Nea-
 'politanos, quod auri sibi quum ad templorum ornatum,
 'tum ad subsidium fortunae a maioribus relictum foret, eo
 'iuvare populum Romanum. Si quam opem in sese cre- 2
 'derent, eodem studio fuisse oblaturus. Gratum sibi Patres
 'Romanos populumque facturum, si omnes res Neapolita-
 'norum suas duxissent; dignosque iudicaverint, ab quibus
 'donum, animo ac voluntate eorum, qui libentes darent,
 'quam re, maius ampliusque, acciperent.' Legatis gratiae
 actae pro munificentia curaque: patera, quae ponderis
 minimi fuit, accepta.

Neapoli-
 tani aurum
 offerunt
 Romanis.

6 *Primum a populo creatum dictatorem*] Primum numerari, qui a populo creatus sit dictator. Secundum numerabat Coelius Syllam, qui haud dubie a populo dictator creatus est. CREV.

7 *Qui pro dictatore*] Suppl. esset.

8 *Consules*] Hos proconsules vocat Polyb. iii. 106. hoc enim tempore, comitiis peractis, consules erant L. Aemilius et Cn. Terentius.

9 *Adeoque inopia est coactus*] Hanc vix Latinam orationem esse censet I. Fr. Gronov. qui *et ad id inopiae est redactus* emendavit. Drakenb. *ad idque* coniecit. *Eoque inopiae est redactus* probat Bekker.

1 *Et, quum iuxta*] *Id* pro *et* ex emendatione Gronov. probat Bekker.

2 *Si quam opem*] *Opem* peculiariter de armorum ope accipiendam esse animadvertit Stroth.

Per eosdem dies speculator Carthaginiensis, qui per U. C. 535.
 biennium fefellerat, Romae deprehensus, praeccisusque mani- A. C. 217.
 bus dimissus: et servi quinque et viginti in crucem acti, 33.
 quod in campo Martio coniurassent. Indiei data libertas, Speculator
 et aeris gravis viginti millia. Legati et ad Philippum Poenus.
 3 Macedonum regem missi ad deposcendum Demetrium Legati in
 Pharium, qui, bello victus, ad eum fugisset: et alii in varia loca
 Ligures ad expostulandum, quod Poenum opibus auxiliisque missi.
 4 Boiis atque Insubribus gererentur. Ad Pineum quoque
 regem in Illyrios legati missi ad stipendium, cuius dies
 exierat, poscendum; aut, si diem proferre vellet, obsides
 accipiendos. Adeo, etsi bellum ingens in cervicibus erat,
 nullius usquam terrarum rei cura Romanos, ne longinqua
 quidem, effugiebat. In religionem etiam venit, aedem
 Concordiae, quam per seditionem militarem biennio ante
 L. Manlius praetor in Gallia vovisset, locatam ad id tempus
 non esse. Itaque dumviri ad eam rem creati a M. Aemilio
 praetore urbis, Cn. Pupius et K. Quinctius Flamininus,
 aedem in arce faciendam locaverunt.

Ab eodem praetore ex senatusconsulto literae ad consules
 missae, ut, si iis videretur, alter eorum ad consules creandos
 Romam veniret: se in eam diem, quam iussissent, comitia
 edicturum. Ad haec a consulibus rescriptum, ‘Sine detri-
 ‘mento reipublicae abscedi non posse ab hoste. Itaque
 ‘per interregem comitia habenda esse potius, quam consu-
 ‘lum alter a bello advocaretur.’ Patribus rectius visum est,
 dictatorem a consule dici comitiorum habendorum causa.
 Dictus L. Veturius Philo M’. Pomponium Mathonem ma-
 gistrum equitum dixit. His vitio creatis, iussisque die
 quarto decimo se magistratu abdicare, ad interregnum res
 5 rediit. Consulibus prorogatum in annum imperium. In- 34.
 terreges proditi a Patribus C. Claudius, Ap. filius, Centho; U. C. 536.
 inde P. Cornelius Asina. In eius interregno comitia habita A. C. 216.
 magno certamine Patrum ac plebis. C. Terentio Varroni, Interreges.
 quem, sui generis hominem, plebei insectatione principum C. Teren-
 tius Varro
 consulatus
 candidatus.

3 *Ad deposcendum Demetrium Pha-
 rium*] Ducem Teutae, Illyrici reginae,
 et Corcyrae praefectum, qui ab ea ad
 Romanos desciverat, sed, post pacem
 cum Teuta factam, ab his defecerat
 et in bello Illyrico, eius causa reno-
 vato, victus a L. Aemilio Paulo cos.
 ad Philippum, Macedonum regem,
 fugerat. RUF.

4 *Ad Pineum quoque regem in Il-
 lyrios legati missi ad stipendium, ...
 poscendum*] Nam Teuta, noverca eius
 et Agroni nupta, quo mortuo accepe-

rat tutelam filii regnique administra-
 tionem, pacem cum Romanis fecerat
 his conditionibus, ut tributa quotannis
 penderet, maxima Illyrici parte cede-
 ret, et cum duobus tantum lembis,
 iisque inermibus, navigaret ultra Lis-
 sum. cf. Polyb. ii. 4. et 12. RUF. Ceterum
 de Illyrici regibus cf. Schweigh.
 ad Polyb. ii. 5.

5 *Consulibus prorogatum*] Hic Po-
 lybium sequi omittit Livius, haud
 dubie ut culpam omnem rei male
 gestae in Varronem conferat.

plebei, diu ac multum recusantem, ad petitionem compellit. U. C. 536. Is proximo comitiali die, concedentibus omnibus, qui cum A. C. 216. Varrone certaverant, par magis in adversandum, quam collega, datur consuli. Inde praetoria comitia habita. Creati C. Terentio, L. Aemilio II. Coss. Praetores. 2 M. Pomponius Matho et P. Furius Philus. Romae iuridicundo urbana sors Pomponio, inter cives Romanos et peregrinos P. Furio Philo evenit. Additi duo praetores, M. Claudius Marcellus in Siciliam, L. Postumius Albinus in Galliam. Omnes absentes creati sunt; nec cuiquam eorum, praeter Terentium consulem, mandatus honos, quem iam non antea gessisset, praeteritis aliquot fortibus ac strenuis viris; quia in tali tempore nulli novus magistratus videbatur mandandus.

Exercitus quoque multiplicati sunt. Quantae autem 36. peditum equitumque additae sint copiae, adeo et numero et genere copiarum variant auctores, ut vix quicquam satis certum affirmare ausim. Decem millia novorum militum alii scripta in supplementum; alii novas quattuor legiones, ut octo legionibus rem gererent: numero quoque peditum equitumque legiones auctas, millibus peditum et centenis equitibus in singulas adiectis; ut quina millia peditum, 3 treceni equites essent; socii duplicem numerum equitum darent, pedites aequarent. Septem et octoginta millia armatorum et ducentos in castris Romanis, quum pugnatum ad Cannas est, quidam auctores sunt. Illud haudquaquam discrepat, maiore conatu atque impetu rem actam, quam

Tantum non sua damnatione ipse ambustus, quasi fulmine, Veteres enim damnationem et exsilium *fulmen* vocabant, cf. Iuv. viii. 91. Plin. Ep. iii. 11. Livius infr. 40. non solum *fulmen*, sed *incendium* etiam appellat. cf. infr. xxxix. 6.

2 *Romae iuri dicundo urbana sors*] Consules olim ius dicebant, sed quum rei militari administrandae et iuri dicundo non sufficerent, creatus est Praetor Urbanus eodem anno quo Aediles Curules, U. C. 388. cf. supr. vi. 42. "Post aliquot deinde annos," ut verbis Pomponii de Orig. Iuris utar, "non sufficiente eo Praetore, quod multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret, creatus est et alius praetor, qui peregrinus appellatus est ab eo, quod plerumque inter peregrinos ius dicebat." Hoc circiter U. C. 510. evenit. cf. Lydus de Magistr. i. 45. Praetor *urbanus* dignitate prior erat, quippe qui absentibus consulibus, ut *praefectus urbis*, munia omnia consu-

laria obiret: *peregrinus* autem ius non modo inter peregrinos, sed inter peregrinos et cives dicebat. Niebuhius autem placet, quem cf. iii. p. 732. praetorem peregrinum primo potius militaria, quam civilia consulum munera obisse, et Siciliae provinciae forsitan praefectum esse; postea duos insuper additos, quorum alterum Siciliae, alterum Sardiniae praefuisse, praetore peregrino in urbe manente. Crescente interim imperio sex praetores creatos infr. xxxii. 27. Livius narrat.

3 *Treceni equites*] Diligentiam Livii hic requirit Crevier. qui *trecenos* sollennem numerum equitum fuisse censet, cf. supr. xxi. 17. Sed Polyb. iii. 107. ducentos equites singulis legionibus quaternum millium peditum adiecit: idem, si quando respublica in discrimen venisset, legiones quinum millium peditum et trecenorum equitum scribi narrat. Hoc igitur loco Polybium intueri videtur Livius.

U. C. 536. prioribus annis; quia spem, posse vinci hostem, dictator
A. C. 216. praeberat.

Ceterum, priusquam signa ab urbe novae legiones move-
rent, decemviri libros adire atque inspicere iussi propter
territos vulgo homines novis prodigiis. Nam, et Romae in
Aventino et Ariciae nuntiatum erat, sub idem tempus lapi-
dibus pluisse: et multo cruore signa in Sabinis sudasse,⁴
aquasque e fonte calidas manasse. Id quidem etiam, quod
saepius acciderat, magis terrebat. Et in via Fornicata,⁵
quae ad Campum erat, aliquot homines de coelo tacti ex-
animatique fuerant. Ea prodigia ex libris procurata. Le-
gati a Paesto pateras aureas Romam attulerunt. Iis, sicut
Neapolitanis, gratiae actae; aurum non acceptum.

37. Per eosdem dies ab Hierone classis Ostiam cum magno
Legati cum donis ab Hierone Romam missi. commeatu accessit. Legati Syracusani in senatum intro-
ducti nuntiarunt: 'Caedem C. Flamini consulis exerci-
'tusque allatam adeo aegre tulisse regem Hieronem, ut
'nulla sua propria regnique sui clade moveri magis potuerit.
'Itaque, quanquam probe sciat, magnitudinem populi Ro-
'mani admirabiliorem prope adversis rebus, quam secundis,
'esse; tamen se omnia, quibus a bonis fidelibusque sociis
'bella iuvare soleant, misisse: quae ne accipere abnuant,
'magno opere se Patres conscriptos orare. Iam omnia
'primum ominis causa Victoriā auream pondo trecentum
'viginti afferre sese. Acciperent eam, tenerentque, et ha-
'berent propriam et perpetuam. Advexisse etiam trecenta
'millia modium tritici, ducenta hordei, ne commeatus de-
'essent: et, quantum praeterea opus esset, quo iussissent,
'subvecturos. Milite atque equite scire, nisi Romano La-
'tinique nominis, non uti populum Romanum: levium ar-⁶
'morum auxilia etiam externa vidisse in castris Romanis.
'Itaque misisse mille sagittariorum ac funditorum, aptam
'manum adversus Baliares ac Mauros, pugnacesque alias
'missili telo gentes.' Ad ea dona consilium quoque adde-
bant, 'Ut praetor, cui provincia Sicilia evenisset, classem
'in Africam traiceret; ut et hostes in terra sua bellum ha-
'berent, minusque laxamenti daretur iis ad auxilia Hanni-
'bali summittenda.' Ab senatu ita responsum regi est:
'Virim bonum egregiumque socium Hieronem esse, atque

⁴ *Signa in Sabinis sudasse, aquas-
que e fonte]* Vulgo *in Sabinis caedis,
aquas e fonte*. Pro *caedis*, *Caerites*
legendum suadet Gronov. Ceterum
lectionem, quam Kreyssig. probavit,
ass. opt. praec se ferunt. cf. Lucret.
v. 1128.

⁵ *In via Fornicata]* De via Forni-

cata, sive concamerata, i. e. porticibus
instructa, qua ad campum Martium
descendebatur, cf. Nardini Rom. Vet.
vi. 10.

⁶ *Levium armorum auxilia]* Pro
vulg. *levium armatorum*, ex emend.
Gronovii, quam Bekker. probat.

‘ uno tenore, ex quo in amicitiam populi Romani venerit, U. C. 536.
 ‘ fidem coluisse, ac rem Romanam omni tempore ac loco A. C. 216.
 ‘ munifice adiuisse. Id, perinde ac deberet, gratum populo
 ‘ Romano esse. Aurum et a civitatibus quibusdam allatum,
 ‘ gratia rei accepta, non accepisse populum Romanum. Vi-
 ‘ etoriam omenque accipere; sedemque ei se divae dare, di-
 ‘ care Capitolium, templum Iovis optimi maximi. In ea
 ‘ arce urbis Romanae sacratam, volentem propitiamque,
 ‘ firmam ac stabilem fore populo Romano.’ Funditores,
 sagittarii, et frumentum traditum consulibus. Quin- Classis
 7 queremes ad navium classem, quae cum T. Otacilio pro- auctu.
 praetore in Sicilia erat, quinque et viginti additae, permis-
 sumque est, ut, si e republica censeret esse, in Africam
 traiceret.

Delecto perfecto, consules paucos morati dies, dum socii 38.
 8 ab nomine Latino venirent. Milites tunc, quod nunquam Milites iu-
 antea factum erat, iureiurando ab tribunis militum adacti, reiu- rando
 iussu consulum conventuros, neque iniussu abituros. Nam adacti.

7 *Ad navium classem*] Numerum hoc loco intercidisse, ut supr. 31. ante Lipsii conjecturam defuerat, censet Gronov. qui naves cxx. in hac statione fuisse suspicatur, si modo legatus Otacilii, quas illi deducendas Servilius reliquerat, Romam adhuc non deduxisset. Contra Doering. vocem *navium*, ut supr. 34. *militum*, abundare putat.

8 *Milites tunc*] Locus intricatus. Primo enim sacramentum illud *iussu consulum conventuros, neque iniussu abituros*, antiquissimum est, nedum hocce primum tempore institutum sit; eiusque exstat formula ipsissimis his verbis concepta supr. iii. 20. Secundo non intelligitur quid sibi velint haec verba: *nam ad eam diem nil praeter sacramentum fuerat*. Quodnam erit hoc sacramentum, ab antiqua illa formula diversum? Denique, quum primo dicantur milites iureiurando ab tribunis militum adacti, *iussu consulum conventuros, neque iniussu abituros*; postea, ubi res explicatur, aliud iusiurandum huic subiicitur, nempe *fugae et formidinis ergo non abituros, etc.* His tot incommodis videmur mederi posse, si verba male traiecit in suum revocaverimus locum, hoc modo. “Milites tunc, quod nunquam antea factum fuerat, iureiurando ab tribunis militum adacti. Nam ad eam diem nil praeter sacramentum fuerat, iussu consulum conventuros, neque iniussu abituros.

Et, sive potius, ‘At ubi ad decuriam,’ etc. Vult igitur Livius tum primum milites a tribunis iureiurando adactos. Quod autem fuerit illud iusiurandum, infra exponitur. Nam ad eam diem, inquit, nil fuerat, nil exigebatur a militibus, praeter solenne illud militiae sacramentum, *iussu consulum conventuros, neque iniussu abituros*. At ipsi, ubi pedites in centurias, equites in decurias ordinati fuerant, sua voluntate inter se iurabant, se fugae et formidinis ergo non abituros, etc. Hoc igitur illud est iusiurandum, quo nunc primum a tribunis militum adiguntur: quum antea *sacramento tantummodo*, prisco illo et sollemni, *a tribunis rogarentur*, ut ait Frontinus Strateg. iv. 1. Ceterum quod suspicamur hic luxatum esse duorum orationis membrorum ordinem inter se, id mirum iis non accidet qui scient huiusmodi depravationes, et graviore etiam, in compluribus scriptis, et in optimo quoque illo Putean. reperiri: v. g. totam Suetonensis seditionis narrationem et plurima quae sequuntur, e xxviii^{to} libro in xxix^{to} male translata. CREV. Ernestius vero Livium hic distinguere censet inter iusiurandum ultro praestitum, quod erat sacramentum, et legitimum, ad quod milites a tribunis adigebantur. Ceterum de duplici militum iureiurando, cf. Polyb. vi. 21. 33.

U. C. 536. ad eam diem nihil praeter sacramentum fuerat; et, ubi ad
 A. C. 216. decuriatum aut centuriatum convenissent, sua voluntate
 ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites coniura-
 bant, sese fugae atque formidinis ergo non abituros, neque
 ex ordine recessuros, nisi teli sumendi, aut petendi, et aut
 hostis ferendi, aut civis servandi causa. Id ex voluntario
 inter ipsos foedere a tribunis ad legitimam iurisiurandi
 adactionem translatum.

Conciones, priusquam ab urbe signa moverentur, consulis Varronis multae ac feroces fuere, denuntiantes, ‘bel-
 lum arcessitum in Italiam ab nobilibus, mansurumque in
 visceribus reipublicae, si plures Fabios imperatores ha-
 beret; se, quo die hostem vidisset, perfectum.’ Collegae
 eius Paulli una, pridie quam ex urbe proficiscerentur, con-
 cio fuit verior, quam gratior populo, qua nihil inclementer
 in Varronem dictum, nisi id modo: ‘Mirari se, quomodo
 quis dux, priusquam aut suum, aut hostium exercitum,
 locorum situm, naturam regionis nosset, iam nunc togatus
 in urbe sciret, quae sibi agenda armato forent; et diem
 quoque praedicere posset, qua cum hoste signis collatis
 esset dimicaturus. Se, quae consilia magis res dent ho-
 minibus, quam homines rebus, ea ante tempus immatura
 non praecepturum. Optare, ut, quae caute atque consulte
 gesta essent, satis prospere evenirent. Temeritatem, prae-
 terquam quod stulta sit, infelicem etiam ad id locorum
 fuisse.’ Id sua sponte apparebat, tuta celeribus consiliis
 praepositurum: et, quo id constantius perseveraret, Q. Fa-
 bius Maximus sic eum proficiscentem allocutus fertur:

39. ‘Si aut collegam, id quod mallet, tui similem, L. Aemili,
 Monet Fabius Paul- ‘haberes, aut tu collegae tui similis esses, supervacanea
 lum. ‘esset oratio mea. Nam et duo boni consules, etiam me
 ‘indicante, omnia e republica fide vestra faceretis: et mali
 ‘nec mea verba auribus vestris, nec consilia animis acci-
 ‘peretis. Nunc et collegam tuum et te talem virum in-

9 *Ad decuriatum aut centuriatum*] Bekker, sententiam Lipsii et Dukeri secutus, praepositionem *ad* delet, et supina passivam vini habere censet, sc. *ut decuriarentur equites aut centuriarentur pedites*. Doering, supina active vertit, sc. *ut decuriarent aut centuriarent milites tribuni*. Ceterum praepositionem *ad* constanter omnes codd. tuentur. Haud scio an legendum sit *aut decuriatim aut centuriatim*. cf. Cic. de B. Civ. i. 76. *centuriatim producti milites idem iurant*.

1 *Denuntiantes*] Unus Hearnii codex, *denunciantis*: quod anteponendum. CREV.

2 *Iam nunc togatus*] Ita ex emend. Mureti reposuit Bekker. *Locatus* codices exhibent.

3 *Id sua sponte apparebat*] *Et sua sponte* ex coniectur. Gronovii reposuit Bekker.

4 *Id constantius perseveraret*] cf. Cic. pro Quinct. 24. *neque te ipsum id . . . perseverare potuisse*.

5 *Etiam me indicente*] Me non dicente, tacente. Verbum *indicente* rarissimum est: eo tamen usus est Terentius in Adelph. Act. iii. Sc. 5. *non me indicente haec fiunt*.

6 *E republica fide vestra*] *Fideque vestra* legendum suadet Perizon.

'tuenti mihi tecum omnis oratio est: quem video nequie- U. C. 536.
 'quam et virum bonum et civem fore. Si altera parte A. C. 216.
 'claudicet respublica, malis consiliis idem ac bonis iuris et
 'potestatis erit. Erras enim, L. Paulle, si tibi minus cer-
 'taminis cum C. Terentio, quam cum Hannibale, futurum
 'censes. Nescio, an infestior hic adversarius, quam ille
 'hostis, maneat. Cum illo in acie tantum, cum hoc om-
 'nibus locis ac temporibus certaturus es: et adversus Han-
 'nibalem legionesque eius tuis equitibus ac peditibus pu-
 'gnandum tibi est: Varro dux tuis militibus te est oppu-
 7 'gnaturus. Ominis etiam tibi causa absit C. Flamini me-
 'moriam. Tamen ille consul demum, et in provincia, et ad
 'exercitum, coepit furere: hic, priusquam peteret consu-
 'latum, deinde in petendo consulatu; nunc quoque consul,
 'priusquam castra videat aut hostem, insanit. Et, qui
 'tantas iam nunc procellas, proelia atque acies iactando,
 'inter togatos ciet, quid inter armatam iuventutem censes
 'facturum, et ubi extemplo verba res sequitur? Atqui si
 'hic, quod facturum se denuntiat, extemplo pugnaverit;
 'aut ego rem militarem, belli hoc genus, hostem hunc
 'ignoro, aut nobilior alius Trasimeno locus nostris cladibus
 8 'erit. Nec gloriandi tempus adversus unum est, et ego,
 'contemnendo potius, quam appetendo gloriam, modum
 'excesserim; sed ita res habet: una ratio belli gerendi ad-
 'versus Hannibalem est, qua ego gessi. Nec eventus modo
 'hoc docet, (stultorum iste magister est) sed eadem ratio,
 'quae fuit, futuraque, donec res eadem manebunt, immu-
 'tabilis est. In Italia bellum gerimus, in sede ac solo
 'nostro. Omnia circa plena civium ac sociorum sunt.
 'Armis, viris, equis, commeatibus iuvant, iuvabuntque.
 'Id iam fidei documentum in adversis rebus nostris dede-
 'runt. Meliores, prudentiores, constantiores nos tempus
 'diesque facit. Hannibal contra in aliena, in hostili est
 'terra, inter omnia inimica infestaque, procul ab domo,
 'procul ab patria. Neque illi terra, neque mari est pax:
 'nullae cum urbes accipiunt, nulla moenia: nihil usquam
 'sui videt: in diem rapto vivit. Partem vix tertiam exer-
 'citus eius habet, quem Iberum amnem traiecit: plures
 'fames, quam ferrum, absumpsit: nec his paucis iam victus
 'suppeditat. Dubitas ergo, quin sedendo superaturi simus
 'eum, qui senescat in dies? non commeatus, non supple-

7 *Ominis etiam tibi causa*] Quia de Flaminio dicturus est, cuius mentio ominosa videri poterat, prius, ex familiari antiquis more, infaustum illud omen deprecatur. CREV.

8 *Adversus unum*] Coram uno teste Crev. vertit. Ambigunt tamen

viri docti utrum *adversus unum* ad Flaminium an ad Ter. Varronem, an denique ad Paullum, quocum colloquitur Fabius, referendum sit. Verum celeberr. Burmannus ad Quinct. Declam. 330. *adversus vanum*, scilicet Varronem, coniecit.

U. C. 536. 'mentum, non pecuniam habeat? Quam diu pro Geronii,⁹
 A. C. 216. 'castelli Apuliae inopis, tanquam pro Carthaginis moeni-
 'bus? Sed ne adversus te quidem ego gloriabor. Cn.
 'Servilius atque Atilius, proximi consules, vide quemad-¹
 'modum cum ludificati sint. Haec una salutis est via, L.
 'Paulle, quam difficilem infestamque cives tibi magis, quam
 'hostes, facient. Idem enim tui, quod hostium milites,
 'volent: idem Varro, consul Romanus, quod Hannibal,
 'Poenus imperator, cupiet. Duobus ducibus unus resistas,
 'oportet: resistes autem, adversus famam rumoresque ho-
 'minum si satis firmus steteris: si te neque collegae vana
 'gloria, neque tua falsa infamia moverit. Veritatem la-²
 'borare nimis saepe, aiunt, extinguere nunquam. Gloriam³
 'qui spreverit, veram habebit. Sine, timidum pro cauto,
 'tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent.
 'Malo te sapiens hostis metuat, quam stulti cives laudent.
 'Omnia audentem contemnet Hannibal; nil temere
 'agentem metuet. Nec ego, ut nihil agatur, moneo; sed
 'ut agentem te ratio ducat, non fortuna: tuae potestatis⁴
 'semper, tuaque omnia sint. Armatus intentusque sis,
 'neque occasione tuae desis, neque suam occasionem hosti
 'des. Omnia non properanti clara certaue erunt: fes-
 'tinatio improvida est et caeca.' Adversus ea oratio consulis
 40. haud sane laeta fuit, magis fatentis, ea, quae diceret,
 Paulli re- vera, quam facilia factu, esse. 'Dictatori magistrum
 sponsum. 'equitum intolerabilem fuisse; quid consuli adversus col-
 'legam seditiosum ac temerarium virium atque auctoritatis
 'fore? Se populare incendium priore consulatu semiustum⁵
 'effugisse. Optare, ut omnia prospere evenirent. At, si
 'quid adversi caderet, hostium se telis potius, quam suffra-
 'giis iratorum civium, caput obiecturum.'

Ab hoc sermone profectum Paullum tradunt, prosequen-
 tibus primoribus Patrum. Plebeium consulem sua plebes
 prosecuta, turba, quam dignitate, conspectior. Ut in castra
 venerunt, permixto novo exercitu ac vetere, castris bifariam
 factis, ut nova minora essent propius Hannibalem, in vete-

⁹ *Quam diu pro Geronii . . . moeni-*
bis] Supple, sedet, consenescit; vel,
 si mavis, cum detinui. Fortasse me-
 lius esset admittere coniecturam Val-
 lae et Gronovii: *Quamdiu pro Gero-*
nii . . . moenibus sedet? Ne adversus
te quidem. CREV.

¹ *Atque Atilius]* Forte et M. Atilius. CREV.

² *Laborare]* Defectum, vel deli-
 quium pati. Notum est illud Vir-
 gili, *Lunaeque labores.* Hunc esse

hoc loco sensum verbi *laborare*, pro-
 bat id quod sequitur, *extinguere nun-*
quam. CREV.

³ *Gloriam qui spreverit]* *Gloriam*
vanam qui spreverit, coniecit Mure-
 tus, Var. Lect. viii. 20.

⁴ *Ducat, non fortuna]* Post *for-*
tuna vocem *velim* ex coniectura Gro-
 novii reposuit Bekker.

⁵ *Populare incendium . . . semi-*
ustum] cf. Supr. 35. *damnatione col-*
legae ambustus.

6 ribus maior pars et omne robur virium esset; tum consulum U. C. 536.
 7 anni prioris M. Atilium, aetatem excusantem, Romam mi- A. C. 216.
 serunt; Geminum Servilium in minoribus castris legioni
 Romanae et socium peditum equitumque duobus millibus
 praeficiunt. Hannibal, quanquam parte dimidia auctas Hannibalis
 hostium copias cernebat, tamen adventu consulum mire angustiae.
 gaudere. Non solum enim nihil ex raptis in diem com-
 meatibus superabat, sed ne, unde raperet, quidem quiequam
 reliqui erat, omni undique frumento, postquam ager parum
 tutus erat, in urbes munitas convecto: ut vix decem dierum
 (quod compertum postea est) frumentum supereset, His-
 panorumque ob inopiam transitio parata fuerit, si maturitas
 temporum expectata foret.

Ceterum temeritati consulis ac praepropero ingenio ma- 41.
 teriam etiam fortuna dedit: quod in prohibendis praedato-
 8 ribus tumultuario proelio, ac procurso magis militum, quam
 ex praeparato aut iussu imperatorum, orto, haudquaquam
 par Poenis dimicatio fuit. Ad mille et septingenti caesi, Pabulato-
 non plus centum Romanorum sociorumque occisis. Cete- res Poenos
 rum victoribus effuse sequentibus metu insidiarum obstitit caedunt
 Paulus consul; cuius eo die (nam alternis imperitabant) Romani.
 imperium erat, Varrone indignante ac vociferante, emissum
 hostem e manibus; debellarique, ni cessatum foret, potuisse.
 Hannibal id damnum haud aegerrime pati: quin potius
 9 credere, velut inescatam temeritatem ferocioris consulis ac
 novorum maxime militum esse. Et omnia ei hostium, ac
 haud secus quam sua, nota erant: dissimiles discordesque
 imperitare; duas prope partes tironum militum in exercitu
 esse. Itaque, locum et tempus insidiis aptum se habere Hannibalis
 ratus, nocte proxima nihil praeter arma ferentes secum insidiae.
 1 milites ducens, castra plena omnis fortunae publicae priva-
 2 taeque relinquit; transque proximos montes laeva pedites
 instructos condit, dextra equites; impedimenta per con-
 vallem, medium agmen, traducit: ut diripiendis velut de-
 sertis fuga dominorum castris occupatum impeditumque
 hostem opprimeret. Crebri relictis in castris ignes, ut fides

6 Consulum anni prioris] Exem-
 pla similis constructionis supr. ix. 27.
 infr. xxiii. 29. occurrunt.

7 Romam miserunt] Ubi cum tri-
 ennio post censorem fuisse, ex Liv.
 xxiv. 11. Val. Max. ii. 9. et Fastis Cap.
 constat. Hinc Polybium errasse, qui
 lib. iii. 109. 114. 116. eum interfuisse
 pugnae Cannensi et in ea periisse tra-
 dit, iam docuere Schweigh. ad Polyb.
 et Perizon. Animadv. Hist. 1. Rur.

8 Ac procurso magis militum] Ab
 procurso ex emendat. Walchii repo-

suit Bekker.

9 Velut inescatam] Tanquam esca,
 sive incitamento ad temere pugnandum, illectam.

1 Omnis fortunae publicae priva-
 taeque] Intellige omnia cara, ut infra
 loquitur Livius, sive quae reipublicae
 Carthaginiensium essent, sive quae
 singulorum militum ac ducum. CREV.

2 Impedimenta per convallem, me-
 dium agmen] Ipsa impedimenta per
 exegesim dicuntur agmen medium.
 GROXOV.

U. C. 536. fieret, dum ipse longius spatium fuga praeciperet, falsa
 A. C. 216. imagine castrorum, sicut Fabium priore anno frustratus
 42. esset, tenere in locis consules voluisse. Ubi illuxit, sub-³
 ductae primo stationes, deinde propius adeuntibus insoli-
 tum silentium admirationem fecit. Iam satis comperta
 solitudine, in castris concursus fit ad praetoria consulum,
 nuntiantium fugam hostium adeo trepidam, ut, tabernaculis
 stantibus, castra reliquerint: quoque fuga obscurior esset,
 crebros etiam relictos ignes. Clamor inde ortus, ut signa
 proferri iuberent, ducerentque ad persequendos hostes, ac
 protinus castra diripienda. Et consul alter velut unus
 turbac militaris erat. Paullus etiam atque etiam dicere,
 providendum praecavendumque esse. Postremo, quum
 aliter neque seditionem neque ducem seditionis sustinere
 posset, Marium Statilium praefectum cum turma Lucana
 exploratum mittit. Qui, ubi adequitavit portis, subsistere
 extra munimenta ceteris iussis, ipse cum duobus equitibus
 vallum intravit: speculatusque omnia cum cura renuntiat,
 insidias profecto esse: ignes in parte castrorum, quae ver-
 gat in hostem, relictos: tabernacula aperta, et omnia cara
 in promptu relicta: argentum quibusdam locis temere per
 vias, velut obiectum ad praedam, vidisse. Quae ad deter-
 rendos a cupiditate animos nuntiata erant, ea accenderunt;
 et, clamore orto a militibus, 'ni signum detur, sine ducibus
 'ituros,' haudquaquam dux defuit: nam extemplo Varro
 signum dedit proficiscendi. Paullus, quum ei sua sponte
 cunctanti pulli quoque auspicio non addixissent, obnuntiari⁴
 iam efferenti porta signa collegae iussit. Quod quanquam
 Varro aegre est passus, Flamini tamen recens casus, Clau-⁵
 diique consulis primo Punico bello memorata navalis clades,
 religionem animo incussit. Dii prope ipsi eo die magis
 distulere, quam prohibuere, imminem pestem Romanis.
 Deprehen- Nam forte ita evenit, ut, quum referri signa in castra iu-
 duntur. benti consuli milites non parerent, servi duo, Formiani
 unus, alter Sidicini equitis, qui, Servilio atque Atilio con-
 sulibus, inter pabulatores excepti a Numidis fuerant, profu-
 gerent eo die ad dominos: qui deducti ad consules nun-
 tiant, omnem exercitum Hannibalis trans proximos montes
 sedere in insidiis. Horum opportunus adventus consules
 imperii potentes fecit, quum ambitio alterius suam primum
 apud eos prava indulgentia maiestatem solvisset.

³ *Tenere in locis*] cf. Infr. xxiii. 44.
tenuit imber continens per omnem
noctem, h. e. duravit.

⁴ *Obnuntiari*] Nuntiari, auspicia
 infausta esse, nec proinde licere quic-
 quam rei novae aggredi.

⁵ *Claudiique consulis . . . navalis*
clades] Eius qui pullos, quoniam non
 pascebantur, in mare praecipitari ius-
 sit, *ut biberent, quando esse nollent*.
 cf. Cic. de Div. i. 16. Val. Max. i. 4.

Hannibal, postquam motos magis inconsulte Romanos, U. C. 536.
 6 quam ad ultimum temere evectos, vidit; nequicquam, de- A. C. 216.
 tecta fraude, in castra rediit. Ibi plures dies propter in- 43.
 opiam frumenti manere nequibat; novaque consilia in dies
 non apud milites solum, mixtos ex colluvione omnium
 gentium, sed etiam apud ipsum ducem, oriebantur. Nam Hannibalis
 quum initio fremitus, deinde aperta vociferatio fuisset ex- inopia et
 poscentium stipendium debitum, querentiumque annonam anxietas.
 primo, postremo fameni; et mercenarios milites, maxime
 Hispani generis, de transitione cepisse consilium fama esset:
 ipse etiam interdum Hannibal de fuga in Galliam dicitur
 agitasse, ita ut, relicto peditatu omni, cum equitibus se
 proriperet. Quum haec consilia atque hic habitus animo- Castra mo-
 rum esset in castris, movere inde statuit in calidiora atque vet.
 eo maturiora messibus Apuliae loca: simul ut, quo longius
 ab hoste recessisset, transfugia impeditiora levibus ingeniis
 essent. Profectus est nocte, ignibus similiter factis, taber-
 naculisque paucis in speciem relictis, ut insidiarum par
 priori metus contineret Romanos. Sed, per eundem Lu-
 canum Statilium, omnibus ultra castra transque montes ex-
 ploratis, quum relatum esset, visum procul hostium agmen;
 tum de insequendo eo consilia agitari coepta. Quum
 7 utriusque consulis eadem, quae semper ante, fuisset sen-
 tentia; ceterum Varroni fere omnes, Paullo nemo, praeter
 Servilium prioris anni consulem, assentiretur; maioris par-
 8 tis sententia ad nobilitandas clade Romana Cannas, urgente
 fato, profecti sunt. Prope cum vicum Hannibal castra Ad Cannas
 posuerat aversa a Vulturno vento, qui campis torridis siccita- castra po-
 tate nubes pulveris vehit. Id quum ipsis castris percom- nit.
 modum fuit, tum salutare praecipue futurum erat, quum
 aciem dirigerent, ipsi aversi, terga tantum afflante vento,
 in occaecatum pulvere offuso hostem pugnaturi.

Consules, satis exploratis itineribus, sequentes Poenum, 44.
 ut ventum ad Cannas est, ubi in conspectu Poenum habe- Romani bi-
 bant, bina castra communiunt, eodem ferme intervallo, quo na castra
 ad Geronium, sicut ante, copiis divisis. Aufidus annis, mununt.
 utrisque castris affluens, aditum aquatoribus ex sua cuius-
 que opportunitate haud sine certamine dabat. Ex mino-
 9 ribus tamen castris, quae posita trans Aufidum erant, libe-
 rius aquabantur Romani, quia ripa ulterior nullum habebat

6 *Nequicquam*] Re infecta rediit.
 Sic ap. Sall. Iugurth. 25. *Legati frustra discessere.* CREV.

7 *Eadem, quae semper ante*] Alterius scilicet ad pugnandum, alterius ad sedendum proclivis.

8 *Urgente fato*] Tacet omnino Livius de consiliis Romae habitis, et de

mandato a senatu consulibus dato, ut operam reipublicae strenue navarent, et cum Hannibale manus, si id opportune fieri posset, consererent. cf. Polyb. iii. 107, 108.

9 *Trans Aufidum*] sc. In ripa Orientali.

U. C. 536. hostium praesidium. Hannibal spem nactus, locis natis ad
 A. C. 216. equestrem pugnam, qua parte virium invictus erat, facturos
 copiam pugnandi consules, dirigit aciem, lacessitque Numi-
 darum procursatione hostes. Inde rursus sollicitari seditione militari ac discordia consulum Romana castra: quum
 Discordia Paullus Semproniique et Flamini temeritatem Varroni,
 Coss. Varro speciosum timidis ac segnibus ducibus exemplum Fabium obiiceret: testareturque deos hominesque hic, 'nullam penes se culpam esse, quod Hannibal iam velut
 'usucepisset Italiam; se constrictum a collega teneri; fer-
 'rum atque arma iratis et pugnare cupientibus adimi mili-
 'tibus;' ille, 'si quid proiectis ac proditis ad inconsultam at-
 'que improvidam pugnam legionibus accideret, se, omnis cul-
 'pae exsortem, omnis eventus participem fore' diceret. 'Vi-
 'deret, ut, quibus lingua tam prompta ac temeraria, acque
 'in pugna vigerent manus.'

45. Dum altercationibus magis, quam consiliis, tempus teri-
 tur, Hannibal ex acie, quam ad multum diei tenuerat in-
 structam, quum in castra ceteras reciperet copias, Numidas
 Numidae aquatores ad invadendos ex minoribus castris Romanorum aquatores
 fugant. trans flumen mittit. Quam inconditam turbam quum vix-
 dum in ripam egressi clamore ac tumultu fugassent, in stationem quoque pro vallo locatam atque ipsas prope portas
 evecti sunt. Id vero indignum visum, ab tumultuario auxilio
 iam etiam castra Romana terreri: ut ea modo una causa, ne extemplo transirent flumen, dirigerentque aciem, tenuerit Romanos, quod summa imperii eo die penes Paullum fuerit. Itaque Varro postero die, cui sors eius diei imperii erat, nihil consulto collega, signum pugnae proposuit, instructasque copias flumen traduxit, sequente Paulo; quia
 Varro signum pugnae proponit. magis non probare, quam non adiuvere, consilium poterat. Transgressi flumen eas quoque, quas in castris minoribus habuerant, copias suis adiungunt: atque ita instructa acie, in dextro cornu (id erat flumini propius) Romanos equites
 Instruit aciem. locant, deinde pedites: laevum cornu extremi equites sociorum, intra pedites, ad medium iuncti legionibus Romanis tenuerunt: iaculatores cum ceteris levium armorum auxiliis

1 *Usucepisset*] h. e. Quasi legitimum dominium Italiae sibi acquisivisset. Haud scio an hoc verbo Livius proprio iniconsultis sensu usus fuerit, quo, qui rem biennium in Italico solo bona fide possedisset, ei usucapio eius competeret. cf. Iust. Inst. ii. 6. Gaii Inst. ii. 35.

2 *Altercationibus magis, quam consiliis*] Quippe disceptarent, non utrum cum Hannibale, sed quo loco et qua occasione quam opportune conflice-

rent.

3 *Tumultuario auxilio*] Numidis nimirum auxiliaribus, qui subitariam pugnam ciebant.

4 *Flumen traduxit*] sc. In Orientalem ripam, ubi minora castra erant. Polyb. iii. 113.

5 *Equites locant, deinde pedites*] Ita quoque Polyb. iii. 113. qui peditem octoginta millia, equitum plus sex millia in acie Romanorum stetit scribit.

prima acies facti. Consules cornua tenuerunt; Terentius U. C. 536.
laevum, Aemilius dextrum. Geminio Servilio media pugna A. C. 216.
tuenda data.

Hannibal luce prima, Baliaribus levique alia armatura 46.
praemissa, transgressus flumen, ut quosque traduxerat, ita Hannibal
in acie locabat. Gallos Hispanosque equites prope ripam aciem in-
laevo in cornu adversus Romanum equitatum: dextrum struit.
cornu Numidis equitibus datum, media acie peditibus
firmata; ita, ut Afrorum utraque cornua essent, interpone-
rentur his medii Galli atque Hispani. Afros Romanam
magna ex parte crederes aciem: ita armati erant, armis et
ad Trebiam, ceterum magna ex parte ad Trasimenum captis.
Gallis Hispanisque scuta eiusdem formae fere erant: dis-
pares ac dissimiles gladii: Gallis praelongi ac sine mucro-
nibus: Hispano, punctum magis, quam caesim, assuetu pe-
tere hostem, brevitate habiles et cum mucronibus. Sane et
alius habitus gentium harum tum magnitudine corporum,
tum specie terribilis erat. Galli super umbilicum erant
nudi: Hispani linteis praetextis purpura tunicis, candore
miro fulgentibus, consisterant. Numerus omnium peditum,
qui tum steterunt in acie, millium fuit quadraginta, decem
equitum. Duces cornibus praecerant: sinistro Hasdrubal,
dextro Maharbal: mediam aciem Hannibal ipse cum fratre
Magone tenuit. Sol, seu de industria ita locatis, seu quod
forte ita starent, peropportune utrique parti obliquus erat,
Romanis in meridiem, Poenis in septentrionem versis.
Ventus, (Vulturum incolae regionis vocant) adversus Ro-
manis coortus, multo pulvere in ipsa ora volvendo prospectum
ademit.

Clamore sublato, procursum ab auxiliis, et pugna levibus 47.
primum armis commissa: deinde equitum Gallorum His- Proelium
panorumque laevum cornu cum dextro Romano concurrir, committi-
minime equestreis more pugnae: frontibus enim adversis tur.
concurrendum erat, quia, nullo circa ad evagandum relicto
spatio, hinc amnis, hinc peditum acies claudebant in dire-
ctum utrimque nitentes. Stantibus ac confertis postremo
turba equis, vir virum amplexus detrahebat equo. Pedestre

6 *Afros Romanam*] Ita quoque
Polyb. iii. 114. qui haec omnia de nu-
mero et armatura legionum Hanni-
balis iisdem fere verbis refert.

7 *Sane et alius*] *Ante ceteros* vulgo.
Alius ex emendat. Gronov. provenit,
quam probat Drak. nimirum, ut saepe
apud nostrum, pro *reliquis*.

8 *Dextro Maharbal*] Apud Polyb.
loc. cit. Hanno dextro cornui praefec-
tus est. Ap. Appian. Hannibal. 20.

dextrum Mago. laevum Hanno tenet.

9 *Ventus, (Vulturum ...)* De
hoc vento omnino silet Polybius.

1 *Minime equestreis more pugnae*]
Quippe quae alias vaga, nec confertis
ordinibus committebatur. STROTH.

2 *Claudebant ... nitentes*] Clau-
debant hinc Romanos, inde Gallos
Hispanosque equites, qui proinde co-
gebantur in directum frontibus ad-
versis niti. CREV.

U. C. 536. magna iam ex parte certamen factum erat: acrius tamen,
 A. C. 216. quam diutius, pugnatum est; pulsique Romani equites terga
 vertunt. Sub equestris finem certaminis coorta est peditum
 pugna. Primo et viribus et animis pares constabant ordines
 Gallis Hispanisque: tandem Romani, diu ac saepe connisi,
 aequa fronte acieque densa impulere hostium cuneum nimis
 tenuem, coque parum validum, a cetera prominentem acie.
 Impulsis deinde ac trepide referentibus pedem insistere: ac
 tenore uno per praeceps pavore fugientium agmen in
 mediam primum aciem illati, postremo, nullo resistente, ad
 subsidia Afrorum pervenerunt; qui utrimque reductis alis
 constiterant, media, qua Galli Hispanique steterant, ali-
 quantum prominente acie. Qui cuneus ut pulsus aequavit
 frontem primum, deinde nitendo etiam sinum in medio
 dedit, Afri circa iam cornua fecerant; irruentibusque in-
 caute in medium Romanis, circumdedere alas: mox, cor-
 nua extendendo, clausere et ab tergo hostes. Hinc Ro-
 mani, defuncti nequicquam proelio uno, omissis Gallis
 Hispanisque, quorum terga ceciderant, et adversus Afros
 integram pugnam ineunt, non tantum eo iniquam, quod
 inclusi adversus circumfusus, sed etiam quod fessi cum re-
 centibus ac vègetis pugnabant.

48. Iam et in sinistro cornu Romano, ubi sociorum equites
 adversus Numidas steterant, consortum proelium erat,
 segne primo, et a Punica coeptum fraude. Quingenti
 ferme Numidae, praeter solita arma telaque, gladios ocul-
 3 tos sub loriceis habentes, specie transfugarum quum ab suis,
 parmas post terga habentes, adequitassent, repente ex equis
 desiliunt; parmisque et iaculis ante pedes hostium pro-
 iectis, in mediam aciem accepti, ductique ad ultimos, con-
 sidere ab tergo inbentur. Ac, dum proelium ab omni parte
 conscribitur, quieti manserunt: postquam omnium animos
 oculosque occupaverat certamen, tum, arreptis scutis, quae
 passim inter acervos caesorum corporum strata erant, aver-
 sam adoriuntur Romanam aciem; tergaque ferientes, ac
 poplites caedentes, stragem ingentem, ac maiorem aliquanto
 pavorem ac tumultum, fecerunt. Quum alibi terror ac
 fuga, alibi pertinax in mala iam spe proelium esset, Hasdru-
 4 bal, qui ea parte praeerat, subductos ex media acie Numidas,

2 *Deinde nitendo*] h. e. Nitentibus Romanis.

3 *Praeter solita arma*] Haec est coniectura Heinsii, quam Perizonius probat. Olim *praeterita arma*: ceterum *praeter iusta* coniecit Gronov. *praeter consueta* vulg. edd. quippe perdifficile est inter voces *iustum* et *consuetum* in mss. diiudicare. Haec

vero de Numidis relata ap. Polybium non memorantur.

4 *Hasdrubal, qui ea parte praeerat*] Haec et quae sequuntur omnino corrupta sunt, et pro deploratis habenda. Primo enim Hasdrubal non hac parte, sed laeva praeerat. Deinde quonam modo subduci possunt ex media acie Numidae, qui in dextro cornu locati

quia segnis eorum cum adversis pugna erat, ad persequendos U. C. 536.
passim fugientes mittit: Hispanos et Gallos pedites, iam A. C. 216.
Afris prope fessis caede magis quam pugna, adiungit.

Parte altera pugnae Paullus, quanquam primo statim 49.
proelio funda graviter ictus fuerat, tamen et occurrit saepe
cum confertis Hannibali, et aliquot locis proelium restituit,
protegentibus eum equitibus Romanis; omissis postremo
equis, quia consulem et ad regendum equum vires deficie-
bant. Tum denuntianti cuidam, iussisse consulem ad pedes
5 descendere equites, dixisse Hannibalem ferunt: ‘Quam Vincit
‘mallem, vinctos mihi traderet!’ Equitum pedestre proe- Hannibal.
lium, quale iam haud dubia hostium victoria, fuit; quum
victi mori in vestigio mallent, quam fugere; victores,
morantibus victoriam irati, trucidarent, quos pellere non
poterant. Pepulerunt tamen iam paucos superantes, et
labore ac vulneribus fessos. Inde dissipati omnes sunt,
equosque ad fugam, qui poterant, repetebant. Cn. Len-
tulus tribunus militum, quum, praetervehens equo, sedentem
in saxo cruore oppletum consulem vidisset; ‘L. Aemili,’
inquit, ‘quem unum insontem culpae cladis hodiernae dii
‘respicere debent, cape hunc equum: dum et tibi virium
‘aliquid superest, comes ego te tollere possum ac protegere.
‘Ne finestam hanc pugnam morte consulis feceris. Etiam
‘sine hoc lacrimarum satis luctusque est.’ Ad ea consul: L. Aemilii
‘Tu quidem, Cn. Corneli, macte virtute esto! Sed cave, Cos. po-
‘frustra miserando exiguum tempus e manibus hostium strema
‘evadendi absumas. Abi, nuntia publice Patribus, urbem verba.
‘Romanam muniant, ac prius, quam hostis victor adveniat,
‘praesidiis firment: privatimque Q. Fabio, L. Aemilium
‘praeceptorum eius memorem et vixisse, et adhuc mori.
‘Me in hac strage militum meorum patere expirare, ne aut
‘reus iterum e consulatu sim, aut accusator collegae exis-
‘tam, ut alieno crimine innocentiam meam protegam.’
Haec exigentes prius turba fugientium civium, deinde
hostes, oppressere: consulem, ignorantes quis esset, obruere
telis: Lentulum inter tumultum abripuit equus. Tum inde
effuse fugiunt. Septem millia hominum in minora castra,

fuerant? Postremo quid necesse est
adiungi Afris in media acie Gallos
Hispanosque pedites, qui in ea sem-
per fuere? Rem clare ex Polybio dis-
cimus. Hasdrubal, qui in laevo cornu
Hispanis Gallisque equitibus praeerat,
quum occidione occidisset Romanum
equitatum, transit in dextrum cornu,
et coniunctus Numidis sociorum equi-
tes in fugam vertit. Eos deinde per-
sequendos caedendosque permittit Nu-
midis. Ipse cum suis Gallis Hispa-

nisque equitibus Romanos pedites cum
Afris tum maxime pugnantes a tergo
invadit. Hoc procul dubio voluerat
Livius. Sed ad hunc sensum eius verba
refingere sine librorum ope frustra ten-
taverimus. CREV.

§ *Quam mallem, vinctos mihi tra-*
deret] Plutarch. in Fabio sententiam
contrariam prae Hannibale fert, quae
ita verti potest, *hoc mallem, quam si*
mihi vinctos dederet. Sed haec iro-
nice dicta suspicatur Crevier.

U. C. 536. decem in maiora, duo ferme in vicum ipsum Cannas per-
 A. C. 216. fugerunt: qui extemplo a Carthalone atque equitibus, nullo
 munimento tegente vicum, circumventi sunt. Consul alter,
 seu forte, seu consilio, nulli fugientium infestus agmini,⁶
 cum septuaginta fere equitibus Venusiam perfugit. Qua-⁷
 draginta quinque millia peditum, duo millia septingenti
 equites, et tanta prope civium sociorumque pars, caesi⁸
 dicuntur; in his ambo consulum quaestores L. Atilius et
 L. Furius Bibaculus: unus et viginti tribuni militum; con-
 sulares quidam praetorii⁹que et aedilicii: inter eos Cn. Ser-
 vilium Geminum et M. Minucium numerant, qui magister
 equitum priore anno, aliquot ante consul fuerat: octoginta
 praeterea aut senatores, aut qui eos magistratus gessissent,⁹
 unde in senatum legi deberent, quum sua voluntate milites
 in legionibus facti essent. Capta eo proelio tria millia pe-¹
 ditum et equites trecenti dicuntur.

Clades
 quanta fu-
 erit.

50. Haec est pugna Cannensis, Alliensi cladi nobilitate par:
 ceterum ut illis, quae post pugnam accidere, levior, quia ab
 hoste cessatum est; sic strage exercitus gravior foediorque.
 Fuga namque ad Alliam sicut urbem prodidit, ita exercitum²
 servavit: ad Cannas fugientem consulem vix septuaginta
 secuti sunt: alterius morientis prope totus exercitus fuit.

Canusium
 multi Ro-
 manorum
 fugiunt.

Binis in castris quum multitudo semiernis sine ducibus
 esset, nuntium, qui in maioribus erant, mittunt; ‘dum
 ‘proelio, deinde ex laetitia epulis fatigatos quies nocturna
 ‘hostes premeret, ut ad se transirent: uno agmine Canu-
 ‘sium abituros esse.’ Eam sententiam alii totam aspernari:
 ‘Cur enim illos, qui se arcessant, ipsos non venire, quum
 ‘aeque coniungi possent? quia videlicet plena hostium
 ‘omnia in medio essent: et aliorum, quam sua, corpora
 ‘tanto periculo mallent obicere.’ Aliis non tam sententia
 displicere, quam animus deesse. P. Sempronius Tuditanus
 tribunus militum, ‘Capi ergo mavultis,’ inquit, ‘ab avaris-
 ‘simo et crudelissimo hoste, aestimari^{que} capita vestra, et

6 Nulli fugientium infestus agmini]
 Vitium est in voce *infestus*. Nihil
 melius occurrit, quam, quod coniicit
 Gronovius, *immistus*. CREV.

7 Quadraginta quinque millia] Poly-
 lyb. iii. 117. ad septuaginta millia
 caesa tradit. *Quinque* omittunt Drak.
 et Stroth.

8 Et tanta prope] *Aequalis prope*,
 ut Crevier. videtur, ita ut sensus sit,
 parem civium sociorumque cecidisse
 numerum.

9 Qui eos magistratus gessissent]
 Scilicet curules: quippe qui magi-
 stratus curules gesserant, iis hoc ius
 erat, ut a proximis post gestum ma-

gistratum suum censoribus in senatum
 legi deberent. Atque etiam, ante-
 quam in senatum legerentur et sena-
 tores essent, curiam tamen ingredi
 poterant, et in senatu sententiam di-
 cere. Hinc illa veteris edicti formula,
 qua consules utebantur, quum sena-
 tum in curiam convocarent: *senatores*,
quibusque in senatu sententiam dicere
licet. Vid. A. Gell. iii. 18. CREV.

1 Capta eo proelio tria millia] De-
 cem millia scribit Polyb. iii. 117.

2 Fuga namque ad Alliam sicut
 urbem prodidit] Parum sibi constat
 Livius, ut Niebhr. censet ii. n. 1198.

‘exquiri pretia ab interrogantibus, Romanus civis sis, an
 3 ‘Latinus socius, ut ex tua contumelia et miseria alteri honos
 4 ‘quaeratur? Non tu: si quidem L. Aemilii consulis, qui
 ‘se bene mori, quam turpiter vivere maluit, et tot fortissi-
 ‘morum virorum, qui circa eum cumulati iacent, cives
 ‘estis. Sed ante, quam opprimit lux, maioraque hostium
 ‘agmina obsaepiunt iter, per hos, qui inordinati atque in-
 ‘compositi obstrepunt portis, erumpamus. Ferro atque
 ‘audacia via fit, quamvis per confertos hostes. Cuneo
 ‘quidem hoc laxum atque solutum agmen, ut si nihil obstet,
 ‘transibimus. Itaque ite mecum, qui et vosmet ipsos et
 ‘republicam salvam vultis.’ Haec ubi dicta dedit, stringit
 gladium, cuneoque facto per medios vadit hostes. Et,
 5 quum in latus dextrum, quod patebat, Numidae iacularen-
 tur, translatis in dextrum scutis, in maiora castra ad sex-
 centi evaserunt: atque inde protinus, alio magno agmine
 adiuncto, Canusium incolumes perveniunt. Haec apud
 victos magis impetu animorum, quem ingenium suum cui-
 que aut fors dabat, quam ex consilio ipsorum, aut imperio
 cuiusquam, agebantur.

Hannibali victori quum ceteri circumfusi gratularentur, 51.
 suaderentque, ut, tanto perfunctus bello, diei quod reliquum
 6 esset, noctisque insequentis, quietem et ipse sibi sumeret, et
 fessis daret militibus; Maharbal, praefectus equitum, minime
 cessandum ratus, ‘Imo, ut, quid hac pugna sit actum, scias,
 ‘die quinto,’ inquit, ‘victor in Capitolio epulaberis. Se-
 ‘quere: cum equite, ut prius venisse, quam venturum,
 ‘sciant, praecedam.’ Hannibali nimis lacta res est visa,
 maiorque, quam ut eam statim capere animo posset. Ita-
 que, ‘voluntatem se laudare Maharbalis,’ ait: ‘ad consilium
 7 ‘pensandum temporis opus esse.’ Tum Maharbal, ‘Non
 ‘omnia, nimirum, eidem dii dedere. Vincere scis, Hanni-
 ‘bal; victoria uti nescis.’ Mora eius diei satis creditur sa-
 luti fuisse urbi atque imperio.

Postero die ubi primum illuxit, ad spolia legenda foedam-
 que etiam hostibus spectandam stragem insistunt. Iacebant
 Strages etiam hos-
 tibus mi-
 serabilis.

3 *Ut ex tua miseria*] Ut ex
 miseria et contumelia, quae tibi Ro-
 mano perpetienda indicetur, honos
 alteri, cuilibet nempe Latino, quaera-
 tur. Hannibal hoc institutum haecenus
 servaverat, ut e captivis eos qui erant
 Latini nominis sine pretio dimitteret,
 Romanos in vincula daret. Vid. supr.
 7. infr. 58. CREV.

4 *Non tu*] sc. Hoc committes:
 nimirum singulatim audientes admo-
 net.

5 *Ad sexcenti*] Vulg. *sexcentos*, sed

ex emendatione Gronov. *ad sexcenti*,
 ut passim, hoc est *circiter*, Kreyssig.
 reposuit.

6 *Noctisque insequentis*] Dicen-
 dum fuisse ut infr. 59. *noctemque in-*
sequentem; similiter autem supr. v.
 19. *fatalis dur ad excidium illius ur-*
bis servandaeque patriae Camillus pro
servandamque patriam dici monet
 Stroth.

7 *Temporis opus esse*] Cicero quo-
 que cum casu secundo *opus* ponit. cf.
 de Div. x. 8. et ibi Manut. DOER.

U. C. 536. tot Romanorum millia, pedites passim equitesque, ut quem⁸
 A. C. 216. cuique fors aut pugna iunxerat aut fuga. Assurgentes
 quidam ex strage media cruenti, quos stricta matutino fri-
 gore excitaverant vulnera, ab hoste oppressi sunt. Quos-
 dam et iacentes vivos succisis feminibus poplitibusque inve-
 nerunt, nudantes cervicem ingulumque, et reliquum san-
 guinem iubentes haurire. Inventi sunt quidam mersis in
 effossam terram capitibus, quos sibi ipsos fecisse foveas,
 obruentesque ora superiecta humo interclusisse spiritum ap-
 parebat. Præcipue convertit omnes substratus Numidæ
 mortuo superincubanti Romanus vivus, naso antribusque la-
 ceratis: quum, manibus ad capiendum telum inutilibus,
 in rabiem ira versus, laniando dentibus hostem exspi-⁹
 rasset.

52.

Bina Ro-
 manorum
 castra se
 dedunt
 victori.

Spoliis ad multum diei lectis, Hannibal ad minora ducit
 castra oppugnanda, et omnium primum, brachio obiecto,¹
 flumine eos excludit. Ceterum ab omnibus, labore, vigiliis,
 vulneribus etiam fessis, maturior ipsius spe deditio est facta.
 Pacti, ut arma atque equos traderent, in capita Romana
 trecentis nummis quadrigatis, in socios ducenis, in servos²
 centenis, et ut, eo pretio persoluto, cum singulis abirent
 vestimentis, in castra hostes acceperunt; traditique in cus-³
 todiam omnes sunt, seorsum cives sociique. Dum ibi
 tempus teritur, interea quum ex maioribus castris, quibus
 satis virium aut animi fuit, ad quattuor millia hominum et
 ducenti equites, alii agmine, alii palati passim per agros,
 quod haud minus tutum erat, Canusium perfugissent, castra
 ipsa ab sauciis timidisque eadem conditione, qua altera,
 tradita hosti. Praeda ingens parta est: et, præter equos
 virosque, et si quid argenti, (quod plurimum in phaleris
 equorum erat; nam ad vescendum facto perexiguo, utique⁴
 militantes, utebantur) omnis cetera præda diripienda data
 est. Tum sepeliendi causa conferri in unum corpora suo-
 rum iussit. Ad octo millia fuisse dicuntur fortissimorum

Poeni 8000
 in acie
 caesi.

⁸ *Ut quem cuique fors*] Ut quem
 cuique casus adiunxerat, aut in pugna,
 aut in fuga. CREV.

⁹ *Laniando dentibus hostem exspi-
 rasset*] sc. Numida qui morientem
 se hosti Romano superiniecit, et
 rabiem vitamque, dentibus in os Ro-
 mani infixis, simul exspirasset. Ce-
 terum *Numida ... Romano*, tantum
 non omnes edd. habent.

¹ *Brachio obiecto*] *Brachia* vocari
 munitiones ex reliquo opere procur-
 rentes monet Drakenb. sed Douiat.
 fossam inter castra flumenque deduc-
 tam hic intelligi vult.

² *Trecentis nummis quadrigatis*] h.

e. Denariis argenteis. cf. Plin. H. N.
 xxxiii. 3. Bigati aut quadrigati dicti
 sunt hi nummi, quod biga aut qua-
 driga notati sunt. Denarius autem
 xvi. assibus permutabatur. Trecenti
 denarii tantum non idem, quod tres
 minae Atticae, valuerunt, et pretium
 haud insolitum erant liberorum capi-
 tum. Cf. Böckh. Staatshaushaltung
 der Athener i. § 13.

³ *Hostes acceperunt*] Hostes ni-
 mirum Poeni, ut cap. priore *hostem*
 Numidam legimus.

⁴ *Ad vescendum facto*] h. e. Elabo-
 rato, quo in vescendo uterentur.

virorum. Consulem quoque Romanum conquisitum sepultumque, quidam auctores sunt.

U. C. 536.

A. C. 216.

5 Eos, qui Canusium perfrugerant, mulier Apula, nomine Busa, genere clara ac divitiis, moenibus tantum tectisque a Canusiis acceptos, frumento, veste, viatico etiam iuvit; pro qua ei munificentia postea, bello perfecto, ab senatu honores habiti sunt. Ceterum, quum ibi tribuni militum quattuor essent, Fabius Maximus de legione prima, cuius pater priore anno dictator fuerat, et de legione secunda L. Publicius Bibulus et P. Cornelius Scipio, et de legione tertia Ap. Claudius Pulcher, qui proxime aedilis fuerat; omnium consensu ad P. Scipionem, admodum adolescentem, et ad Ap. Claudium summa imperii delata est. Quibus consultantibus inter paucos de summa rerum nuntiat P. Furius Philus, consularis viri filius, ‘Nequicquam eos perditam spem fovere: desperatam comploratamque rem esse publicam. Nobiles iuvenes quosdam, quorum principem 53. ‘L. Caecilium Metellum, mare ac naves spectare, ut, deserta 6 ‘Italia, ad regnum aliquem transfugiant.’ Quod malum, 7 praeterquam atrox, super tot clades etiam novum, quum stupore ac miraculo torpidos defixisset, et, qui aderant, 8 consilium advocandum de eo censerent; negat consilii rem esse Scipio iuvenis, fatalis dux huiusce belli. ‘Audendum ‘atque agendum, non consultandum,’ ait, ‘in tanto malo ‘esse. Irent secum extemplo armati, qui rempublicam 9 ‘salvam vellent. Nullo verius, quam ubi ea cogitentur, ‘hostium castra esse.’ Pergit ire, sequentibus paucis, in A Scipione opprimitur. hospitium Metelli: et, quum concilium ibi invenum, de quibus allatum erat, invenisset, stricto super capita consultantium gladio, ‘Ex mei animi sententia,’ inquit, ‘ut ego ‘republicam populi Romani non deseram neque alium ‘civem Romanum deserere patiar. Si sciens fallo, tum me, ‘Iupiter optime maxime, domum, familiam, remque meam ‘pessimo leto afficias! In haec verba, L. Caccili, iures,

Coniunctio
deserendae
Italiae
causa.

5 *Mulier Apula*] Olim *Paula*. Emendavit ingeniose Lipsius.

6 *Ad regum aliquem*] *Regem*. Drak. et Bekker. probant; ceterum *regum* Gronov., Crev., et Stroth. tuentur.

7 *Praeterquam atrox*] *Praeterquam* quod edd. ante Gron. sed quod recte omitti exemplis idoneis docuerunt Gron. et Drak. cf. supr. iv. 17. infr. xxvi. 13.

8 *Consilium advocandum*] sc. Tribunorum et eorum qui ordines duxissent. *Concilium* edd. ante Crev. Verum *concilium* de audientibus rectius dicitur, *consilium* de deliberantibus

atque inter se consultantibus. Sed haec verba saepius inter se permutantur. cf. Gronov. Observ. ad Liv. xlv. 3.

9 *Nullo verius*] De ellipsi vocis loco. cf. Sanct. in Minerv. iv. 4. v. *Locus*. Eodem refer *tenere se in privato*, de quo vide Gronov. ad Liv. xxiii. 7. Drak.

1 *Ex mei animi sententia*] Ellipsin vocis *iuro* in hac similibusque sollemnibusque formulis, praeter loca quae Gronov. in Observ. iv. 14. laudavit, lapidem ap. Fabrett. Inser. p. 675. confirmare docet Drak.

U. C. 536. 'postulo, ceterique, qui adestis: qui non iuraverit, in se
A. C. 216. 'hunc gladium strictum esse sciat.' Haud secus pavidi,
quam si victorem Hannibalem cernerent, iurant omnes:
custodiendosque semet ipsos Scipioni tradunt.

54. Eo tempore, quo haec Canusii agebantur, Venusiam ad
consulem ad quattuor millia et quingenti pedites equitesque,
qui sparsi fuga per agros fuerant, pervenere. Eos omnes
Venusini per familias benigne accipiendos curandosque
quum divisissent, in singulos equites togas et tunicas et²
quadrigatos nummos quinos vicenos, et peditibus denos, et
arma, quibus deerant, dederunt: ceteraque publice ac pri-
vatim hospitaliter facta, certatumque, ne a muliere Canusina
populus Venusinus officiis vinceretur. Sed gravius onus
Busae multitudo faciebat, et iam ad decem millia hominum
erant. Appiusque et Scipio, postquam incolumem esse
alterum consulem acceperunt, nuntium extemplo mittunt,
quantae secum peditum equitumque copiae essent: scisci-
tatumque simul, utrum Venusiam adduci exercitum, an
manere iuberet Canusii? Varro ipse Canusium copias tra-
duxit. Et iam aliqua species consularis exercitus erat;
moenibusque se certe, si non armis, ab hoste videbantur
defensuri.

Romam, ne has quidem reliquias superesse civium socio-
rumque, sed occidione occisos cum duobus exercitibus con-
sules, deletasque omnes copias, allatum fuerat. Nunquam,
salva urbe, tantum pavoris tumultusque intra moenia Ro-
mana fuit. Itaque succumbam oneri, neque aggrediar nar-
rare, quae edissertando minora vero fecero. Consule exer-
cituque ad Trasimenum priore anno amisso, non vulnus³
super vulnus, sed multiplex clades, cum duobus consulibus
duo consulares exercitus amissi nuntiabantur: nec ulla iam
castra Romana, nec ducem, nec militem esse: Hannibalis
Apuliam, Samnium, ac iam prope totam Italiam factam.
Nulla profecto alia gens tanta mole cladis non obruta esset.
Compares cladem ad Aegates insulas Carthaginiensium,
proelio navali acceptam, qua fracti Sicilia ac Sardinia ces-
sere, hinc vectigales ac stipendiarios fieri se passi sunt; aut

Pavor Ro-
mae maxi-
mus.

² *In singulos equites togas et tuni-
cas]* Hinc, et ex aliis titidum Livii
locis, xxix. 3. et 36. xlv. 16. patet
togas etiam a militantibus gestatas.
At primo intelligendum est eos togis
usos esse, non in acie, sed in hibernis
aut in otio castrorum. Deinde ex eo
quod hic solum equitum fiat mentio,
et in duobus ultimis locis supra memo-
ratis numerus togarum, quae mittuntur
ad exercitus, longe minor sit tunica-
rum numero, nec sufficiens profecto ad

totum exercitum vestiendum, colligit
Aldus Man. de Quaestis iii. Ep. 1.
togas honestioribus tantum in usu
fuisse, puta equitibus, centurionibus,
etc. CREV.

³ *Non vulnus super vulnus]* Non
simile modo vulnus, illi quod priore
anno acceptum erat, sed potius mul-
tiplex clades nuntiabatur. Livium
saepius ponere *non ... sed*, pro *non
modo, sed etiam*, putat supr. x. 6. infr.
xxviii. 11. Stroth.

pugnam adversam in Africa, cui postea hic ipse Hannibal U. C. 536. succubuit: nulla ex parte comparandae sunt, nisi quod minore animo latae sunt. A. C. 216.

- P. Furius Philus et M. Pomponius praetores senatum in curiam Hostiliam vocaverunt, ut de urbis custodia consul- 55.
rent. Neque enim dubitabant, deletis exercitibus, hostem ^{Senatus} consulitur
ad oppugnandam Romam, quod unum opus belli restaret, ^{de urbis} custodia.
venturum. Quum in malis, sicut ingentibus, ita ignotis,
ne consilium quidem satis expedirent, obstreperetque cla-
mor lamentantium mulierum, et, nondum palam facto, vivi
mortuique per omnes paene domos promiscue complora-
rentur; tum Q. Fabius Maximus censuit, 'equites expedi- ^{Sententia}
tos et Appia et Latina via mittendos, qui obvios percune- ^{Fab. Max.}
tando (aliquos profecto ex fuga passim dissipatos fore) re-
ferant, quae fortuna consulum atque exercituum sit; et si
'quid dii immortales, miseriti imperii, reliquum Romano
'nomini fecerint: ubi eae copiae sint: quo se Hannibal
'post proelium contulerit: quid paret, quid agat, acturus-
'que sit. Haec exploranda noscendaque per impigros
'iuvenes esse. Illud per Patres ipsos agendum, quoniam
'magistratum parum sit, ut tumultum ac trepidationem in
'urbe tollant, matronas publico arceant, continerique intra
'suum quanicum limen cogant: comploratus familiarum
'coerceant: silentium per urbem faciant: nuntios rerum
'omnium ad praetores deducendos curent: suae quisque
6 'fortunae domi auctorem expectent, custodesque praeterea
'ad portas ponant, qui prohibeant, quemquam egredi
'urbem: cogantque homines, nullam, nisi urbe ac moeni-
'bus salvis, salutem sperare. Ubi conticuerit tumultus,
'recte tum in curiam Patres revocandos, consulendumque
'de urbis custodia esse.'
- 7 Quum in hanc sententiam pedibus omnes issent, summo-
taque foro per magistratus turba, Patres diversi ad sedandos
tumultus discessissent; tum demum literae a Terentio con-
sule allatae sunt; 'L. Aemilium consulem exercitumque
'caesum; sese Canusii esse, reliquias tantae cladis velut
8 'ex naufragio colligentem. Ad decem millia militum

56.

4 *Nondum palam facto*] se. Qui vivi, qui mortui essent; atque ita omnes pariter complorarentur.

5 *Aliquos profecto ex fuga*] *Profectos* vulgo legitur, ceterum *profecto* ex emendat. Gron. receperunt Stroth. et Bekker.

6 *Auctorem expectent*] Domi expectent nuncios, qui de sua quemque fortuna, de suis scilicet servatis aut amissis, certiores faciant.

7 *Quum in hanc sententiam pedibus omnes issent*] Quum hanc sententiam omnes probassent. Tunc dicebantur senatores *pedibus ire* in aliquam sententiam, quum eam, non voce et verbis, sed solo pedum motu, probabant; transeundo scilicet in hanc illamve partem, prout huic vel illi sententiae assentiebantur. CREV.

8 *Ad decem millia militum*] Forte *ad quattuordecim millia*. Nam decem

U. C. 536. 'ferme esse incompositorum inordinatorumque. Poenum
A. C. 216. 'sedere ad Cannas, in captivorum pretiis praedaeque alia,
'nec victoris animo, nec magni ducis more, nundinantem.'⁹

Tum privatae quoque per domos clades vulgatae sunt:
adeoque totam urbem opplevit luctus, ut sacrum anniver-
sarium Cereris intermissum sit; quia nec lugentibus id
facere est fas, nec ulla in illa tempestate matrona expers
luctus fuerat. Itaque, ne ob eandem causam alia quoque
sacra publica aut privata desererentur, senatusconsulto
diebus triginta luctus est finitus. Ceterum quum, sedato
urbis tumultu, revocati in curiam Patres essent, aliae insu-
per ex Sicilia literae allatae sunt ab T. Otacilio propraetore,
'Regnum Hieronis classe Punica vastari: cui quum opem
'imploranti ferre vellet, nuntiatum sibi esse, aliam classem
'ad Aegates insulas stare, paratam instructamque; ut, ubi
'se verum ad tuendam Syracusanam oram Poeni sensissent,
'Lilybaeum extemplo provinciamque aliam Romanam ag-¹
'grederentur. Itaque classe opus esse, si regem socium
'Siciliamque tueri vellent.'

57. Literis consulis propraetorisque lectis, censuerunt, M.²
Claudium, qui classi ad Ostiam stanti praecesset, Canusium
ad exercitum mittendum, scribendumque consuli, ut, quum
praetori exercitum tradidisset, primo quoque tempore,
quantum per commodum reipublicae fieri posset, Romam
veniret. Territi etiam super tantas clades, quum ceteris
prodigiis, tum quod duae Vestales eo anno, Opimia atque
Floronia, stupri compertae, et altera sub terra, ut mos est,
ad portam Collinam necata fuerat, altera sibimet ipsa mor-
tem consciverat. L. Cantilius, scriba pontificis, quos nunc³
minores pontifices appellant, qui cum Floronia stuprum
fecerat, a pontifice maximo eo usque virgis in comitio caesus
erat, ut inter verbera exspiraret. Hoc nefas quum inter
tot, ut fit, clades in prodigium verum esset, decemviri
libros adire iussi sunt. Et Q. Fabius Pictor Delphos ad
oraculum missus est sciscitatum, quibus precibus suppliciis-⁴

Vestales
stupri com-
pertae.

millia iam Canusii erant, antequam
Varro eo cum quattuor millibus venit.
GRON.

9 *Nundinantem*] Hanc elegantis-
simam lectionem eruit Gronov. pro
vulg. *nuntiantem*. cf. Ennii locus ap.
Cic. Off. i. 12. citatus, *nec cauponantes
bellum sed belligerantes*.

1 *Provinciamque aliam*] sc. Reli-
quam, ut supr. 11. et xxi. 56.

2 *Censuerunt*] Hanc vocem, ut
quae ab omnibus edd. et plerisque
codd. optimis absit, omittunt Crev. et
Bekker. sed quum tale quid certe de-
sideretur, ut Sigonius alique monu-

erunt, Stroth. et Kreyssig. inserendam
maluerunt.

3 *Scriba pontificis, quos nunc*] Scri-
ba pontificis, ex eorum scribarum nu-
mero, quos nunc *minores pontifices*
appellant. Aliis magis placet, referre
vocem *quos*, non ad *scribam*, sed ad
pontificem: scriba pontificis, qui quid-
dem pontifex esset ex eorum numero,
quos nunc *minores pontifices* appel-
lant. CREV. Ceterum tres pontifices
minores commemorat Cic. de Ha-
rusp. Respons. 6. cf. Niebhr. i. n. 775.

4 *Suppliciisque*] Hanc vocem pro
supplicationibus, ex Sallust. Catil. 9.

que deos possent placare, et quatenam futura finis tantis U. C. 536.
 5 eladibus foret. Interim ex fatalibus libris sacrificia aliquot A. C. 216.
 extraordinaria facta; inter quae Gallus et Galla, Graecus Hostiae
 et Graeca, in foro boario sub terra vivi demissi sunt in humane
 6 locum saxo consaeptum, iam ante hostiis humanis, minime immolatae.
 Romano sacro, imbutum.

Placatis satis, ut rebantur, deis, M. Claudius Marcellus
 ab Ostia mille et quingentos milites, quos in classem scri-
 ptos habebat, Romam, ut urbi praesidio essent, mittit: ipse,
 legione classis (ea tertia legio erat) cum tribunis militum
 7 Teanum Sidicinum praemissa, classe tradita P. Furio
 Philo collegae, paucos post dies Canusium magnis itine-
 ribus contendit. Dictator ex auctoritate Patrum dictus
 M. Iunius, et Ti. Sempronius magister equitum, delectu
 8 edicto, iuniores ab annis septendecim, et quosdam praetex-
 9 tatos, scribunt. Quattuor ex his legiones et mille equites
 effecti. Item ad socios Latinumque nomen, ad milites ex
 formula accipiendos, mittunt. Arma, tela, alia parari
 iubent: et vetera hostium spolia detrahunt templis portici-
 busque. Et aliam formam novi delectus inopia liberorum
 capitum ac necessitas dedit: octo millia iuvenum validorum
 10 ex servitiis, prius sciscitantes singulos, vellentne militare, Octo millia
 empti publice arnaverunt. Hic miles magis placuit, quum servorum
 pretio minore redimendi captivos copia fieret. armantur.

Namque Hannibal, secundum tam prosperam ad Cannas 58.
 pugnam, victoris magis, quam bellum gerentis, intentus
 curis, quum, captivis productis segregatisque, socios, sicut
 ante ad Trebiam Trasimenumque lacum, benigne allocutus,

B. Iugurth. 66. Plaut. Prol. ad Rud.
 25. in usu fuisse notum est.

5 *Fatalibus libris*] Hos Sibyllinos
 fuisse autumat Plutarch. in Cam. 3,
 sed perperam, ut Niebhr. videtur, qui
 libros Albunea, Sibyllae Tiburtinae,
 a Lactantio Div. Inst. i. 6. 12. me-
 moratae, hic innui censet: necnon
 hoc sacrificio Romanos more suo fa-
 tum eludere voluisse, si quo oraculo
 Gallos vel Graecos homines Romam
 occupaturos esse responsum fuisset.
 De simili arte fata ludificandi cf. Iustin.
 xii. 2. Niebhr. i. n. 1126.

6 *Iam ante hostiis*] Anno ante hunc
 undecimo ad idem scelus, quo iam
 imbutum hunc locum scribit Livius,
 prava religio Romanos impulerat.
 Gron.

7 *Teanum Sidicinum*] Ita dictum,
 ut ab altero Teano, Apuliae oppido,
 distingueretur.

8 *Iuniores ab annis septendecim*]

cf. A. Gellius x. 28. Niebhr. i. n.
 1025.

9 *Et quosdam praetextatos*] Qui
 nondum praetextam deposuerant, ut
 virilem togam sumerent. Pueri in-
 genui praetextam togam gerebant ad
 annum aetatis fere decimum-septi-
 mum. CREV. Hi vero immunes ni-
 litia erant, nisi in gravissimis repu-
 blicae temporibus.

1 *Ex formula*] Qua descriptum
 erat, quantum numerum militum
 quaeque civitas Latini nominis dare
 populo Romano deberet. Simile ex-
 emplum vid. infr. xxvii. 10. ubi de
 coloniis agitur. CREV. Similiter Graece
 ἐκ καταλόγων, Thueyd. viii. 24.

2 *Sciscitantes singulos, vellentne militare*] Id observat Livius, quia non
 illo modo agebatur cum civibus, qui
 non interrogabantur vellentne militare,
 sed citati ad nomina respondere debe-
 bant. CREV.

U. C. 536. sine pretio dimisisset; Romanos quoque vocatos (quod
 A. C. 216. nunquam alias antea) satis miti sermone alloquitur: 'Non
 Hannibalis oratio ad captivos Rom. 'internecinum sibi esse cum Romanis bellum: de dignitate
 'atque imperio certare. Et patres virtuti Romanae ces-
 'sisse: et se id anniti, ut suae in vicem simul felicitati et
 'virtuti cedatur. Itaque redimendi se captivis copiam
 'facere: pretium fore in capita, equiti quingenos quadriga-
 Legati cap- 'tos nummos, trecenos pediti, servo centenos.' Quamquam
 tivorum. aliquantum adiciebatur equitibus ad id pretium, quod pe-
 pigerant dedentes se; laeti tamen quaecunque conditionem
 paciscendi acceperunt. Placuit suffragio ipsorum decem
 deligi, qui Romam ad senatum irent: nec pignus aliud
 fidei, quam ut iurarent se redituros, acceptum. Missus
 cum his Carthalo nobilis Carthaginensis: qui, si forte ad
 pacem inclinarent animos, condiciones ferret. Quum egressi
 castris essent, unus ex iis, minime Romani ingenii homo,
 velut aliquid oblitus, iurisiurandi solvendi causa quum in ²
 castra redisset, ante noctem comites assequitur. Ubi eos
 Romam venire nuntiatum est, Carthaloni obviam lictor
 missus, qui dictatoris verbis nuntiaret, ut ante noctem ex-
 cederet finibus Romanis. Legatis captivorum senatus ab
 dictatore datus est. Quorum princeps M. Iunius, 'Patres
 Eorum principis oratio in senatu, 'conscripti,' inquit, 'nemo nostrum ignorat, nulli unquam
 'civitati viliores fuisse captivos, quam nostrae. Ceterum,
 'nisi nobis plus iusto nostra placet causa, non alii unquam
 'minus negligendi vobis, quam nos, in hostium potestatem
 'venerunt. Non enim in acie per timorem arma tradidi-
 'mus; sed, quum prope ad noctem superstantes cumulis
 'caesorum corporum proelium extraxissemus, in castra re-
 'cepimus nos. Diei reliquum ac noctem insequentem, fessi
 'labore ac vulneribus, vallum summus tutati. Postero die,
 'quum circumsessi ab exercitu victore aqua arceremur, nec
 'ulla iam per confertos hostes erumpendi spes esset, nec
 'esse nefas duceremus, quinquaginta millibus hominum ex
 'acie nostra trucidatis, aliquem ex Cannensi pugna Roma-
 'num militem restare; tum demum pacti sumus pretium,
 'quo redempti dimitteremur: arma, in quibus nihil iam
 'auxilii erat, hosti tradidimus. Maiores quoque acce-
 'peramus se a Gallis auro redemisse: et patres vestros, ³
 'asperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamen cap- ⁴

² Iurisiurandi solvendi causa] cf. Cic. de Off. iii. 32. liberatum se esse iurisiurando interpretabatur.

³ Patres vestros] Nostros edd. ante Gron. Hinc quodammodo patere censet Drak. legatum, sc. M. Iunium, in senatum allectum non fuisse, et patres

vestros senatores notare, qui tempore belli cum Pyrrho gesti vixerunt.

⁴ Legatos tamen] C. Fabricium aliosque, qui post cladem a Laevino consule inter Heracleam et Pandosiam acceptam, ad Pyrrhum missi sunt.

'tivorum redimendorum gratia Tarentum misisse. Atqui, II. C. 536.
 'et ad Alliam cum Gallis, et ad Heracleam cum Pyrrho, A. C. 216.
 'utraque non tam clade infamis, quam pavore ac fuga,
 'pugna fuit. Cannenses campos acervi Romanorum cor-
 'porum tegunt: nec supersumus pugnae, nisi in quibus
 'trucidandis et ferrum et vires hostem defecerunt. Sunt
 'etiam de nostris quidam, qui ne in acie quidem refuge-
 'runt: sed, praesidio castris relictis, quum castra traderentur,
 'in potestatem hostium venerunt. Haud equidem ullius
 5 'civis et commilitonis fortunae aut conditioni invidio, nec
 'premedando alium me extulisse velim: ne illi quidem, (nisi
 'pernicitatis pedum et cursus aliquod praemium est) qui
 'plerique inermes ex acie fugientes non prius, quam Ve-
 'nusiae aut Canusii, constiterunt, se nobis merito practule-
 'rint, gloriatique sint, in se plus, quam in nobis, praesidii
 'reipublicae esse. Sed illis et bonis et fortibus militibus
 'utemini: et nobis etiam promptioribus pro patria, quod
 'beneficio vestro redempti atque in patriam restituti fueri-
 'mus. Delectum ex omni aetate et fortuna habetis: octo
 'millia servorum audio armari. Non minor numerus noster
 'est, nec maiore pretio redimi possumus, quam hi emuntur.
 'Nam si conferam nos cum illis, iniuriam nomini Romano
 'faciam. Illud etiam in tali consilio animadvertendum
 'vobis censeam, Patres conscripti, (si tamen duriores esse
 'velitis, quod nullo nostro merito faciatis) cui nos hosti re-
 6 'licturi sitis. Pyrrho videlicet, qui nos hospitum numero
 'habuit captivos, an barbaro ac Poeno; qui utrum avarior,
 'an crudelior, sit, vix existimari potest. Si videatis catenas,
 'squalorem, deformitatem civium vestrorum, non minus
 'profecto vos ea species moveat, quam si ex altera parte
 'cernatis stratas Cannensibus campis legiones vestras. In-
 'tueri potestis sollicitudinem et lacrimas in vestibulo curiae
 'stantium cognatorum nostrorum, expectantiumque re-
 'sponsum vestrum. Quum ii pro nobis proque iis, qui ab-
 'sunt, ita suspensi ac solliciti sint; quem censetis animum
 'ipsorum esse, quorum in discrimine vita libertasque est? Si,
 'me dius fidius, ipse in nos mitis Hannibal contra naturam
 'suam esse velit, nihil tamen nobis vita opus esse censea-
 7 'mus, quum indigni, ut a vobis redimeremur, visi simus.
 'Rediere Roman quondam remissi a Pyrrho sine pretio
 'capti; sed rediere cum legatis, primoribus civitatis, ad re-
 'dimendos sese missis: redeam ego in patriam, trecentis

5 *Nec premedando alium*] cf. Supr.
 12. *premedandorumque superiorum arte.*

6 *Qui nos hospitum numero*] Nos-
 tros scilicet, vel Romanos. DUKER.

7 *Visi simus*] Ita Muretus censet

legendum pro vulg. *sumus*. Non enim
 rem affirmat orator; sed, si ea con-
 tingat, quid sibi animi futurum sit,
 testatur.

U. C. 536. 'nummis non aestimatus civis? Suum quisque habet ani-
 A. C. 216. 'mum, Patres conscripti. Scio in discrimine esse vitam
 'corpusque meum. Magis me famae periculum movet, ne
 'a vobis damnati ac repulsi abeamus: neque enim vos pre-
 'tio pepercisse homines credent.'

60. Ubi is finem fecit, extemplo ab ea turba, quae in comitio erat, clamor flebilis est sublatus, manusque ad curiam tendebant orantes, ut sibi liberos, fratres, cognatos redderent. Feminas quoque metus ac necessitas in foro turbae huic⁸ virorum immiscuerat. Senatus, summotis arbitris, consuli coeptus. Ibi quum sententiis variaretur, et alii redimendos de publico, alii nullam publice impensam faciendam, nec prohibendos ex privato redimi; si quibus argentum in praesentia deesset, dandam ex aerario pecuniam mutuam, praec⁹ dibusque ac praediis cavendum populo, censerent; tum T. Manlius Torquatus, prisco ac nimis durae, ut plerisque videbatur, severitatis, interrogatus sententiam, ita locutus fertur: 'Si tantummodo postulassent legati pro iis, qui in 'hostium potestate sunt, ut redimerentur, sine ullius insec-
 'tatione eorum, brevi sententiam peregissem. Quid enim
 'aliud quam admonendi essetis, ut morem traditum a patri-
 'bus, necessario ad rem militarem exemplo, servaretis?
 'Nunc autem quum prope gloriati sint, quod se hostibus
 'dediderint, praeferrique non captis modo in acie ab hosti-
 'bus, sed etiam iis, qui Venusiam Canusiumque pervene-
 'runt, atque ipsi C. Terentio consuli, aequum censuerint;
 'nihil vos eorum, Patres conscripti, quae illic acta sunt,
 'ignorare patiar. Atque utinam haec, quae apud vos ac-
 'turus sum, Canusii apud ipsum exercitum agerem, optimum
 'testem ignaviae cuiusque et virtutis: aut unus hic saltem
 'adesset P. Sempronius, quem si isti ducem secuti essent,
 'milites hodie in castris Romanis, non captivi in hostium
 'potestate essent. Sed quum, fessis pugnando hostibus,
 'tum victoria laetis et ipsis plerisque regressis in castra sua,
 'noctem ad erumpendum liberam habuissent, et septem
 'armatorum hominum millia perrumpere etiam confertos
 'hostes potuissent; neque per se ipsi id facere conati sunt,
 'neque alium sequi voluerunt. Nocte prope tota P. Sem-
 'pronius Tuditanus non destitit monere, adhortari eos, dum
 'paucitas hostium circa castra, dum quies ac silentium esset,
 'dum nox inceptum tegeret, se ducem sequerentur: ante

Manlius
 suadet ne
 captivi re-
 dimantur.

⁸ *Necessitas*] Utrum de calamitate publica, an de sanguinis conjunctione accipiendum sit, non satis liquet. DOER.

⁹ *Praedibusque ac praediis cavendum populo*] Praedes dandos et

praedia obliganda populo, quibus caveretur redditum iri eas pecuniae summas, quae ex aerario mutuae darentur. CREV. cf. sup. vii. 22. *aerarium . . . dissolvit, ut populo prius caveretur.*

‘ lucem pervenire in tuta loca, in sociorum urbes posse. Sicut U. C. 536.
 1 ‘avorum memoria P. Decius tribunus militum in Samnio; A. C. 216.
 ‘ sicut, nobis adolescentibus, priore Punico bello Calpurnius
 ‘ Flamma trecentis voluntariis, quum ad tumulum eos capi-
 ‘ endum, situm inter medios hostes, duceret, dixit:’ Mori-
 ‘ amur, milites, et morte nostra eripiamus ex obsidione cir-
 ‘ cumventus legiones: ‘ si hoc P. Sempronius diceret; nec
 ‘ viros quidem, nec Romanos vos duceret, si nemo tantae
 ‘ virtutis exstitisset comes. Viam non ad gloriam magis,
 ‘ quam ad salutem, ferentem demonstrat; reduces in patriam
 ‘ ad parentes, ad coniuges ac liberos facit. Ut servemini,
 ‘ deest vobis animus? quid, si moriendum pro patria esset,
 ‘ faceretis? Quinquaginta millia civium sociorumque circa
 ‘ vos eo ipso die caesa iacent. Si tot exempla virtutis non
 ‘ movent, nihil unquam movebit: si tanta clades vilem vitam
 ‘ non fecit, nulla faciet. Liberi atque incolumes desiderate
 ‘ patriam: imo desiderate, dum patria est, dum cives eius
 2 ‘ estis. Sero nunc desideratis, deminuti capite, abalienati
 ‘ iure civium, servi Carthaginiensium facti. Pretio redituri
 ‘ estis eo, unde ignavia ac nequitia abistis? P. Sempronium,
 ‘ civem vestrum, non audistis, arma capere ac sequi se
 ‘ iubentem: Hannibalem post paullo audistis, castra prodi
 ‘ et arma tradi iubentem. Quam ego ignaviam istorum ac-
 ‘ cuso, quum scelus possim accusare? Non enim modo sequi
 ‘ recusarunt bene monentem, sed obsistere ac retinere
 ‘ conati sunt, ni strictis gladiis viri fortissimi inertes sum-
 ‘ movissent. Prius, inquam, P. Sempronio per civium ag-
 ‘ men, quam per hostium, fuit erumpendum. Hos cives
 ‘ patria desideret? quorum si ceteri similes fuissent,
 ‘ neminem hodie ex iis, qui ad Cannas pugnaverunt, civem
 ‘ haberet. Ex millibus septem armatorum sexcenti exstite-
 ‘ runt, qui erumpere auderent, qui in patriam liberi atque
 ‘ armati redirent: neque iis quadraginta millia hostium
 ‘ obstitere. Quam tutum iter duarum prope legionum agmini
 ‘ futurum censetis fuisse? Haberetis hodie viginti millia
 ‘ armatorum Canusii, fortia, fidelia, Patres conscripti.
 ‘ Nunc autem quemadmodum hi boni fidelesque (nam fortes
 ‘ ne ipsi quidem dixerint) cives esse possunt? nisi quis cre-
 3 ‘ dere potest fuisse, ut erumpentibus, quin erumperent, ob-

1 *P. Decius tribunus militum*] cf. Supr. vii. 34. De *Calpurnio Flamma* cf. Liv. Epit. xvii. A. Gell. iii. 7. Zonar. viii. 12, 13.

2 *Deminuti capite*] Sic *Regulus* apud Hor. Od. iii. 5. dicitur *capitis minor*. Capitis deminutio est prioris status mutatio. Haec triplex est. At

ea de qua hic agitur, quae *maxima* dicitur, est, quum aliquis simul et civitatem et libertatem amittit. CREV. cf. Gaii Inst. i. § 159. Iustin. Inst. i. § 16. Festus v. *Deminutus capite*.

3 *Ut erumpentibus*] Scilicet tum, quum conati sunt. DOER.

U. C. 536. 'sistere conati sunt: aut non invidere eos, quum incolumi-
 A. C. 216. 'tati, tum gloriae illorum per virtutem partae, quum sibi
 'timorem ignaviamque servitutis ignominiosae causam esse
 'sciant. Maluerunt in tentoriis latentes simul lucem atque
 'hostem exspectare, quum silentio noctis erumpendi occasio
 'esset. At enim ad erumpendum e castris defuit animus; 4
 'ad tutanda fortiter castra animum habuerunt. Dies no-
 'ctesque aliquot obsessi, vallum armis, se ipsi tutati vallo
 'sunt: tandem ultima ausi passique, quum omnia subsidia
 'vitae abessent, affectisque fame viribus, arma iam sustinere
 'nequirent, necessitatibus magis humanis, quam armis, victi
 'sunt. Orto sole hostis ad vallum accessit: ante secundam
 'horam, nullam fortunam certaminis experti, tradiderunt
 'arma ac se ipsos. Haec vobis ipsorum per biduum militia
 'fuit. Quum in acie stare ac pugnare decuerat, tum in
 'castra refugerunt: quum pro vallo pugnandum erat, castra
 'tradiderunt, neque in acie neque in castris utiles. Vos
 'redimam? quum erumpere castris oportet, cunctamini ac
 'manetis: quum manere, castra tutari armis necesse est, et
 'castra et arma et vos ipsos traditis hosti. Ego non magis
 'istos redimendos, Patres conscripti, censeo, quam illos de-
 'dendos Hannibali, qui per medios hostes e castris eruperunt,
 'ac per summam virtutem se patriae restituerunt.'

61. Postquam Manlius dixit, quanquam Patrum quoque ple-
 Senatus censet captivos non esse redimendos. rosque captivi cognatione attingebant, practer exemplum
 civitatis minime in captivos iam inde antiquitus indulgentis,
 pecuniae quoque summa homines movit: quia nec aerarium
 exhaurire, magna iam summa erogata in servos ad militiam
 emendos armandosque, nec Hannibalem maxime huiusce
 rei, ut fama erat, egentem locupletari volebant. Quum
 triste responsum, 'non redimi captivos,' redditum esset, no-
 vusque super veterem luctus tot iactura civium adiectus
 esset, cum magnis fletibus questibusque legatos ad portam
 Nimis cal- prosecutedi sunt. Unus ex iis domum abiit, quod fallaci
 lida iuris- reditu in castra iureiurando se exsolvisset. Quod ubi
 iurandi in- innotuit, relatumque ad senatum est, omnes censuerunt,
 terpretatio. comprehendendum et custodibus publice datis deducendum
 ad Hannibalem esse.

Est et alia de captivis fama, decem primos venisse: de 5
 iis quum dubitatum in senatu esset, admitterentur in urbem,
 nec ne; ita admissos esse, ne tamen iis senatus daretur.
 Morantibus deinde longius omnium spe, alios tres insuper
 legatos venisse, L. Scribonium, et C. Calpurnium, et L.

4 *At enim*] Forma obiectionis usi-
 tator, quam nobis ipsis facientes, de-
 inde refellimus.

5 *Est et alia de captivis fama*]

Hanc sequitur Acilius, qui Graece his-
 toriam scripsit. cf. Cic. Off. iii. 32. A.
 Gell. vii. 18.

Manlium. Tum demum ab cognato Scribonii tribuno plebis de redimendis captivis relatum esse, nec censuisse redimendos senatum: et novos legatos tres ad Hannibalem revertisse, decem veteres remansisse; quod, per causam recognoscendi nomina captivorum ad Hannibalem ex itinere regressi, religione sese exsolvissent: de iis dedendis magna contentione actum in senatu esse; victosque paucis sententiis, qui dedendos censuerint. Ceterum proximis censoribus adeo omnibus notis ignominiisque confectos esse, ut quidam eorum mortem sibi ipsi extemplo consciverint: ceteri non foro solum omni deinde vita, sed prope luce ac publico, caruerint. Mirari magis, adeo discrepare inter auctores, quam quid veri sit, discernere queas.

Quanto autem maior ea clades superioribus cladibus fuerit, vel ea res indicio est, quod, qui sociorum ad eam diem firmi steterant, tum labare coeperunt, nulla profecto alia de re, quam quod desperaverant de imperio. Defecere autem ad Poenos hi populi: Atellani, Calatini, Hirpini, Apulorum pars, Samnites praeter Pentros, Bruttii omnes, Lucani: praeter hos Surrentini, et Graccorum omnis ferme ora, Tarentini, Metapontini, Crotonienses, Loerique, et Cisalpini omnes Galli. Nec tamen hac clades defectionesque sociorum moverunt, ut pacis unquam mentio apud Romanos fieret; neque ante consulis Romam adventum, nec postquam is rediit, renovavitque memoriam acceptae cladis. Quo in tempore ipso adeo magno animo civitas fuit, ut consuli, ex tanta clade, cuius ipse causa maxima fuisset, redeunti, et obviam itum frequenter ab omnibus ordinibus sit, et gratiae actae, quod de republica non desperasset: cui, si Carthaginensium ductor fuisset, nihil recusandum supplicii foret.

Defectio sociorum.

Pacis tamen mentio nulla.

Varroni obviam itum, et gratiae actae.

6 *Defecere autem ad Poenos*] Non statim, sed post annum elapsum: neque nisi quarto abhinc anno Metapontum et Thurii defecere. cf. Polyb. iii. 118.

7 *Surrentini*] Lege eum Gronovio *Sallentini*. Nam Surrentini, qui sunt in Campaniae ora, debuissent poni post Calatinos. At Sallentini ad Grae-

corum oram pertinent. CREV.

8 *Si Carthaginensium ductor fuisset*] Mira fuit Carthaginensium in duces suos acerbitas, quos in crucem tollere soliti erant, non modo si culpa sua victi fuissent, sed etiam si prospero eventu, pravo consilio, rem gessissent. CREV. cf. Polyb. i. 2. et 24.

EPITOME LIBRI XXIII.

CAMPANI ad Hannibalem defecerunt. Nuntius Cannensis victoriae Mago Carthaginem missus, annulos aureos, a digitis occisorum Romanorum detractos, in vestibulo curiae effudit: quos excessisse modii mensuram traditur. Post quem nuntium Hanno, vir ex Poenis nobilissimus, suadebat senatui Carthaginensium, ut pacem a populo Romano peterent: nec tenuit, obstrepente Barcina factione. Claudius Marcellus praetor ad Nolam, eruptione adversus Hannibalem ex oppido facta, prospere pugnavit. Exercitus Hannibalis per hiberna Capuae ita luxuriatus est, ut corporum viribus atque animorum enervaretur. Casilinum, a Poenis obsessum, ita fame vexatum est, ut lora et pelles scutis detractas, item mures, essent; et nucibus, per Vulturum annem a Romanis missis, vixerint. Senatus ex equestri ordine hominibus centum nonaginta septem suppletus est. L. Postumius praetor a Gallis cum exercitu caesus est. Cn. et P. Scipiones in Hispania Hasdrubalem vicerunt, et Hispaniam suam fecerunt. Reliquiae Cannensis exercitus in Siciliam relegatae sunt; ne recederent inde, nisi finito bello. Inter Philippum Macedonum regem et Hannibalem societas iuncta est. Sempronius Gracchus consul Campanos cecidit. Praeterea in Sardinia feliciter a T. Manlio praetore adversus Poenos Sardosque res gestas continet: a quo Hasdrubal dux, et Mago, et Hanno capti. Claudius Marcellus praetor Hannibalis exercitum ad Nolam proelio fudit et vicit: primusque tot cladibus fessis Romanis meliorem spem belli dedit.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXIII.

¹ **A**ECIS Hannibal post Cannensem pugnam captis ac U. C. 536.
direptis, confestim ex Apulia in Samnium inoverat: A. C. 216.
² accitus in Hirpinos a Statio, pollicente se Compsam tradi- Hannibali
turum. Compsanus erat Trebius nobilis inter suos: sed Compsa
premebat eum Mopsiorum factio, familiae per gratiam Ro- traditur.
manorum potentis. Post famam Cannensis pugnae, vulga-
tumque Trebii sermonibus adventum Hannibalis, quum
Mopsiani urbem excessissent; sine certamine tradita urbs
Poeno, praesidiumque acceptum est. Ibi praeda omni atque
impedimentis relictis, exercitu partito, Magonem regionis
eius urbes, aut deficientes ab Romanis accipere, aut detrec-
tantes cogere ad defectionem iubet: ipse per agrum Cam- Neapolim
panum mare inferum petit, oppugnaturus Neapolim, petit.
ut urbem maritimam haberet. Ubi fines Neapolitanorum in-
travit, Numidas partim in insidiis, (et pleraeque cavae sunt
viae, sinusque occulti) quaecunque apte poterat, disposuit:
alios, prae se actam praedam ex agris ostentantes, obequi-
tare portis iussit. In quos, quia nec multi, et incompositi
videbantur, quum turma equitum erupisset, ab cedentibus
consulto tracta in insidias, circumventa est: nec evasisset
quisquam, ni mare propinquum, et haud procul litore naves,
piscatoriae pleraeque, conspectae peritis nandi dedissent
effugium. Aliquot tamen eo proelio nobiles iuvenes capti
caesique sunt: inter quos et Hegeas praefectus equitum, Conspe-
intemperantius cedentes secutus, cecidit. Ab urbe oppu- ctam oppu-
gnare non audet.

¹ *Aecis Hannibal*] In plur. edd.
Hannibal, post Cannensem pugnam,
castra capta ac direpta, confestim etc.
Nostra autem lectio, quam Bekker.
recepit, ex Gronov. coniectura prove-
nit. *Aecae* Apulorum oppidum, cuius
mentio infr. xxiv. 20. occurrit. Ce-
terum Polyb. iii. 86. Fabium Maxi-
mum primum in conspectum Hanni-
balis haud procul *Aecis* venisse seri-

bit, ubi noster *Arpis* legit. supr. xxii.
12.

² *Accitus in Hirpinos a Statio*] Idem infr. *Trebius* vocatur, ut nomen
integrum fuerit *Statius Trebius*. Et
hic facile crediderimus eum Gronovio,
scripsisse Livium *a Statio Trebio*.
Est enim *Statius* praenomen Itali-
cum. CREV.

U. C. 536. gnanda Poenum absterruere conspecta moenia, haudqua-
A. C. 216. quam prompta oppugnanti.

2. Inde Capuam flectit iter, luxuriantem longa felicitate 3

It Capuam. atque indulgentia fortunae, maxime tamen, inter corrupta
omnia, licentia plebis sine modo libertatem exercentis.

Pacuvii
Calavii
fraus.

Senatum et sibi et plebi obnoxium Pacuvius Calavius fece- 4

rat; nobilis idem ac popularis homo, ceterum malis artibus
nactus opes. Is quum eo forte anno, quo res male gesta
ad Trasimenum est, in summo magistratu esset, iam diu in-
festam senatui plebem, ratus, per occasionem novandi res,
magnum ausuram facinus, ut, si in ea loca Hannibal
cum victore exercitu venisset, trucidato senatu traderet
Capuam Poenis; improbus homo, sed non ad extremum
perditus, quum mallet incolumi, quam eversa, republica
dominari; nullam autem incolumem esse orbatam publico
consilio crederet, rationem iniit, qua et senatum servaret, et
obnoxium sibi ac plebi faceret. Vocato senatu, quum, sibi
defectionis ab Romanis consilium placitum nullo modo,

Senatum
claudit in
curia.

nisi necessarium fuisset, praefatus esset; 'quippe qui
'liberos ex Ap. Claudii filia haberet, filiamque Romam 5
'nuptum Livio dedisset; ceterum maiorem multo rem
'magisque timendam instare; non enim per defectionem ad
'tollendum ex civitate senatum plebem spectare, sed per
'caedem senatus vacuum rempublicam tradere Hannibali
'ac Poenis velle; eo se periculo posse liberare eos, si se
'permittant sibi, et, certaminum in republica oblit, credant;'
quum omnes victi metu permitterent; 'Claudam in curia
'vos,' inquit, 'et, tanquam et ipse cogitati facinoris particeps,
'approbando consilia, quibus nequiequam adversarer, viam
'saluti vestrae inveniam. In hoc fidem, quam vultis ipsi,
'accipite.' Fide data egressus, claudi curiam iubet, prae-
sidiumque in vestibulo reliquit; ne quis adire curiam iniussu
suo, neve inde egredi possit. Tunc vocato ad concionem

3.

Populo tol-
lendi sena-
tus potes-
tatem facit.

populo, 'Quod saepe,' inquit, 'optastis, Campani, ut supplicii
'sumendi vobis ex improbo ac detestabili senatu potestas
'esset; eam nunc, non per tumultum expugnantes domos
'singulorum, quas praesidiis clientium servorumque tuentur,

3 *Luxuriantem*] Verbo *luxuriari*
exprimuntur omnia vitia quae ex otio
nimiaque copia nascuntur, deliciae,
superbia, contemptus legum, etc.
CREV.

4 *Pacuvius Calavius*] cf. Diodor.
Excerpt. xxvi. 1. e Vatican. Codd. edit.
ab A. Maio 1827. ubi legitur, eivem
quendam, nomine Pancyum Pauenum,
suasisse Campanis, ut ad Carthagini-
enses deficerent. *Pacullum* vero hic
scribendum existimant critici non-

nulli, similemque corruptionem *Pa-
cuvium* pro voce *Pacullum*, vel *Pac-
tulum*, etiam in Sil. Ital. xi. 58. ex li-
brorum inscitia irrepsisse. Ceterum
de *Calaviis*, gente Campana, cf. supr.
ix. 7. et 26.

5 *Ex Ap. Claudii filia*] Quippe
municipalibus connubium cum civibus
Romanis dabatur. cf. Niebhr. ii. n. 154.
Orationem hanc ex verbo *inquit* pen-
dere putat Crev. cf. supr. xxii. 18.

‘cum summo vestro periculo, sed tutam habetis ac liberam. U. C. 536.
 ‘Clausos omnes in curiam accipite, solos, inermes: nec A. C. 216.
 ‘quicquam raptim, aut forte temere egeritis. De singulo-
 ‘rum capite vobis ius sententiae dicendae faciam, ut, quas
 ‘quisque meritis est, poenas pendat. Sed ante omnia ita
 ‘vos irae indulgere oportet, ut potiore ira salutem atque
 ‘utilitatem vestram habeatis. Etenim hos, ut opinor,
 ‘odistis senatores; non senatum omnino habere non vultis:
 ‘quippe aut rex, (quod abominandum) aut, quod unum
 ‘liberae civitatis consilium est, senatus habendus est. Itaque
 ‘duae res simul agendaae sunt vobis, ut et veterem senatum
 ‘tollatis, et novum cooptetis. Citari singulos senatores Dummodo
novus sena-
tus coopte-
tur.
 ‘iubebo, de quorum capite vos consulam. Quod de quoque
 ‘censueritis, fiet. Sed prius in eius locum virum fortem ac
 ‘strenuum novum senatorem cooptabitis, quam de noxio
 ‘supplicium sumatur.’ Inde consedit, et, nominibus in
 urnam coniectis, citari, quod primum sorte nomen excidit,
 ipsumque e curia produci iussit. Ubi auditum est nomen,
 malum et improbum pro se quisque clamare, et supplicio
 dignum. Tum Pacuvius, ‘Video, quae de hoc sententia sit
 6 ‘data. Eligite pro malo atque improbo bonum senatorem
 ‘et iustum.’ Primo silentium erat inopia potioris subiici-
 undi; deinde, quum aliquis, omnia verecundia, quempiam
 nominasset, multo maior extemplo clamor oriebatur, quum
 alii negarent nosse; alii nunc probra, nunc humilitatem
 sordidamque inopiam, et pudendae artis aut quaestus genus,
 obicerent. Hoc multo magis in secundo ac tertio citato
 senatore est factum: ut ipsius poenitere homines appareret;
 quem autem in eius substituerent locum, deesse: quia nec
 7 eosdem nominari attinebat, nihil aliud quam ad audienda
 probra nominatos, et multo humiliores obscurioresque ceteri
 erant iis, qui primi memoriae occurrebant. Ita dilabi
 homines, notissimum quodque malum maxime tolerabile
 dicentes esse, iubentesque senatum ex custodia dimitti.

Haeret po-
pulus in
novis eli-
gendis se-
natoribus.

Senatus li-
beratur.

Hoc modo Pacuvius quum obnoxium vitae beneficio
 senatum multo sibi magis, quam plebi, fecisset, sine armis,
 iam omnibus concedentibus, dominabatur. Hinc senatores,
 omnia dignitatis libertatisque memoria, plebem adulari,
 salutare, benigne invitare, apparatis accipere epulis, eas
 8 causas suscipere, ei semper parti adesse, secundum eam
 litem iudices dare, quae magis popularis aptiorque in vulgus

4.

6 *Eligite pro malo*] Ita ex secunda
 coniectura Gronovii, pro vulg. *eligitur*
pro bono . . . iustum eligite, Drak.
 recepit.

7 *Nihil aliud quam*] cf. Supr. ii. 63.
 Idem valet quod *tantummodo*.

8 *Secundum eam litem iudices dare*] Ambigitur utrum *dare litem*, an *dare iudices* hic Livius intelligat. Crevier quidem exponit *dare iudices secundum eam litem* idem velle, atque iudices pronos dare qui ei litigatori faverent,

U. C. 536. favori conciliando esset. Iam vero nihil in senatu actum
 A. C. 216. aliter, quam si plebis ibi esset concilium. Prona semper
 civitas in luxuriam, non ingeniorum modo vitio, sed
 affluenti copia voluptatum, et illecebris omnis amoenitatis
 maritimae terrestisque; tum vero ita obsequio principum
 et licentia plebei lascivire, ut nec libidini nec sumptibus
 modus esset. Ad contemptum legum, magistratum,
 senatus, accessit tum, post Cannensem cladem, ut, cuius
 aliqua erat verecundia, Romanum quoque imperium sperne-
 rent. Id modo erat in mora, ne extemplo deficerent, quod
 connubium vetustum multas familias claras ac potentes Ro-
 manis miscuerat: et quod, quum militarent aliquot apud
 Romanos, maximum vinculum erant trecenti equites, nobi-
 lissimus quisque Campanorum, in praesidia Sicularum ur-
 bium delecti ab Romanis ac missi.

5. Horum parentes cognatique aegre pervicerunt, ut legati
 Legati ad consulem Romanum mitterentur. Ii, nondum Canusium
 Campano- profectum, sed Venusiae cum paucis ac semiernibus con-
 rum ad sulem invenerunt, quam poterat maxime miserabilem bonis
 Cos. Rom. sociis; superbis atque infidelibus, ut erant Campani, sper-
 nendum. Et auxit rerum suarum suique contemptum con-
 sul nimis detegendo cladem nudandoque. Nam quum
 legati, aegre ferre senatum populumque Campanum, adversi
 quicquam evenisse Romanis, nuntiassent, pollicerenturque
 Respon- omnia, quae ad bellum opus essent; ‘Morem magis,’ inquit,
 sum con- ‘loquendi cum sociis servastis, Campani, iubentes, quae
 sulis. ‘opus essent ad bellum, imperare, quam convenienter ad
 ‘praesentem fortunae nostrae statum locuti estis. Quid
 ‘enim nobis ad Cannas relictum est, ut, quasi aliquid habe-
 ‘amus, id, quod deest, expleri ab sociis velimus? Pedites
 ‘vobis imperemus, tanquam equites habeamus? Pecuniam
 ‘deesse dicamus, tanquam ea tantum desit? Nihil, ne quod
 ‘suppleremus quidem, nobis reliquit fortuna. Legiones,
 ‘equitatus, arma, signa, equi virique, pecunia, commeatus,
 ‘aut in acie, aut binis postero die amissis castris perierunt.
 ‘Itaque non iuvetis nos in bello oportet, Campani, sed
 ‘paene bellum pro nobis suscipiatis. Veniat in mentem, ut
 ‘trepidus quondam maiores vestros intra moenia compulsos,
 ‘nec Samnitem modo hostem, sed etiam Sidicinum paventes,
 ‘receptos in fidem apud Saticulam defenderimus, coeptum-9

qui magis populo acceptus esset. Contra Drakenborchius expositioni Gronovianae adhaerendum putat. sc. *iudices* hic accipiendum esse tanquam *si indices essent*, et *litem dare secundam eam*, sc. partem, quae magis popularis esset, h. e. ita sententiam pro-

nuntiare ut ea pars vinceret. cf. A. Gell. v. 10. Cic. pro Rosc. i. Supr. ix. 18. Brisson. Lex. Iurid. v. *Dare simpliciter*.

9 *Apud Saticulam defenderimus*] Hoc narratum est supr. vii. 34—36.

1 'que propter vos cum Samnitibus bellum per centum prope U. C. 456.
 'annos, variante fortuna eventum, tulerimus. Adiciite ad A. C. 216.
 'haec, quod foedus aequum deditis, quod leges vestras, quod
 'ad extremum (id quod ante Cannensem certe cladem
 'maximum fuit) civitatem nostram magnae parti vestrum
 2 'dedimus, communicavimusque vobiscum. Itaque com-
 'munem vos hanc cladem, quae accepta est, credere, Cam-
 'pani, oportet, communem patriam tuendam arbitrari esse.
 'Non cum Samnite aut Etrusco res est, ut, quod a nobis
 'ablatum sit, in Italia tamen imperium maneat. Poenus
 'hostis, ne Africae quidem indigenam, ab ultimis terrarum
 'oris, freto Oceani Herculisque columnis, expertem omnis
 'iuris et conditionis et linguae prope humanae, militem
 'trahit. Hunc, natura et moribus inimitem ferumque, in-
 3 'super dux ipse efferavit, pontibus ac molibus ex huma-
 'norum corporum strue faciendis, et, (quod proloqui etiam
 4 'piget) vesci humanis corporibus docendo. Hos, infandis
 'pastos epulis, quos contingere etiam nefas sit, videre atque
 'habere dominos, et ex Africa et a Carthagine iura petere,
 'et Italiam Numidarum ac Maurorum pati provinciam esse,
 'cui non, genito modo in Italia, detestabile sit? Pulchrum
 'erit, Campani, prolapsum clade Romana imperium vestra
 'fide, vestris viribus retentum ac recuperatum esse. Tri-
 5 'ginta millia peditum, quattuor equitum arbitror ex Cam-
 'pania scribi posse. Iam pecuniae affatim est frumentique.
 'Si parem fortunae vestrae fidem habetis, nec Hannibal se
 'vicisse sentiet, nec Romani victos esse.'

Hac oratione consulis dimissis redeuntibusque domum
 legatis, unus ex iis, Vibius Virrius, 'Tempus venisse,' ait,

6.

1 *Per centum prope annos*] Sic et
 infr. 42. Samnites Hannibali dicunt
 se per centum prope annos cum po-
 pulo Romano bellum gessisse. Ve-
 rius tamen est, quod infr. xxxi. 31. ab
 legato Romano dicitur, id bellum per
 septuaginta prope annos gestum esse.
 Coeptum enim est anno U. C. 412.
 peractum anno 480. Itaque per no-
 vem et sexaginta annos gestum est.
 CREV.

2 *Dedimus*] Vobis qui in ditionem
 nostram vestra omnia vosque ipsos
 dedideratis; ac proinde non tam socii,
 quam subjecti imperio nostro haberi
 poteratis. Vid. supr. vii. 31. Cete-
 rum olim hic editi praeferebant *dedi-
 mus*. Scripti *dedistis*; unde Grono-
 vius emendavit *deditis*. Recte omni-
 no. CREV. Sed de foedere aequo
 cf. Niebhr. ii. n. 149.

3 *Pontibus ac molibus ex humano-*

rum corporum strue faciendis] Val.
 Max. ix. 2. memorat Hannibalem in
 Vergello corporibus Romanis ponte
 facto exercitum traduxisse. Vergel-
 lus torrens est, sive amniculus prope
 Cannas, solo illo cadaverum ponte
 memorabilis. CREV.

4 *Vesci humanis corporibus do-
 cendo*] Hanc calumniam Hannibali
 frustra imponit Terentius, quippe quod
 auctorem huius crudelissimi consilii
 Hannibalem Monomachum fuisse prod-
 dit Polyb. ix. 24. cui minime assen-
 sum fuisse magnum Hannibalem, si-
 cuti Dio. in Excerpt. Fragm. Vatican.
 71. et Porphyrius de Abstinencia ii.
 57. scribunt. A. MAIUS. Ceterum mer-
 cenarii Carthaginiens. in Africa bel-
 lantes ad hoc facinus delapsi sunt.

5 *Ex Campania scribi posse*] h. e.
 Ex civibus Campanis atque illorum
 clientibus. cf. Niebhr. ii. n. 145.

U. C. 536. 'quo Campani non agrum solum, ab Romanis quondam
 A. C. 216. 'per iniuriam ademptum, recuperare, sed imperio etiam
 'Italiae potiri possint. Foedus enim cum Hannibale, qui-
 'bus velint legibus, facturos. Neque controversiam fore,
 'quin, quum ipse confecto bello Hannibal victor in Africam
 'decedat, exercitumque deportet, Italiae imperium Cam-
 'panis relinquatur.' Haec Virrio loquenti assensi omnes,
 ita renuntiant legationem, uti deletum omnibus videretur
 nomen Romanum. Extemplo plebes ad defectionem ac
 pars maior senatus spectare. Extracta tamen, auctori-
 tibus seniorum, per paucos dies est res: postremo vicit sen-
 tentia plurium, ut iidem legati, qui ad consulem Romanum
 ierant, ad Hannibalem mitterentur. Quo priusquam iretur,
 certumque defectionis consilium esset, Romam legatos
 missos a Campanis, in quibusdam annalibus invenio, postu-
 lantes, ut alter consul Campanus fieret, si rem Romanam
 adiuvare vellent. Indignatione orta, summoventi a curia
 iussos esse: missumque lictorem, qui ex urbe educeret eos,
 atque eo die manere extra fines Romanos iuberet. Quia
 nimis compar Latinorum quondam postulatio erat, Coelius-6
 que et alii id haud sine causa praetermiserant scriptores,
 ponere pro certo sum veritus.

Campani
 ad defe-
 ctionem
 spectant.

7.
 Deficiunt
 ad Hanni-
 balem.

Legati ad Hannibalem venerunt, pacemque cum eo con-8
 ditionibus fecerunt: 'Ne quis imperator magistratusve
 'Poenorum ius ullum in civem Campanum haberet; neve
 'civis Campanus invitus militaret, munusve faceret; ut
 'suas leges, sui magistratus Capuae essent; ut trecentos ex
 'Romanis captivis Poenus daret Campanis, quos ipsi ele-
 'gissent; cum quibus equitum Campanorum, qui in Sicilia
 'stipendia facerent, permutatio fieret.' Haec pacta: illa
 insuper, quam quae pacta erant, facinora Campani edide-9
 runt. Nam praefectos socium civesque Romanos alios, par-
 tim aliquo militiae munere occupatos, partim privatis ne-
 gotiis implicitos, plebs repente omnes comprehensos, velut
 custodiarum causa, balneis includi iussit: ubi, fervore atque
 aestu anima interclusa, foedum in modum exspirarent.

Ea ne fierent, neu legatio mitteretur ad Poenum, summa

6 *Latinorum quondam postulatio*] cf. Supr. viii. 5.

7 *Ponere pro certo sum veritus*] Cicero tamen rem affirmat, Agr. ii. 35. *arrogantia, qua a maioribus nostris alterum Capua consulem postu-
 lavit.*

8 *Conditionibus*] Haec vox sic nude posita exprimit foedus certis legibus factum, non ita ut hi se permittant illius arbitrio. CREV.

9 *Praefectos socium civesque Ro-*

manos alios] Hinc patet praefectos socium, qui in sociali exercitu eundem honoris ac potestatis gradum tenebant, quem in legione tribuni militum, cives Romanos fuisse. Hoc idem probare videntur nomina praefectorum, quae interdum occurrunt apud Livium, quae quidem plane sunt Romana. Sic infr. xxvii. 26. *nominantur duo praefecti socium, L. Arrenius, et M. Aulius*; et 41. *P. Claudius*. CREV.

1 ope Decius Magius, vir, cui ad summam auctoritatem nihil, U. C. 536.
 praeter sanam civium mentem, defuit, restiterat. Ut vero A. C. 216.
 2 praesidium mitti ab Hannibale audivit, Pyrrhi superban Decius Ma-
 dominationem, miserabilemque Tarentinorum servitutem, gius adver-
 exempla referens, primo, ne reciperetur praesidium, palam satur Poe-
 vociferatus est: deinde, ut receptum aut eiiceretur, aut, si nis.
 malum facinus, quod a vetustissimis sociis consanguineisque
 defecissent, forti ac memorabili facinore purgare vellent, ut,
 interfecto Punico praesidio, restituerent se Romanis. Haec Vocatus ab
 (neque enim occulte agebantur) quum relata Hannibale Hannibale
 essent, primo misit, qui vocarent Magium ad sese in castra: negat se
 deinde, quum is ferociter negasset se iturum, (nec enim iturum.
 Hannibali ius esse in civem Campanum) concitatus ira
 Poenus, comprehendi hominem, vinctumque attrahi ad se
 iussit. Veritus deinde, ne quid inter vim tumultus, atque
 ex concitatione animorum inconsulti certaminis oriretur,
 ipse, praemisso nuntio ad Marium Blossium praetorem Cam-
 panum, postero die se Capuae futurum, proficiscitur e
 castris cum modico praesidio. Marius concione advocata
 edicit, ut frèquentes eum coniugibus ac liberis obviam irent
 Hannibali. Ab universis id non obedienter modo, sed
 enixe, favore etiam vulgi, et studio visendi tot iam victoriis
 clarum imperatorem, factum est. Decius Magius nec
 obviam egressus est, nec, quo timorem aliquem ex conscientia
 3 significare posset, privatim se tenuit: in foro cum filio clien-
 4 tibusque paucis otiose inambulavit, trepidante tota civitate
 ad excipiendum Poenum visendumque. Hannibal, in-
 gressus urbem, senatum extemplo postulat, precantibusque
 inde primoribus Campanorum, ne quid eo die seriae rei
 gereret, diemque ut ipse adventu suo festum lactus ac libens
 celebraret; quanquam praeceps ingenio in iram erat, tamen,
 ne quid in principio negaret, visenda urbe magnam diei
 partem consumpsit.

Deversatus est apud Ninnios Celeres, Stenium Pacuvium-
 que, inclutos nobilitate ac divitiis. Eo Pacuvius Calavius,
 de quo ante dictum est, princeps factionis eius, quae trax-
 erat rem ad Poenos, filium invenem adduxit, abstractum
 abs Decii Magii latere, cum quo ferocissime pro Romana
 societate adversus Punicum foedus steterat; nec eum aut
 inclinata in partem alteram civitas, aut patria maiestas sen-

8.

1 *Decius Magius*] Quem principem Campanorum et virum fidelissimum laudat Vell. Patere. ii. 16. *Decius* hic praenomen, quum inter Italicos populos longe aliam rationem praenominum, quam apud Romanos, fuisse supr. monuimus. DRAK.

2 *Pyrrhi superbam dominationem*] cf. Plutarch. in Pyrrho, et Appian. de Rebus Samnit. Excerpt. 8.

3 *Privatim se tenuit*] *Privato* malebat Gronov. quod Bekker. reposuit.

4 *Trepidante tota civitate*] sc. Festinante, properante,

U. C. 536.
A. C. 216.
Pacuvius
veniam im-
petrat filio
suo Perol-
lae.

Perolla oc-
cisurus
Hanniba-
lem, rem
significat
patri.

9.
Dehorta-
tur eum
pater.

tentia depulerat. Huic tum pater iuveni Hannibalem deprecando magis, quam purgando, placavit, victusque patris precibus lacrimisque etiam ad coenam eum cum patre vocari iussit: cui convivio neminem Campanum, praeterquam hospites, Iubelliumque Tauream, insignem bello virum, adhibiturus erat. Coeperunt epulari de die, et convivium non ex more Punico, aut militari disciplina esse; sed, ut in civitate atque etiam domo diti ac luxuriosa, omnibus voluptatum illecebris instructum. Unus nec dominorum invitatione, nec ipsius interdum Hannibalis, Calavii filius Perolla vinci potuit; ipse valetudinem excusans, 6 patre animi quoque eius haud mirabilem interturbationem 7 causante. Solis ferme occasu patrem Calavium, ex convivio egressum, secutus filius ubi in secretum (hortus erat posticis aedium partibus) pervenerunt, ‘Consilium,’ inquit, ‘affero, ‘pater, quo non veniam solum peccati, quod defecimus ad ‘Hannibalem, impetraturi ab Romanis, sed in multo maiore ‘dignitate et gratia simus Campani, quam unquam fuimus.’ Quum mirabundus pater, ‘quidnam id esset consilii,’ quaereret; toga reiecta ab humero, latus succinctum gladio nudat: ‘Iam ego,’ inquit, ‘sanguine Hannibalis sanciam ‘Romanum foedus. Te id prius scire volui, si forte abesse, ‘dum facinus patratur, mallet.’ Quae ubi vidit audivitque senex, velut si iam agendis, quae audiebat, interesset, amens metu, ‘Per ego te,’ inquit, ‘fili, quaecunque iura liberos ‘iungunt parentibus, precor quaeoque, ne ante oculos pa- ‘tris facere et pati omnia infanda velis. Paucae horae sunt, 9 ‘intra quas iurantes per quicquid deorum est, dextrae dex- ‘tras iungentes, fidem obstrinximus, ut sacratas fide manus, ‘digressi ab colloquio, extemplo in eum armaremus? Ab ‘hospitali mensa surgis, ad quam tertius Campanorum ad- ‘hibitus es ab Hannibale, ut eam ipsam mensam cruentares ‘hospitis sanguine? Hannibalem pater filio meo potui pla- ‘care, filium Hannibali non possum? Sed sit nihil sancti, ‘non fides, non religio, non pietas: audeantur infanda, si ‘non perniciem nobis cum scelere afferunt. Unus aggres-

5 *Coepunt epulari de die*] Quum multum adhuc diei superesset. Hoc notat Livius, tanquam parum severum et sobrium. Legitima enim convivii hora apud veteres erat solis occasus, aut certe decima diei hora. Itaque *partem solido demere de die*, ut loquitur Horatius, luxuriae esse videbatur. Vid. Lips. ad Tacit. Ann. xiv. 2. CREV.

6 *I'nci potuit*] Adduci, ut se laetitiae convivali permetteret. CREV.

7 *Haud mirabilem interturbatio-*

nem] Ortam scilicet ab Hannibalis conspectu, cui se paucas ante horas infensissimum hostem professus erat. CREV.

8 *Posticis aedium partibus*] “Posticum ostium dicitur in posteriore parte aedium... Denique et quae ante nos sunt, antica, et quae post nos sunt, postica dicuntur.” FESTUS.

9 *Paucae horae sunt*] h. e. Num ideo ante paucas horas fidem obstrinximus, ut. STROTH.

‘surus es Hannibalem? Quid? illa turba tot liberorum U. C. 536.
‘servorumque; quid? in unum intenti omnium oculi; A. C. 216.
‘quid? tot dextrae, torpescuntne in amentia illa? Vultum
‘ipsius Hannibalis, quem armati exercitus sustinere neque-
‘unt, quem horret populus Romanus, tu sustinebis? et, alia
‘auxilia desint, me ipsum ferire, corpus meum opponentem
‘pro corpore Hannibalis, sustinebis? Atqui per meum
‘pectus petendus ille tibi transfigendusque est. Deterreri
‘hic sine te potius, quam illic vinci. Valeant preces apud
‘te meae, sicut pro te hodie valuerunt.’ Lacrimantem inde Patri cedit Perolla.
iuvenem cernens, medium complectitur, atque, osculo
haerens, non ante precibus abstinit, quam pervicit, ut gla-
dium poneret, fidemque daret, nihil facturum tale. Tum
iuvenis, ‘Ego quidem,’ inquit, ‘quam patriae debeo, pie-
‘tatem exsolvam patri. Tuam doleo vicem, cui ter pro-
‘ditae patriae sustinendum est crimen; semel, quum defec-
‘tionis ab Romanis; iterum, quum pacis cum Hannibale
‘fuisti auctor; tertio hodie, quum restituendae Romanis
‘Capuae mora atque impedimentum es. Tu, patria, fer-
‘rum, quo pro te armatus hanc arcem hostium inii, quando
‘parens extorquet, recipe.’ Haec quum dixisset, gladium
in publicum trans maceriam horti abiecit: et, quo minus
res suspecta esset, se ipse convivio reddidit.

Postero die senatus frequens datus Hannibali. Ubi 10.
prima eius oratio perblanda ac benigna fuit, qua gratias egit
Campanis, quod amicitiam suam Romanae societati praepo-
suissent: et inter cetera magnifica promissa pollicitus, brevi
caput Italiae omni Capuam fore, iuraque inde cum ceteris
populis Romanum etiam petiturum. Unum esse exsortem
Punicae amicitiae foederisque secum facti, quem neque esse
Campanum, neque dici debere, Magium Decium. Eum
postulare, ut sibi dedatur, ac se praesente de eo referat,
senatusque consultum fiat. Omnes in eam sententiam
ierunt: quanquam magnae parti et vir indignus ea calami-
tate, et laud parvo initio minui videbatur ius libertatis.
² Egressus curia, in templo magistratuum consedit; compre-
hendique Decium Magium, atque ante pedes destitutum
causam dicere iussit. Qui quum, manente ferocia animi,
³ negaret lege foederis id cogi posse, tum iniectae catenae,
ducique ante lictorem in castra est iussus. Quoad capite

¹ *Hanc arcem hostium inii*] Ita ex emendatione Rubenii: ceterum *hanc arcem defendere volebam* Crev. et plerique codd. exhibent. Videtur com-
mode appellari arx hostium domus ea, in qua Hannibal diversebatur.

² *In templo magistratuum*] Intel-

ligendum esse tribunal, sive quod inaugurato consecratum esset, sive quod omnia loca excelstora vocarentur templa, monet Duker.

³ *Id cogi posse*] Ita supr. iv. 26. *Siquidem cogi aliquid consules pos-*
sent.

U. C. 536. aperto est ductus, concionabundus incessit, ad circumfusam
 A. C. 216. undique multitudinem vociferans: 'Habetis libertatem,
 Magius ob- 'Campani, quam petistis. Foro medio, luce clara, viden-
 ducitur in 'tibus vobis, nulli Campanorum secundus, vinctus ad
 castra 'mortem raptor. Quid violentius Capua capta fieret? Ite
 Hannib. 'obviam Hannibali, exornate urbem, diemque adventus
 'eius consecrate, ut hunc triumphum de cive vestro spe-
 'ctetis.' Haec vociferanti, quum moveri vulgus videretur,
 obvolutum caput est, ocusque rapi extra portam iussus.
 Ita in castra perducitur: extemploque impositus in navim,
 et Carthaginem missus; ne, motu aliquo Capuae ex indig-
 nitate rei orto, senatum quoque poeniteret dediti principis:
 et, legatione missa ad repetendum eum, ne aut negando
 rem, quam primam peterent, offendendi sibi novi socii; aut
 tribuendo, habendus Capuae esset seditionis ac turbarum
 auctor. Navem Cyrenas detulit tempestas, quae tum in 4
 ditione regum erant. Ibi quum Magius ad statuam Ptole- 5
 maei regis confugisset, deportatus a custodibus Alexandriam
 ad Ptolemaeum, quum eum docuisset, contra ius foederis
 vinctum se ab Hannibale esse, vinculis liberatur; permis- 6
 sumque, ut rediret, seu Romam seu Capuam mallet.
 'Nec' Magius 'Capuam sibi tutam' dicere; 'et Romam eo
 'tempore, quo inter Romanos Campanosque bellum sit,
 'transfugae magis, quam hospitis, fore domicilium. Nus-
 'quam malle, quam in regno eius, vivere, quem vindicem
 'atque auctorem habeat libertatis.'

Cyrenas
 appulsus
 confugit ad
 statuam
 regis.

11.
 Redit a
 Delphis
 legatus Ro-
 manus.

Dum haec geruntur, Q. Fabius Pictor legatus a Delphis 7
 Romam rediit, responsumque ex scripto recitavit. Divi 8
 quoque in eo erant, quibus quoque modo supplicaretur:
 tum, 'Si ita faxitis, Romani, vestrae res meliores faciliores-
 'que erunt: magisque ex sententia respublica vestra vobis
 'procedet, victoriaeque duelli populi Romani erit. Pythio
 'Apollini, republica vestra bene gesta servataque, lucris
 'meritis donum mittitote, deque praeda, manubiis, spoliis-
 'que honorem habetote: lasciviam a vobis prohibetote.' 9

4 *Quae tum in ditione regum erant*] Quum haec scriberet Livius, Cyrenae iamdiu erant in ditione populi Romani. CREV.

5 *Ptolemaei regis*] Regnabat tunc in Aegypto Ptolemaeus Philopator, a Ptolemaeo Lagi filio quartus. CREV.

6 *Vinculis liberatur*] Quippe iam inde ab U. C. 479. in foedere cum Ptolemaeo Philadelpho Romani coniuncti erant, quo Pyrrhi impetus comprimerent. cf. Niebhr. iii. n. 999.

7 *Q. Fabius Pictor*] Is ipse, qui horum temporum scripsit historiam, teste

Appiano in bello Hanniblico: *scriptorum* historiae Romanae *antiquissimus*, ut docet Livius, i. 44. Nec bellum hoc solummodo, sed res gestas populi Romani universas scribendo complexus fuerat. CREV.

8 *Divi quoque in eo erant*] Recidendam particulam *quaque* censet CREV. *divaeque* coniecit Bekker. Ad sequentia opportune citat Gronov. locum ap. Cic. ad Famil. vi. 5. *Res et fortunae tuae quotidie faciliores mihi et meliores videntur.*

9 *Lasciviam a vobis prohibetote*]

Haec ubi ex Graeco carmine interpretata recitavit, tum U. C. 536. dixit, 'se oraculo egressum extemplo his omnibus divis A. C. 216. rem divinam ture ac vino fecisse: iussuque ab templi
1 'antistite, sicut coronatus laurea corona et oraculum adisset,
'et rem divinam fecisset; ita coronatum navim ascendere,
2 'nec ante deponere eam, quam Romam pervenisset. Se,
'quaecumque imperata sint, cum summa religione ac dili-
'gentia exsecutum; coronam Romae in aram Apollinis de-
'posuisse.' Senatus decrevit, ut eae res divinae supplica-
tionesque primo quoque tempore cum cura fierent.

Dum haec Romae atque in Italia geruntur, muntius vi- Mago Car-
ctoriae ad Cannas Carthaginem venerat Mago Hamilcaris thaginem a
filius: non ex ipsa acie a fratre missus, sed retentus aliquot fratre mis-
dies in recipiendis civitatibus Bruttiorum, quaeque deficie- sus.
bant. Is, quum ei senatus datus esset, res gestas in Italia
3 a fratre exponit: 'Cum sex imperatoribus eum, quorum Exponit
'quattuor consules, duo dictator ac magister equitum fue- res gestas
'rint, cum sex consularibus exercitibus acie conflictasse: Hanniba-
'occidisse supra ducenta millia hostium: supra quinquaa- lis.
4 'ginta millia cepisse. Ex quattuor consulibus duos occi-
'disse; ex duobus saucium alterum, alterum, toto exercitu
'amisso, vix cum quinquaginta hominibus effugisse. Ma-
5 'gistrum equitum, quae consularis potestas sit, fusum fuga-
6 'tumque: dictatorem, quia se in aciem nunquam commi-
7 'serit, unicum haberi imperatorem. Bruttios Apulosque,
8 'partim Samnitium ac Lucanorum defecisse ad Poenos:
'Capuam, quod caput, non Campaniae modo, sed, post
'afflictam rem Romanam Cannensi pugna, Italiae sit, Han-
nibali se tradidisse. Pro his tantis totque victoriis, verum
'esse, grates deis immortalibus agi haberique.' Ad fidem
deinde tam laetarum rerum effundi in vestibulo curiae iussit

12.

Annuli au-
rei ad mo-
di mensu-
ram.

Cavete irreligiosam exultationem in rebus secundis, atque ex ea deum incuriam et contemptum. Gron.

1 *Laurae corona*] Vocem *coronam* glossatori deberi suspicatur Iac. Gronov. et conjecturam firmat ex loco infr. xxvii. 37. *coronati laurea praetextatique*.

2 *Nec ante deponere eam*] Hunc morem omnes, qui ad oraculum accesserant, servare debebant. Romanis forsitan insolentiam rei miratis, Fabius iussa antistitis prae se ferebat, quod coronatus domum rediret.

3 *Cum sex imperatoribus*] Dixerit verius *septem* Livius, sed Ti. Sempronium, quem Hannibal ad Trebiam vicit, de industria praeteritum esse, ex ipsis Livii verbis perspicuum est.

4 *Duos occidisse*] sc. C. Flaminium, et L. Aemilium. *Ex duobus saucium alterum*, P. Cornelium Scipionem, alterum C. Terentium Varronem.

5 *Quae consularis potestas*] Similiter supr. vi. 27. *tribunos plebis*, quippe *quae potestas*, infr. xxx. 7. *Suffetes, quod velut consulare imperium apud eos erat*.

6 *Unicum haberi imperatorem*] Eximium et excellentem imperatorem existimari. Sic supr. vii. 1. *vir unicus in omni fortuna*. CREV.

7 *Partim Samnitium*] Antiquum illud *partim* pro *partem* Gronov. hic restituit, et infr. xxvi. 46.

8 *Verum esse*] h. e. Aequum esse. cf. supr. iii. 40. Cic. pro Muren. 35.

U. C. 536. annulos aureos, qui tantus acervus fuit, ut, metientibus di-9
 A. C. 216. midium super tres modios explesse, sint quidam auctores.
 Fama tenuit, quae propior vero est, haud plus fuisse modio.
 Adiecit deinde verbis, quo maioris cladis indicium esset,
 neminem, nisi equitem, atque eorum ipsorum primores, id
 gerere insigne. Summa fuit orationis, ‘Quo propius spem
 ‘belli perficiendi sit, eo magis omni ope iuvandum Hanni-
 ‘balem esse. Procul enim ab domo militiam esse, in media
 ‘hostium terra: magnam vim frumenti, pecuniae, absumi;
 ‘et tot acies, ut hostium exercitus delesse, ita victoris etiam
 ‘copias parte aliqua minuisse. Mittendum igitur supple-
 ‘mentum esse; mittendam in stipendium pecuniam fru-
 ‘mentumque tam bene meritis de nomine Punico mili-
 ‘tibus.’

Hannonem
 increpat
 Himilco.

Oratio
 Hannonis
 de Hanni-
 bale.

Secundum haec dicta Magonis laetis omnibus, Himilco,
 vir factionis Barcinae, locum Hannonis increpandi esse
 ratus, ‘Quid est, Hanno?’ inquit, ‘etiam nunc poenitet
 ‘belli suscepti adversus Romanos? Iube dedi Hannibalem:
 ‘veta in tam prosperis rebus grates diis immortalibus agi.
 ‘Audiamus Romanum senatorem in Carthaginensium
 ‘curia.’ Tum Hanno: ‘Tacuissem hodie, Patres conscripti,
 ‘ne quid in communi omnium gaudio, minus laetum quod
 ‘esset vobis, loquerer. Nunc interroganti senatori, poeni-
 ‘teatne me adhuc suscepti adversus Romanos belli, si reti-
 ‘ceam, aut superbus, aut obnoxius videar: quorum alterum 2
 ‘est hominis alienae libertatis obliti; alterum suae. Re-
 ‘spondeam igitur Himilconi, non desisse poenitere me
 ‘belli, neque desitutum ante invictum vestrum imperato-
 ‘rem incusare, quam finitum aliqua tolerabili conditione
 ‘bellum videro: nec mihi pacis antiquae desiderium ulla
 ‘alia res, quam pax nova, finiet. Itaque ista, quae modo
 ‘Mago iactavit, Himilconi ceterisque Hannibalis satelliti-
 ‘bus iam laeta sunt. Mihi possunt laeta esse, quia res
 ‘bello bene gestae, si volumus fortuna uti, pacem nobis
 ‘aequiores dabunt. Nam si praetermittimus hoc tempus,
 ‘quo magis dare, quam accipere, possumus videri pacem,
 ‘vereor, ne haec quoque laetitia luxuriet nobis, ac vana
 ‘evadat. Quae tamen nunc quoque qualis est? Occidi
 ‘exercitus hostium: mittite milites mihi. Quid aliud ro-

9 *Dimidium super tres modios*] h. e. Dimidium modium super tres modios. Graece *τέταρτον ἡμίμετρον*. *Duos* modios memorat Florus ii. 26. *tres* Plin. H. N. xxxiii. 1. et Val. Max. vii. 2.

1 *Neminem, nisi equitem*] Verum Plin. H. N. xxxiii. 1. annulos aureos promiscui usus fuisse scribit “secun-

do bello Punico, neque enim aliter potuissent trimodia illa annulorum Carthaginem ab Hannibale mitti.”

2 *Aut superbus, aut obnoxius*] *Superbus*, si indignum haberet senatorem, cui responderet, *obnoxius*, si, non habens quod responderet, victum se profiteretur.

‘gares, si esses victus? Hostium cepi bina castra, praedae U. C. 536.
 ‘videlicet plena et commeatum: frumentum et pecuniam A. C. 216.
 ‘date. Quid aliud, si spoliatus, si exutus castris esses, pe-
 ‘teres? Et, ne omnia ipse mirer, (mihi quoque enim, quo-
 ‘niam respondi Himilconi, interrogare ius fasque est) velim
 ‘seu Himilco, seu Mago respondeat; quum ad interneci-
 ‘onem Romani imperii pugnatum ad Cannas sit, constetque
 ‘in defectione totam Italiam esse; primum ecquis Latini
 ‘nominis populus defecerit ad nos? deinde ecquis homo,
 ‘ex quinque et triginta tribubus, ad Hannibalem transfu-
 ‘gerit?’ Quum utrumque Mago negasset: ‘Hostium qui- Disceptatio
 ‘dem ergo,’ inquit, ‘adhuc nimis multum superest. Sed, cum Mago-
 ‘multitudo ea quid animorum, quidve spei habeat, scire ne.
 ‘velim.’ Quum, id nescire, Mago diceret; ‘Nihil facilius 13.
 ‘scitu est,’ inquit. ‘Ecquos legatos ad Hannibalem Ro-
 ‘mani miserunt de pace? Ecquam denique mentionem
 ‘pacis Romae factam esse, allatum ad vos est?’ Quum id
 ‘quoque negasset, ‘Bellum igitur,’ inquit, ‘tam integrum
 ‘habemus, quam habuimus, qua die Hannibal in Italiam
 3 ‘est transgressus. Quam varia victoria priore Punico bello
 ‘fuerit, plerique, qui meminimus, supersumus. Nun-
 ‘quam terra marique magis prosperae res nostrae visae
 ‘sunt, quam ante consules C. Lutatium et A. Postumium
 ‘fuerunt. Lutatio et Postumio consulibus devicti ad Ae-
 ‘gates insulas sumus. Quod si (id quod dii omen avertant)
 ‘nunc quoque fortuna aliquid variaverit; tum pacem spe-
 ‘ratis, quum vincemur, quam nunc, quum vincimus, dat
 ‘nemo? Ergo, si quis de pace consulat, sen deferenda hos-
 ‘tibus, seu accipienda, habeo, quid sententiae dicam: si
 ‘de iis, quae Mago postulat, refertis, nec victoribus mitti
 ‘attinere puto, et frustrantibus nos falsa atque inani spe
 ‘multo minus censeo mittenda esse.’ Haud multos movit
 Hannonis oratio. Nam et simultas cum familia Barcina
 leviolem auctorem faciebat, et occupati animi praesenti
 lactitia nihil, quo vanius fieret gaudium suum, auribus ad-
 mittebant: debellatumque mox fore, si anniti paullulum
 voluissent, rebantur. Itaque ingenti consensu fit senatus-
 consultum, ut Hannibali quattuor Numidarum millia in
 4 supplementum mitterentur, et quadraginta elephanti, et

3 *Priore Punico bello*] Si haec sunt a manu Livii, imprudens more Romano Poenum hominem loquentem facit. CLERICUS.

4 *Et argenti mille quinquaginta talenta*] Vulgo *argenti multa talenta*, de quo Muretus Var. Lect. xvi. 8, “fuit haec paullo supra nostram aetatem ab hominibus ineruditis invecta scri-

bendi ratio, ut cum quingenta significare vellent, ita scriberent *Veta*. Erat igitur scriptum in vetere Liviano libro, *M. Veta* id est, mille *quingenta*. Quod qui non intellexerunt, inepte scripserunt *multa*.” Equidem cum Mureto *quingenta* hic legendum suaserim.

U. C. 536. argenti mille quinquaginta talenta. Dictatorque cum Ma-
A. C. 216. gone in Hispaniam praemissus est, ad conducenda viginti
millia peditum, quattuor equitum, quibus exercitus, qui in
Italia, quique in Hispania erant, supplerentur.

14. Ceterum haec, ut in secundis rebus, segniter otioseque
Romani impigre bellum ap- gesta. Romanos, praeter insitam industriam animis, fortuna
parant. etiam cunctari prohibebat. Nam nec consul ulli rei, quae
per eum agenda esset, deerat: et dictator M. Iunius Pera,
rebus divinis perfectis, latoque, ut solet, ad populum, ut 6
equum ascendere liceret, praeter duas urbanas legiones,
quae principio anni a consulibus conscriptae fuerant, et ser-
vorum delectum, cohortesque ex agro Piceno et Gallico 7
collectas, ad ultimum prope desperatae reipublicae auxilium,
quum honesta utilibus cedunt, descendit, edixitque: 'Qui
'capitalem fraudem ausi, quique pecuniae indicati in vin-8
'culis essent, qui eorum apud se milites fierent, eos noxa
'pecuniaeque sese exsolvi iussurum.' Ea sex millia homi-
num Gallicis spoliis, quae triumpho C. Flamini translati
erant, armavit. Itaque cum viginti quinque millibus arma-
torum ab urbe proficiscitur.

Hannibal, Capua recepta, quum iterum Neapolitanorum
animos, partim spe, partim metu, nequicquam tentasset, in
frustra ten- agrum Nolanum exercitum traducit: ut non hostiliter sta-
tat. tum, quia non desperabat voluntariam deditionem; ita, si
morarentur spem, nihil eorum, quae pati aut timere pos-
sent, praetermissurus. Senatus, ac maxime primores eius,
in societate Romana cum fide perstare; plebs novarum,
ut solet, rerum atque Hannibalis tota esse; metumque
Nolae dis- agrorum populationis, et patienda in obsidione multa gravia
cordia. indignaque proponere animo. Neque auctores defectionis
decrant. Itaque ubi senatum metus cepit, si propalam
tenderent, resisti multitudini concitatae non posse; clam 9
simulando dilationem mali inveniunt. Placere enim sibi
defectionem ad Hannibalem simulant: quibus autem con-

5 *Dictatorque cum Magone*] Ita
Catonem ap. Aul. Gell. x. 24. Hanni-
balem appellare *dictatorem* animad-
vertit Sigonius.

6 *Ut equum ascendere liceret*] De
hac re alia alii disputant. Zonar. vii.
13. dictatori, nisi ad bellum profecturo,
non licuisse equum ascendere tradi-
dit: Plutarch. in Fab. omnino licu-
isse negat, "quod Romani plurimum
roboris in peditatu posuerint, atque
ideo existimaverint, duci in acie a
peditatu non discedendum esse." Nie-
buhrius autem dictatorem lege as-
trictum esse, ut in curru veheretur,

et ideo equum ascendendi arbi-
trium, nisi re lata ad populum, non ha-
buisset scribit. cf. ii. n. 854.

7 *Ex agro . . . Gallico*] Sic dice-
batur ager inter Aesim et Rubiconem
fluvios, qui quum olim Gallorum Se-
nonum fuisset, postea iis expulsis, po-
pulo virum distributus fuerat. CREV.

8 *Pecuniae indicati*] h. e. Cre-
ditoribus a praetore addicti. supr. vi.
14.

9 *Clam simulando*] *Obsecundando*
ex coniectura Gronov. recepit Bek-
ker. *Secunda simulando* Stroth. repo-
suit.

ditionibus in foedus amicitianque novam transeant, parum U. C. 536.
constare. Ita spatio sumpto, legatos propere ad praetorem A. C. 216.
Romanum Marcellum Clandium, qui Casilini cum exercitu Senatus
erat, mittunt, docentque, quanto in discrimine sit Nolana Nolanus
res: agrum Hannibalis esse et Poenorum, urbem extemplo vocat Mar-
futuram, ni subveniatur. Concedendo plebei senatum, ubi cellum.
velint, defecturos se, ne deficere praefestinent, effecisse.
Marcellus, collaudatis Nolanis, eadem simulatione extrahi
rem in suum adventum iussit: interim celari, quae secum
acta essent, spemque omnem auxilii Romani. Ipse a
Casilino Calatiam petit: atque inde, Vulturno amni tra-
iecto, perque agrum Saticulanum Trebulanumque super
Suessulam per montes Nolam pervenit.

Sub adventum praetoris Romani Poenus agro Nolano 15.
excessit, et ad mare proxime Neapolim descendit, cupidus
maritimi oppidi potiundi, quo cursus navibus tutus ex
Africa esset. Ceterum, postquam Neapolim a praefecto
Romano teneri accepit, (M. Iunius Silanus erat, ab ipsis
Neapolitanis accitus) Neapoli quoque, sicut Nola, omissa,
petit Nuceriam. Eam quum aliquandiu circumsedisset, Hannibal
saepe vi, saepe sollicitandis nequicquam nunc plebe nunc Nuceriam
principibus, fame demum in deditionem accepit, pactus, ut capit.
inermes cum singulis abirent vestimentis. Deinde, ut qui
a principio mitis omnibus Italicis, praeter Romanos, videri
2 vellet, praemia atque honores, qui remanerent, ac militare
secum voluissent, proposuit. Nec ea spe quemquam tenuit.
Dilapsi omnes, quocumque hospitia aut fortuitus animi im-
petus tulit, per Campaniae urbes, maxime Nolam Neapo-
limque. Quum ferme triginta senatores, ac forte primus
quisque, Capuam petissent, exclusi inde, quod portas Han-
nibali clausissent, Cumas se contulerunt. Nuceriae praeda
militi data est, urbs direpta atque incensa. Nolam Mar-
cellus non sui magis fiducia praesidii, quam voluntate prin-
cipum, habebat. Plebes timebatur, et ante omnes L. Bantius
Bantius, quem consensus attentatae defectionis, ac metus a Nolanus
praetore Romano, nunc ad proditionem patriae, nunc, si ad propensus
id fortuna defuisset, ad transfugiendum stimulabat. Erat in Hanni-
iuvenis acer, et sociorum ea tempestate prope nobilissimus balem.
eques. Seminecem cum ad Cannas in acervo caesorum
corporum inventum, curatumque benigne, etiam cum donis
Hannibal domum remiserat. Ob eius gratiam meriti rem
Nolanam in ius ditionemque dare voluerat Poeno: anxium-

1 *Concedendo plebei*] Quum senatus plebei concessisset, se defecturum, ubi plebs vellet.

2 *Qui remanerent*] *Qui remanserant* in pluribus MSS. invenitur, quod

Bekker. retinuit. *Qui remanserint* Stroth. recepit. Ceterum noster saepius pronomen omisit, supr. ii. 23. iii. 44. iv. 3. cf. Cic. Tusc. Qu. v. 7.

U. C. 536. que eum et sollicitum cura novandi res praetor cernebat.
 A. C. 216. Ceterum, quum aut poena cohibendus esset, aut beneficio conciliandus, sibi assumpsisse, quam hosti ademisse, fortem ac strenuum maluit socium, accitumque ad se benigne appellat: 'Multos eum invidos inter populares habere; inde existimatu facile esse, quod nemo civis Nolanus sibi indicaverit, quam multa eius egregia facinora militaria essent. Sed, qui in Romanis militaverit castris, non posse obscuram eius virtutem esse. Multos sibi, qui cum eo stipendia fecerint, referre, qui vir esset ille, quaeque et quoties pericula pro salute ac dignitate populi Romani adisset: utique Cannensi proelio non prius pugna abstiterit, quam prope exsanguis ruina superincidentium virorum, equorum, armorumque sit oppressus. Itaque macte virtute esto,' inquit. 'Apud me tibi omnis honos atque omne praemium erit: et, quo frequentior mecum fueris, senties eam rem tibi dignitati atque emolumento esse:' lactoque iuveni promissis equum eximium dono dat, bigatosque quingentos quaestorem numerare iubet: lictoribus imperat, ut eum se adire, quoties velit, patiantur. Hac comitate Marcelli ferocis iuvenis animus adeo est mollitus, ut nemo inde sociorum rem Romanam fortius ac fidelius iuverit, quum Hannibal ad portas esset, (Nolam enim rursus a Nuceria moverat castra) plebesque Nolana de integro ad defectionem spectaret.

16.
 Hannibal
 ad Nolam.

Marcellus sub adventum hostium intra muros se recepit; non castris metuens, sed ne prodendae urbis occasionem nimis multis in eam imminentibus daret. Instrui deinde utrimque acies coeptae, Romanorum pro moenibus Nola, Poenorum ante castra sua. Proelia hinc parva inter urbem castraque, et vario eventu fiebant: quia duces nec prohibere paucos temere provocantes, nec dare signum universae pugnae volebant. In hac continua iam duorum exercituum statione principes Nolanorum nuntiant Marcello, 'Nocturna colloquia inter plebem ac Poenos fieri; statutumque esse, ut, quum Romana acies egressa portis iret, impedimenta eorum ac sarcinas diriperent, clauderent deinde portas, murosque occuparent, ut, potentes rerum suarum atque urbis, Poenum inde pro Romano acciperent.' Haec ubi nuntiata sunt Marcello, collaudatis senatoribus Nolanis, priusquam aliquis motus intus oriretur, fortunam pugnae

Marcellus
 se proelio
 parat.

3 *Bigatosque quingentos*] sc. Denarios eiusdem generis, quos supr. xxii. 52. 54. *quadrigatos* nominatos habemus. Hi quadrigarum, illi bigarum effigiem insculptam gerebant. cf. Husseius de Monet. Gr. et Rom. x. 6.

4 *In hac continua*] Ita ex vet. lib.

reposit Sigon. Ceterum *in hac cotidiana* ex coniectura Gronov. retinebunt Crev. et Bekker.

5 *Aliquis motus intus oriretur*] *Aliquis motus iniuriave oriretur* ex emend. Gronovii recepit Bekker.

experiri statuit. Ad tres portas in hostes versas tripartito U. C. 536.
 exercitum instruxit: impedimenta subsequi iussit: calones A. C. 216.
 6 lixasque et invalidos milites vallum ferre. Media porta
 robor legionum et Romanos equites, duabus circa portis
 novos milites levemque armaturam ac sociorum equites
 statuit. Nolani muros portasque adire vetiti; subsidiaque
 destinata impedimentis data, ne, occupatis proelio legionibus,
 in ea impetus fieret. Ita instructi intra portas stabant.
 Hannibali, sub signis (id quod per aliquot dies fecerat) ad
 multum diei in acie stanti, primo miraculo esse, quod nec
 exercitus Romanus porta egrederetur, nec armatus quisquam
 in muris esset. Ratus deinde prodita colloquia esse, metu-
 que residues factos, partem militum in castra remittit, iussos
 propere apparatus omnem oppugnandae urbis in primam
 aciem afferre; satis fidens, si cunctantibus instaret, tumultum
 aliquem in urbe plebem moturam. Dum in sua quisque
 ministeria discursu trepidat ad prima signa, succeditque ad
 Hanniba-
 m aggre-
 ditur.
 muros acies, patefacta repente porta, Marcellus signa canere,
 clamoremque tolli, ac pedites primum, deinde equites,
 quanto maximo possent impetu, in hostem erumpere iubet.
 Satis terroris tumultusque in aciem mediam intulerant,
 quum duabus circa portis P. Valerius Flaccus et C. Aurelius
 legati in cornua hostium erupere. Addidere clamorem Bene rem
 lixae calonesque, et alia turba custodiae impedimentorum gerit.
 apposita, ut paucitatem maxime spernentibus Poenis ingentis
 repente exercitus speciem fecerint. Vix equidem ausim
 affirmare, quod quidam auctores sunt, duo millia et octin-
 gentos hostium caesos; non plus quingentos Romanum
 amisisse. Sive tanta, sive minor victoria fuit, ingens eo die
 7 res, ac nescio, an maxima illo bello gesta sit. Non vinci
 enim ab Hannibale tunc vincentibus difficilior fuit, quam
 postea vincere.

Hannibal, spe potiundae Nolae adempta, quum Acerras 17.
 recessisset, Marcellus extemplo, clausis portis custodibusque
 dispositis, ne quis egrederetur, quaestionem in foro de iis,
 qui clam in colloquiis hostium fuerant, habuit: supra sep-
 tuaginta damnatos prodicionis securi percussit, bonaque
 eorum iussit publica populi Romani esse: et, summa rerum
 senatui tradita, cum exercitu omni profectus, supra Sues-
 sulam castris positus consedit. Poenus, Acerras primum ad
 Acerras ca-
 pit Poenus.
 voluntariam deditionem conatus pellicere, postquam obsti-

6 *Vallum ferre*] cf. Supr. iii. 27.
 Milites Romani senos septenosque
 vallos, interdum etiam duodenos tu-
 lisse leguntur. Niebhr. Hist. ii. n.
 608.

Nemo non videt, sensum huius loci
 esse, illis, qui tunc vincebant, diffi-
 cilius fuisse, non vinci ab Hannibale,
 quam postea fuit, victoriam reportare.
 DRAK.

7 *Non vinci enim ab Hannibale*]

U. C. 536. natos vidit, obsidere inde atque oppugnare parat. Ceterum
 A. C. 216. Acerranis plus animi, quam virium, erat. Itaque, desperata
 tutela urbis, ut circumvallari moenia viderunt, priusquam
 continuarentur hostium opera, per intermissa munimenta
 neglectasque custodias silentio noctis dilapsi, per vias invia-
 que, qua quemque aut consilium aut error tulit, in urbes
 Campaniae, quas satis certum erat non mutasse fidem, per-
 fugerunt.

Hannibal, Acerris direptis atque incensis, quum a Casi-
 lino dictatorem Romanum legionesque novas acciri nunti-
 assent, ne quis tam propinquis hostium castris Capuam
 quoque recurrat, exercitum ad Casilinum ducit. Casilinum
 eo tempore quingenti Praenestini habebant, cum paucis
 Romanis Latinique nominis, quos eodem audita Cannensis
 clades compulerat. Hi, non confecto Praeneste ad diem
 delectu, serius profecti domo, quum Casilinum ante adversae
 pugnae famam venissent, et aliis aggregarent sese Romanis
 sociisque, profecti a Casilino cum satis magno agmine irent;
 avertit eos retro Casilinum nuntius Cannensis pugnae. Ibi
 quum dies aliquot, suspecti Campanis timentesque, caven-
 dis ac struendis in vicem insidiis traduxissent, iamque de
 Capuae defectione agi, accipique Hannibalem satis pro
 certo haberent, interfectis nocte oppidanis, partem urbis,
 quae cis Vulturnum est, (eo enim dividitur anni) occupa-
 vere: idque praesidium Casilini habebant Romani. Ad-
 ditur et Perusina cohors, homines quadringenti sexaginta,
 eodem nuntio, quo Praenestini paucos ante dies, Casilinum
 compulsi. Et satis ferme armatorum ad tam exigua moenia,
 et flumine altera parte cincta, tuenda erat: penuria fru-
 menti, nimium etiam ut videretur hominum, efficiebat.

18. Hannibal quum iam inde haud procul esset, Gaetulorum
 cum praefecto, nomine Isalca, praemittit: ac primo, si fiat
 colloquii copia, verbis benignis ad portas aperiendas prae-
 sidiumque accipiendum pellicere iubet: si in pertinacia
 perstent, rem gerere ac tentare, si qua parte invadere
 urbem possit. Ubi ad moenia accessere, quia silentium
 erat, solitudo visa; metuque concessum barbarus ratus,

8 *Continuarentur*] Iungerentur in-
 ter se, ita ut nullum iam inter ea spa-
 tium pateret ad fugam. CREV.

9 *Ne quis . . . Capuam quoque re-
 currat*] Gronovius emendat ex vesti-
 giis MSS. *Ne quid . . . Capuae quoque
 moveretur*, quod Bekkerus recepit.
Terror fiat pro recurrat emendavit
 Doer.

1 *Et aliis aggregarent sese*] Put.
aggregantur. Unde proclive est effi-

cere, et aliis aggregantibus sese: quod
 verum putamus. CREV.

2 *Interfectis . . . oppidanis*] Ne
 intellige interfectos oppidanos omnes,
 sed eos videlicet, qui Poenis favebant;
 cum ceteris communi animo consilio-
 que Praenestinos urbem defendisse,
 ut constat infr. 19. CREV.

3 *Metuque concessum*] sc. Ab hos-
 tibus, i. e. cessisse metu hostes. RAS-
 CING.

Casilinum
 Hannibal
 oppugnat.

moliri portas et claustra refringere parat: quum, patefactis U. C. 536.
 repente portis, cohortes duae, ad id ipsum instructae intus, A. C. 216.
 ingenti cum tumultu erumpunt, stragemque hostium faciunt.
 Ita primis repulsis, Maharbal, cum maiore robore virorum
 missus, nec ipse eruptionem cohortium sustinuit. Postremo
 Hannibal, castris ante ipsa moenia oppositis, parvam urbem
 parvumque praesidium summa vi atque omnibus copiis op-
 pugnare parat. Ac, dum instat laecessitque, corona indique
 circumdatis moenibus, aliquot milites et promptissimum
 4 quemque, e muro turribusque ictos, amisit. Semel ultro
 erumpentes agmine elephantorum opposito prope interclusit,
 trepidosque compulit in urbem, satis multis, ut ex tanta
 paucitate, interfectis. Plures cecidissent, ni nox proelio
 intervenisset. Postero die omnium animi ad oppugnandum
 accenduntur; utique postquam corona aurea muralis propo-
 sita est, atque ipse dux castelli, plano loco positi, segnem
 oppugnationem Sagunti expugnatoribus exprobrabat, Can-
 narum Trasimenique et Trebiae singulos admonens univer-
 sosque. Inde vineae quoque coeptae agi cunienique: nec
 5 ad varios conatus hostium aut vis ulla, aut ars deerat. Socii
 Romanorum propugnacula adversus vineas statuere, trans-
 versis cuniculis hostium cuniculos excipere, et palam et clam
 coeptis obviam ire; donec pudor etiam Hannibalem ab
 6 incepto avertit: castrisque communitis, ac praesidio modico
 imposito, ne omissa res videretur, in hiberna Capuam con-
 cessit.

Hannibal
 it Capuam
 in hiberna.

Ibi partem maiorem hiemis exercitum in tectis habuit, ad-
 versus omnia humana mala saepe ac diu duratum, bonis in-
 expertum atque insuetum. Itaque, quos nulla mali vicerat
 7 vis, perdere nimia bona ac voluptates immodicae; et eo
 impensius, quo avidius ex insolentia in eas se merserant.
 Somnus enim, et vinum, et epulae, et scorta, balineaeque, et
 otium, consuetudine in dies blandius, ita enervaverunt cor-
 8 pora animosque, ut magis deinde praeteritae victoriae eos,
 quam praesentes tutarentur vires; maiusque id peccatum
 ducis apud peritos artium militarium haberetur, quam quod
 non ex Cannensi acie protinus ad urbem Romanam dux-

Corrumpi-
 tur illic
 eius exer-
 citus.

4 *Ultro erumpentes*] sc. Quum etiam non laecessit erumpere ausi essent. Unde vero Hannibali elephantis, qui omnes in Alpibus perierant, exstiterint quaerit Stroth. cf. supr. xxii. 2.

5 *Aut ars deerat. Socii Romanorum.* *Propugnacula*, ex coniect. Gronov. reposuit Bekker.

6 *Castrisque communitis*] Aliquid scabri huic orationi inesse Drakenb.

videtur, quoniam verba *avertit* et *concessit* per particulam *que* iuncta, eundem nominativum desiderant. Sed hoc loquendi genus amat Livius. cf. ii. 56. iii. 38. iv. 17.

7 *Et eo impensius*] Et quidem deliciae eo impensius perdere Poenos, sc. eo graviore exitio evertere Poenorum vires, quo avidius in eas se merserant, propterea quod hactenus erant illarum insueti.

U. C. 536. ¹⁶isset. Illa enim cunctatio distulisse modo victoriam videri potuit; hic error vires ademisse ad vincendum. Itaque, hercule, velut si cum alio exercitu a Capua exiret, nihil usquam pristinae disciplinae tenuit. Nam et redierunt plerique scortis impliciti: et, ubi primum sub pellibus haberi coepta sunt, viaque et alius militaris labor excepit, tironum modo corporibus animisque deficiebant: et deinde per omne aestivorum tempus magna pars sine comitatibus ab signis dilabebantur: neque aliae latebrae, quam Capua, desertoribus erant.

19. Ceterum, mitesciente iam hieme, educto ex hibernis milite, Casilinum redit. Ubi, quanquam ab oppugnatione cessatum erat, obsidio tamen continuata oppidanos praesidiumque ad ultimum inopiae adduxerat. Castris Romanis Ti. Sempromnius praecerat, dictatore auspicio⁸rum repetendorum causa profecto Romam. Marcellum, et ipsum cupientem ferre auxilium obsessis, et Vulturnus amnis inflatus aquis, et preces Nolanorum atque Acerranorum tenebant, Campanos⁹ timentium, si praesidium Romanum abcessisset. Gracchus, assidens tantum Casilino, quia praedictum erat dictatoris,¹ ne quid absente eo rei gereret, nihil movebat: quanquam, quae facile omnem patientiam vincerent, nuntiabantur a Casilino. Nam et, praecipitasse se quosdam non tolerantes famem, constabat; et stare inermes in muris, nuda corpora ad missilium telorum ictus praebentes. Ea aegre patiens Gracchus, quum neque pugnam conserere dictatoris iniussu auderet, (pugnandum autem esse, si palam frumentum importaret, videbat) neque clam importandi spes esset, farre, ex agris circa undique convecto, quum complura dolia complisset, nuntium ad magistratum Casilinum misit, ut exciperent dolia, quae amnis deferret. Insequenti nocte, intentis omnibus in flumen ac spem ab nuntio Romano factam, dolia medio anni defluerunt. Aequaliter inter omnes frumentum divisum. Id postero quoque die ac tertio factum est. Nocte et mittebantur et perveniebant: eo custodias hostium fallebant. Imbris deinde continuis citatior solito amnis, transverso vortice dolia impulit ad ripam, quam hostes servabant. Ibi haerentia inter obnata ripis salicta conspiciuntur: nuntiatumque Hannibali est, et deinde intentiore custodia cautum, ne quid falleret Vulturno²

Casilinum
in doliis
per amnem
frumentum
mittitur.

⁸ *Sub pellibus*] In tentoriis. cf. ii. 10. xxi. 10.
supr. v. 2. *Sub pellibus durare*.

⁹ *Acerranorum*] Qui, urbe sua ab Hannibale direpta atque incensa, Nolanam confugerant.

¹ *Quia praedictum erat dictatoris*] h. e. Iussum, vel monitum. cf. supr.

² *Intentiore custodia*] Obiecta per medium amnem catena, teste Frontin. Strateg. iii. 14. Ceterum Praenestinos *Nuculas* appellatos scribit Festus, "quod inclusi a Poenis Casilini famem nucibus sustentarunt."

ad urbem missum. Nuces tamen fusae ab Romanis castris, U. C. 536. A. C. 216. quum medio anni ad Casilinum defluerent, eratibus excipiebantur. Nuces mittuntur. Postremo ad id ventum inopiae est, ut lora detractasque scutis pelles, ubi fervida mollissent aqua, mandere Casilini lora pellesque mandantur. conarentur, nec muribus aliove animali abstinerent, et omne herbarum radicumque genus aggeribus infimis muri eruerent; 3 et, quum hostes obarassent, quicquid herbidi terreni extra murum erat, raporum semen iniecerunt, ut Hannibal, 'Eone usque, dum ea nascentur, ad Casilinum sessurus sum?' exclamaret: et, qui nullam antea pactionem auribus admiserat, tum demum agi secum est passus de redemptione 4 liberorum capitum. Septunces auri in singulos pretium convenit. Fide accepta, sese tradiderunt: donec omne Hannibali deditur Casilinum. aurum persolutum est, in vinculis habiti: tum remissi Cumas cum fide. Id verius est, quam ab equite in abeuntes immisso interfectos. Praenestini maxima pars fuere. Ex quingentis septuaginta, qui in praesidio fuerunt, minus dimidium ferrum famesque absumpsit: ceteri incolumes 5 Praeneste cum praetore suo M. Anicio (scriba is antea fuerat) redierunt. Statua eius indicio fuit, Praeneste in foro statuta, lorica, amicta toga, velato capite; et tria signa cum titulo laminae aeneae inscripto, 'M. Anicium pro militibus, qui Casilini in praesidio fuerint, votum vovisse.' Idem titulus tribus signis in aede Fortunae positus fuit subiectus. Casilinum oppidum redditum Campanis est, firmatum septingentorum militum de exercitu Hannibalis praesidio; ne, ubi Poenus inde abscessisset, Romani oppugnarent. Praenestinis militibus senatus Romanus duplex stipendium et quinquennii militiae vacationem decrevit. Civitate 6 quum donarentur ob virtutem, non mutaverunt. Perusinorum casus obscurior fama est; quia nec ipsorum monumento ullo est illustratus, nec decreto Romanorum. 20. 7 Eodem tempore Petelinos, qui uni ex Brutiis manserant Petelini Romanis fidi. in amicitia Romana, non Carthaginienses modo, qui regionem obtinebant, sed Bruttii quoque ceteri, ob separata ab se consilia, oppugnabant. Quibus quum obsistere malis nequirent Petelini, legatos Romam ad praesidium petendum miserunt. Quorum preces lacrimaeque (in questus enim flebiles, quum sibimet ipsi consulere iussi sunt, sese in ve-

3 *Quicquid herbidi terreni*] Quicquid soli herbis consitum esset.

4 *Septunces auri*] Septenae auri unciae. Mirum quidem, unde haec tanta auri copia suppeditata sit. cf. Plin. H. N. xxxiii. 1. et 3.

5 *Cum praetore suo M. Anicio*] Ita pro vulg. *Manicio* ex coniectura Conr. Heusinger. recepit Bekker.

6 *Non mutaverunt*] h. e. Quamvis civitate donarentur Romana, suis legibus vivere maluerunt. cf. supr. ix. 43.

7 *Qui uni ex Brutiis*] Consentiam tamen, quae urbs Bruttiorum caput erat, in fide Romana mansisse constat. infr. 30.

U. C. 536. stibulo curiae profuderunt) ingentem misericordiam Patribus
 A. C. 216. ac populo moverunt. Consultique iterum a M. Pomponio
 praetore Patres, circumspectis omnibus imperii viribus, fateri
 coacti, nihil iam longinquis sociis in se praesidii esse, redire
 domum, fideque ad ultimum expleta, consulere sibi met ipsos
 in reliquum praesenti fortuna iusserunt. Haec postquam
 renuntiata legatio Petelinis est, tantus repente maior pavorque
 senatum eorum cepit, ut pars profugiendi, qua quisque
 posset, ac deserendae urbis auctores essent; pars, quando
 deserti a veteribus sociis essent, adiungendi se ceteris
 Brutiis, ac per eos dedendi Hannibali. Vicit tamen
 ea pars, quae nihil raptim nec temere agendum, consulendumque
 de integro censuit. Re laxata postero die per minorem
 trepidationem tenuerunt optimates, ut, convectis omnibus
 ex agris, urbem ac muros firmarent.

21.

Status re-
rum in Si-
cilia.

Per idem fere tempus literae ex Sicilia Sardiniaque Ro-
 manae allatae. Priores ex Sicilia T. Otacilii praetoris in
 senatu recitatae sunt: ‘P. Furium praetorem cum classe ex
 ‘Africa Lilybaeum venisse: ipsum graviter saucium in dis-
 ‘crimine ultimo vitae esse. Militi et navalibus sociis neque
 ‘stipendium, neque frumentum ad diem dari; neque, unde
 ‘detur, esse. Magnopere suadere, ut quam primum ea
 ‘mittantur; sibi, si ita videatur, ex novis praetoribus
 ‘successorem mittant.’ Eademque ferme de stipendio fru-
 mentoque ab A. Cornelio Mammula praetore ex Sardinia
 scripta. Responsum utrisque, non esse, unde mitteretur:
 iussique ipsi classibus atque exercitibus suis consulere.
 T. Otacilius, ad unicum subsidium populi Romani Hieronem
 legatos quum misisset, in stipendium, quanti argenti opus
 fuit, et sex mensium frumentum accepit. Cornelio in Sar-
 dinia civitates sociae benigne contulerunt. Et Romae quoque
 propter penuriam argenti triumviri mensarii, rogatione
 M. Minucii tribuni plebis, facti, L. Aemilius Papus, qui
 consul censorque fuerat, et M. Atilius Regulus, qui bis
 consul fuerat, et L. Scribonius Libo, qui tum tribunus ple-
 bis erat. Et duumviri creati, M. et C. Atilii, aedem Con-
 cordiae, quam L. Manlius praetor voverat, dedicaverunt.
 Et tres pontifices creati, Q. Caccilius Metellus, et Q. Fabius
 Maximus, et Q. Fulvius Flaccus, in locum P. Scantini
 demortui, et L. Aemilii Paulli consulis, et Q. Aelii Paeti,
 qui ceciderant pugna Cannensi.

Hiero ad-
iuvat Ro-
manos.

Triumviri
mensarii.

8 *In reliquum praesenti fortuna*] Ita Gronov. sed Crevier. *in reliquum*
omittendum fide plur. edd. censet.

9 *Re laxata*] Re iam magis expe-
dita, quae arcta et angusta fuerat. Si-
militer *laxior annona* supr. ii. 52.

artiori annonae infr. xxvi. 20. oppo-
nitur.

1 *Triumviri mensarii*] Supr. vii.
21. *quinqueviri mensarii* creati erant,
ubi et negotium eorum exponitur.
STROTH.

Quum cetera, quae continuis cladibus fortuna minuerat, quantum consiliis humanis assequi poterant, Patres exples-
 sent; tandem se quoque et solitudinem curiae, paucitatem-
 que convenientium ad publicum consilium respexerunt. Neque enim post L. Aemilium et C. Flaminius censores
 senatus lectus fuerat, quum tantum senatorum adversae
 pugnae, ad hoc sui quemque casus per quinquennium ab-
 sumpsissent. Quum de ea re M. Pomponius praetor, dic-
 tatore post Casilinum amissum profecto iam ad exercitum,
 exposcentibus cunctis retulisset; tum Sp. Carvilius, quum
 2 longa oratione non solum inopiam, sed paucitatem etiam
 civium, ex quibus in Patres legerentur, conquestus esset,
 3 explendi senatus causa, et iungendi artius Latini nominis
 cum populo Romano, magnopere se suadere dixit, ut ex
 singulis populis Latinorum, binis senatoribus, si Patres Ro-
 mani censuissent, civitas daretur, atque in demortuorum
 locum in senatum legerentur. Eam sententiam haud aequi-
 oribus animis, quam ipsorum quondam postulatum Latino-
 rum, Patres audierunt: et, quum fremitus indignantium
 tota curia esset, et praecipue T. Manlius, 'esse etiam nunc
 4 'stirpis eius virum, diceret, 'ex qua quondam in Capitolio
 'consul minatus esset, quem Latinum in curia vidisset, eum
 'sua manu se interfectorum;' Q. Fabius Maximus, 'Nun-
 'quam rei ullius alieniore tempore mentionem factam in
 'senatu,' dixit, 'quam inter tam suspensos sociorum ani-
 'mos incertamque fidem id tactum, quod insuper sollicita-
 'ret eos. Eam unius hominis temerariam vocem silentio
 'omnium extinguendam esse: et, si quid unquam arcani
 'sanctive ad silendum in curia fuerit, id omnium maxime
 'tegendum, oculendum, obliviscendum, pro non dicto ha-
 'bendum esse.' Ita eius rei oppressa mentio est. Dicta-
 torem, qui censor ante fuisset, vetustissimusque ex iis, qui
 viverent, censoris esset, creari placuit, qui senatum legeret:
 accirque C. Terentium consulem ad dictatorem dicendum
 iusserunt. Qui, quum ex Apulia, relicto ibi praesidio,
 5 magnis itineribus Romam redisset, nocte proxima, ut mos
 erat, M. Fabium Buteonem ex senatusconsulto sine magistro

Delibera-
 tur de ex-
 plendo se-
 natu.

Fabius Bu-
 teo dictator
 legendi se-
 natu cau-
 sa.

2 *Non solum inopiam, sed paucita-
 tem etiam civium]* Vocem *senatus*
 post *inopiam* reposuit Stroth. sed
inopiam haud dubie id, quod *solitudi-
 nem curiae*, intelligere cuius patue-
 rit.

3 *Latini nominis cum populo Ro-
 mano, magnopere]* Vulg. *Latini no-
 minis pro magna re* sed quum in
 plur. MSS. praepositionem *cum* ex-
 stare, et *populum Romanum* saepis-
 sime a librariis *p. ro.* compendiose

scriptum liquet, elegantissimam Cre-
 vierii coniecturam, quam etiam Dia-
 kenb. probavit, consentientibus Stroth.
 et Bekker. recepit Kreyssig.

4 *Ex qua quondam ... consul]* Ex
 qua oriundus consul quondam in Ca-
 pitolio minatus esset ... Designatur
 T. Manlius Torquatus, cuius verba
 vid. supr. viii. 5. CREV.

5 *Nocte ... ut mos erat]* Nocte
 dictatorem dici a consule mos erat,
 ut constat ex plurimis antiquorum

U. C. 536. equitum dictatorem in sex menses dixit. Is, ubi cum lic-
 A. C. 216. toribus in Rostra escendit, 'neque duos dictatores tempore 6
 23. 'uno, quod nunquam antea factum esset, probare se,' dixit:
 Dictatoris 'neque dictatorem se sine magistro equitum: nec censoriam
 oratio. 'vim uni permissam, et eidem iterum: nec dictatori, nisi 7
 'rei gerendae causa creato, in sex menses datum imperium.
 'Quae immoderata fors, tempus ac necessitas fecerint, iis se 8
 'modum impositurum. Nam neque senatu quemquam
 'moturum ex iis, quos C. Flaminius, L. Aemilius censores
 'in senatum legissent: transscribi tantum recitarique eos
 'iussurum; ne penes unum hominem iudicium arbitrium-
 'que de fama ac moribus senatoris fuerit: et ita in demor-
 'tuorum locum sublecturum, ut ordo ordini, non homo ho-
 'mini praelatus videretur.' Recitato vetere senatu, inde
 primos in demortuorum locum legit, qui post L. Aemilium
 et C. Flaminium censores curulem magistratum cepissent, 9
 necdum in senatum lecti essent; ut quisque eorum primus
 creatus erat: tum legit, qui aediles, tribuni plebei, quaesto- 1
 resve fuerant: tum ex iis, qui magistratus non cepissent,
 qui spolia ex hoste fixa domi haberent, aut civicam coronam 2
 acceperant. Ita, centum septuaginta septem cum ingenti
 approbatione hominum in senatum lectis, extemplo se ma-
 gistratu abdicavit, privatusque de Rostris descendit, lictori-
 bus abire iussis: turbaeque se immiscuit privatas agentium
 res, tempus hoc sedulo terens, ne deducendi sui causa po-
 pulum de foro abduceret. Neque tamen elanguit cura
 hominum ea mora, frequentesque eum domum deduxerunt.
 Consul nocte insequenti ad exercitum rediit, non facto
 certiore senatu, ne comitiorum causa in urbe retineretur.

24. Postero die consultus a M. Pomponio praetore senatus
 decrevit, dictatori scribendum, uti, si e republica censeret 3
 esse, ad consules subrogandos veniret cum magistro equi-
 tum et praetore M. Marcello, ut ex iis praesentibus noscere

scriptorum testimoniis. Vid. supr.
 viii. 23. CREV.

6 *Duos dictatores*] Dictator alter
 erat M. Iunius Pera. cf. supr. 14. et
 xxii. 57.

7 *Uni permissam, et eidem iterum*] Primum quod censoria vis permissa sit uni, quum iuxta leges duobus per-
 mittere deberet: secundum quod eun-
 dem certe his Censorem creari non
 liceret; quam legem U. C. 488. tulit
 C. Marcius Rutilus, *Censorinus* inde
 cognominatus. cf. Plut. in Coriol. et
 Valer. Max. iv. 1.

8 *Quae immoderata*] Quae ultra
 modum, ultra praescriptum legum
 fieri coëgissent fors, tempus, ac neces-

sitas. CREV.

9 *Curulem magistratum cepissent*] Hos quidem in curiam curru vehi
 solitos scribit Gavius Bassus: ceteros,
 qui magistratum curulem non cepe-
 rant, pedibus itavisse in curiam, et
 ideoque pedarios nominatos. cf. A.
 Gell. iii. 18.

1 *Aediles*] sc. Plebis, quippe ae-
 diles curules cum consulibus et praec-
 toribus inter curules magistratus an-
 numerantur.

2 *Qui spolia ex hoste*] cf. Supr. x.
 7.

3 *Dictatori scribendum*] sc. M. Iu-
 nio, cui magister equitum Ti. Sem-
 pronius erat, supr. xxii. 57.

Patres possent, quo statu respublica esset, consiliaque ex U. C. 536.
 rebus caperent. Qui acciti erant, omnes venerunt, relictis A. C. 216.
 legatis, qui legionibus praecessent. Dictator, de se pauca
 ac modice locutus, in magistrum equitum, Ti. Sempronium
 Gracchum, magnam partem gloriae vertit; comitiaque
 edixit, quibus L. Postumius tertium absens, qui tum Gal-
 liam provinciam obtinebat, et Ti. Sempronius Gracchus,
 qui tum magister equitum et aedilis curulis erat, consules
 crearentur. Praetores inde creati, M. Valerius Laevinus,
 Ap. Claudius Pulcher, Q. Fulvius Flaccus, Q. Mucius Scae-
 4 vola. Dictator, creatis magistratibus, Teanum in hiberna
 ad exercitum rediit, relicto magistro equitum Romae: qui,
 quum post paucos dies magistratum initurus esset, de exerci-
 tibus scribendis comparandisque in annum Patres consuleret.

Quum eae res maxime agerentur, nova clades nuntiata,
 aliam super aliam cumulate in eum annum fortuna: L. Po- L. Postu-
 5 stumium, consulem designatum, in Gallia ipsum atque ex- L. Postu-
 6 ercitus deletos. Silva erat vasta, (Litanam Galli vocabant) desig. in
 qua exercitum traducturus erat. Eius silvae dextra laeva- Gallia cum
 7 que circa viam Galli arbores ita inciderant, ut immotae sta- exercitu
 rent, momento levi impulsae occiderent. Legiones duas deletus.
 Romanas habebat Postumius, sociumque ab supero mari
 tantum conscripserat, ut viginti quinque millia armatorum
 in agros hostium induxerit. Galli oram extremam silvae
 quum circumsedissent, ubi intravit agmen saltum, tum ex-
 8 tremas arborum succisarum impellunt: quae, alia in aliam,
 instabilem per se ac male haerentem, incidentes, ancipiti
 strage arma, viros, equos obruerunt, ut vix decem homines
 effugerent. Nam quum exanimati plerique essent arborum
 truncis fragmentisque ramorum, ceteram quoque multitu-
 dinem, inopinato malo trepidam, Galli, saltum omnem ar-
 mati circumsedentes, interfecerunt; paucis e tanto numero
 captis, qui, fluminis pontem petentes, obsessio ante ab
 hostibus ponte interclusi sunt. Ibi Postumius, omni vi, ne
 caperetur, dimicans, occubuit. Spolia corporis caputque
 ducis praecisum Boii ovantes templo, quod sanctissimum
 est apud eos, intulere. Purgato inde capite, ut mos iis est,
 calvam auro caelavere: idque sacrum vas iis erat, quo sol-

4 Teanum] Apulum. DOER. Sed Teanum Sidicinum, quod Latinam viam claudebat, hic innui vult Rup. quippe Terentii consulis exercitus in Apulia esset. cf. supr. xxii. 57. De magnitudine Teani Sidicini cf. Strab. v. 237.

5 Ipsum atque exercitum deletos] De qua clade cf. Pol. iii. 118. et Frontin. Strateg. i. 6.

6 Litanam Galli vocabant] Silva haec in Gallia cispadana, supra fontes fluminis Seultennae inter Cerfenianum oppidum et Mutinam, latus Apenini claudebat.

7 Momento levi] Ictu levi impulsae conciderent.

8 Ancipiti strage] Corruentibus ex utraque parte arboribus.

U. C. 536. lennibus libarent: poculumque idem sacerdoti esse, ac
 A. C. 216. templi antistitibus. Praeda quoque haud minor Gallis, quam victoria, fuit. Nam etsi magna pars animalium strage silvae oppressa erat, tamen ceterae res, quia nihil dissipatum fuga est, stratae per omnem iacentis agminis ordinem inventae sunt.

25. Hac nuntiata clade, quum per dies multos in tanto pavore fuisset civitas, ut, tabernis clausis, velut nocturna solitudine per urbem acta, senatus aedilibus negotium daret, ut urbem circumirent, apeririue tabernas, et maestitiae publicae speciem urbi demi iuberent; tum Ti. Sempronius senatum habuit, consolatusque Patres est, et adhortatus, ‘ne, qui Cannensi ruinae non succubuissent, ad minores calamitates animos summitterent. Quod ad Carthaginienses hostes Hannibalemque attinet, prospera modo essent, sicut speraret futura, Gallicum bellum et omitti tuto et differri posse: ultionemque eam frandis in deorum ac populi Romani potestate fore. De hoste Poeno exercitibusque, per quos id bellum gereretur, consultandum atque agitandum.’ Ipse primum, quid peditum equitumque, quid civium, quid sociorum in exercitu esset dictatoris, disseruit. Tum Marcellus suarum copiarum summam exposuit. Quid in Apulia cum C. Terentio consule esset, a peritis quaesitum est. Nec, unde consulares exercitus satis firmi ad tantum bellum efficerentur, inibatur ratio. Itaque Galliam, quam stimulabat iusta ira, omitti eo anno placuit. Exercitus dictatoris consuli decretus est. De exercitu Marcelli, qui eorum ex fuga Cannensi essent, in Siciliam eos traduci, atque ibi militare, donec in Italia bellum esset, placuit. Eodem ex dictatoris legionibus reiici militem minimi quemque roboris, nullo praestituto militiae tempore, nisi qui stipendiorum legitimorum esset. Duae legiones urbanae alteri consuli, qui in locum L. Postumii suffectus esset, decretae sunt: eumque, quum primum salvis auspiciis posset, creari placuit. Legiones praeterea duas primo quoque tempore ex Sicilia acciri: atque inde consul, cui legiones urbanae evenissent, militum sumeret quantum opus esset. C. Terentio consuli propagari in annum imperium: neque

9 *Poculumque idem sacerdoti esse*] Vocem esse, quod in ms. Harl. desideratur, omittit Bekker.

1 *Quod ad Carthaginienses... attineret*] *Attineret* ex emend. Gronov. reposuit Bekker, ut quam vocem exigere oratio obliqua videretur, sed similem loquendi morem videris supr. ii. 28.

2 *Nisi qui stipendiorum*] Nisi ei,

si quis legitima stipendia, scilicet viginti octo, confecisset.

3 *Atque inde consul... sumeret*] *Consulem... sumere*, ut idem servetur orationis tenor, ex coniect. Gronov. reposuit Bekker.

4 *Propagari in annum imperium*] Ascensius et deinde alii ediderunt *prorogari*, idque, quoniam lege ad

de eo exercitu, quem ad praesidium Apuliae haberet, quicquam minui. U. C. 536.
A. C. 216.

Dum haec in Italia geruntur apparanturque, nihilo segnius in Hispania bellum erat: sed ad eam diem magis prosperum Romanis. P. et Cn. Scipionibus inter se partitis copias, ut Cnaeus terra, Publius navibus rem gereret; Hasdrubal Poenorum imperator, neutri parti virium satis fidens, procul ab hoste, intervallo ac locis tutus, tenebat se: 5 quoad multum ac diu obtestanti quattuor millia peditum et quingenti equites in supplementum missi ex Africa sunt. Tum, resecta tandem spe, castra propius hostem movit: classemque et ipse instrui pararique iubet ad insulas maritimamque oram tutandam. In ipso impetu movendarum de integro rerum percussit eum praefectorum navium transitio: qui, post classem ad Iberum per pavorem desertam graviter increpiti, nunquam deinde satis fidi aut duci, aut Carthaginiensium rebus fuerant. Fecerant hi transfugae 6 motum in Carpesiorum gente, desciverantque iis auctoribus urbes aliquot: una etiam ab ipsis vi capta fuerat. In eam gentem versum ab Romanis bellum est; infestoque exercitu Hasdrubal ingressus agrum hostium, pro captae ante dies paucos urbis moenibus, Galbum, nobilem Carpesiorum ducem, cum valido exercitu castris sese tenentem, aggredi statuit. Praemissa igitur levi armatura, quae eliceret hostes ad certamen, peditum partem ad depopulandum per agros passim dimisit, ut palantes exciperent. Simul et ad castra tumultus erat, et per agros fugaeque et caedes; deinde undique diversis itineribus quum in castra se recepissent, adeo repente decessit animis pavor, ut non ad munimenta modo defendenda satis animorum esset, sed etiam ad lacessendum hostem proelio. Erumpunt igitur agmine e castris, tripudiantes more suo; repentinaque eorum audacia terrorem hosti, paulo ante ultro lacessenti, incussit. Itaque et ipse Hasdrubal in collem satis arduum, tutum flumine etiam obiecto, tum copias subducit, et praemissam levem armaturam equitesque palatos eodem recipit: nec aut colli aut flumini satis fidens, vallo castra permunit. In hoc alterno pavore certamina aliquot sunt contracta: nec Numida Hispano 7 eques par fuit; nec iaculator Maurus caetrato, velocitate

26.
Res gestae
in Hispania.

Hasdrubal
adversus
Carpesios
ducit exercitum.

Carpesii
terrorem
hostibus
iniiciunt.

eam rem opus est, magis proprie dicitur. ERNEST. Enimvero durius videtur *propagari*, et quod de terminis imperii proferendis aptius diceretur.

5 *Quoad multum*] *Quoad* hoc loco est usque eo donec, usque ad id tempus quo. Vulgo editi habent *eui*, sed *quoad* nititur auctoritate optimorum codicum: et sic melius connexa est

oratio.

6 *In Carpesiorum gente*] *Tartessiorum* hic legendum censet Crev., cuius sententiae calculum adiecere plures critici. *Carpesii* autem idem erant qui *Carpetani*. supr. xxi. §. cf. Pol. iii. 14.

7 *Maurus caetrato*] De caetris cf. infr. xxviii. 5.

U. C. 536. pari, robore animi viriumque aliquantum praestanti. Post-
 A. C. 216. quam neque elicere Poenum ad certamen obversati castris
 27. poterant, neque castrorum oppugnatio facilis erat; urbem⁸
 Ascuam, quo, fines hostium ingrediens, Hasdrubal frumen-
 tum commeatusque alios convexerat, vi capiunt, omnique
 circa agro potiuntur. Nec iam, aut in agmine, aut in
 castris, ullo imperio contineri. Quam ubi negligentiam ex
 re, ut fit, bene gesta oriri senserat Hasdrubal, cohortatus
 milites, ut palatos sine signis hostes aggrederentur, degres-
 sus colle, pergit ire acie instructa ad castra. Quem ut
 adesse tumultuose nuntiavere fugientes ex speculis stationi-
 busque, ad arma conclamatum est. Ut quisque arma cepe-
 rat, sine imperio, sine signo, incompositi, inordinati in
 proelium ruunt. Iam primi conseruerant manns, quum
 alii catervatim currerent, alii nondum e castris exissent.
 Tamen primo ipsa audacia terruere hostem. Deinde, rari
 in confertos illati, quum paucitas parum tuta esset, respicere
 alii alios, et undique pulsati coire in orbem; et dum corpori-
 bus applicantur, armaque armis iungunt, in artum compulsi,
 quum vix movendis armis satis spatii esset, corona hostium
 cincti, ad multum diei caeduntur. Exigua pars, eruptione
 facta, silvas ac montes petit: parique terrore et castra
 sunt deserta, et universa gens postero die in deditionem
 venit.

Hasdrubal
 iubetur ducere exer-
 citum in
 Italiam.

Nec diu in pacato mansit. Nam subinde ab Carthagine⁹
 allatum est, ut Hasdrubal primo quoque tempore in Italiam
 exercitum duceret. Quae vulgata res per Hispaniam om-
 nium ferme animos ad Romanos avertit. Itaque Hasdrubal
 extemplo literas Carthaginem mittit, indicans, quanto fama
 profectionis suae damno fuisset. ‘Si vero inde pergeret,
 priusquam Iberum transiret, Romanorum Hispaniam fore.
 ‘Nam, praeterquam quod nec praesidium, nec ducem ha-
 ‘beret, quem relinqueret pro se; eos imperatores esse Ro-
 ‘manos, quibus vix aequis viribus resisti possit. Itaque si
 ‘ulla Hispaniae cura esset, successorem sibi cum valido
 ‘exercitu mitterent: cui, ut omnia prospere evenirent, non
 28. ‘tamen otiosam provinciam fore.’ Hae literae quanquam
 primo admodum moverunt senatum; tamen, quia Italiae
 cura prior potiorque erat, nihil de Hasdrubale, neque de
 copiis eius mutatum est. Himileo cum exercitu iusto et

8 *Urbem Ascuam*] Nusquam alibi memoratam inveneris. *Massiam*, urbem Tartessiorum, coniecit Gronov. qui *Tartessiorum* supra restituendum indicat.

9 *Nec diu in pacato mansit*] *Pacata* legendum suadet Gronov. *In*

pacto coniecit Stroth. atque in textum recepit Bekker.

1 *Cui, ut omnia prospere*] Ante Gronovium editi, *cui si omnia*. Hic vero *ut*, quemadmodum supr. xxii. 25. pro *licet* scribitur.

aucta classe, ad retinendam terra marique ac tuendam His- U. C. 536.
A. C. 216.
Himilco
mittitur in
Hispaniam.
paniam, est missus: qui, ut pedestres navalesque copias
traiecit, castris communitis, navibusque subductis et vallo
circumdatis, cum equitibus delectis ipse, quantum maxime
² accelerare poterat, per dubios infestosque populos iuxta in-
tentus ad Hasdrubalem pervenit. Quum decreta senatus
mandataque exposuisset, atque edidicisset ipse in vicem,
quemadmodum tractandum bellum in Hispania foret, retro
³ in sua castra rediit; nulla re, quam celeritate, tutior, quod
undique abierat, antequam consentirent. Hasdrubal, pri- Hasdrubal
in Italiam
ire parat.
usquam moveret castra, pecunias imperat populis omnibus
suae ditionis, satis gnarus, Hannibalem transitus quosdam
pretio mercatum: nec auxilia Gallica aliter, quam conducta,
habuisse; inopem, tantum iter ingressum, vix penetraturum
ad Alpes fuisse. Pecuniis igitur raptim exactis, ad Iberum
descendit.

Decreta Carthaginiensium et Hasdrubalis iter ubi ad Scipiones
ei obviam
eunt.
Romanos sunt perlata, omnibus, omissis rebus, ambo duces,
iunctis copiis, ire obviam coeptis atque obsistere parant;
rati si Hannibali, vix per se ipsi tolerando Italiae hosti,
Hasdrubal dux atque Hispaniensis exercitus esset iunctus,
illum Romani finem imperii fore. His anxii curis ad Ibe-
rum contrahunt copias; et, transito amne, quum diu con-
sultassent, utrum castra castris conferrent, an satis haberent,
sociis Carthaginiensium oppugnandis, morari ab itinere
proposito hostem, urbem a propinquo flumine Iberam ap-
pellatam, opulentissimam ea tempestate regionis eius, oppu-
gnare parant. Quod ubi sensit Hasdrubal, pro ope ferenda
sociis, pergit ipse ire ad urbem, deditam nuper in fidem
Romanorum, oppugnandam. Ita iam coepta obsidio omissa
ab Romanis est, et in ipsum Hasdrubalem versum bellum.
Quinque milliun intervallo castra distantia habuere paucos 29.
dies: nec sine levibus proeliis, nec ut in aciem exirent.
Tandem uno eodemque die velut ex composito utrinque Pugna in-
ter Scipio-
nes et Has-
drubalem.
signum pugnae propositum est, atque omnibus copiis in
⁴ campum descensum. Triplex stetit Romana acies. Veli-
⁵ tum pars inter antesignanos locata, pars post signa accepta,

² *Per dubios infestosque populos iuxta intentus*] sc. Per dubios pariter ac per infestos populos intentus, cf. supr. ix. 13. "iuxta obsidentes obsesosque inopia vexavit."

³ *Quod undique abierat*] Quod antequam communi consilio arma in eum moverent, iam finibus exierat.

⁴ *Triplex stetit Romana acies*] Romana acies in tria de more corpora divisa est, *hastatos*, *principes*, *tria-*

rios. Levis armaturae milites partim locati sunt inter *antesignanos*, quo nomine designantur *hastati*, atque etiam fortasse *principes*: partim in ultimam aciem, ac pone *triarios* reiecti, cf. supr. ii. 20. viii. 8. 11. CREV.

⁵ *Velitum pars*] Velites autem in legionibus adhuc non erant, cf. infr. xxvi. 4. Intelligas hoc loco veteres levis armaturae milites.

U. C. 536. equites cornua cinxere. Hasdrubal mediam aciem Hispanis
 A. C. 216. firmat: in cornibus, dextro Poenos locat, laevo Afros mer-
 cenariorumque auxilia: equitum Numidas Poenorum pedi-
 tibus, ceteros Afris pro cornibus apponit. Nec omnes
 Numidae in dextro locati cornu, sed quibus, desultorum in
 modum, binos trahentibus equos inter acerrimam saepe
 pugnam in recentem equum ex fesso armatis transsultare
 mos erat: tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum
 genus est. Quum hoc modo instructi starent, imperatorum
 utriusque partis haud ferme dispares spes erant. Nam ne
 multum quidem, aut numero, aut genere militum, hi aut illi
 praestabant. Militibus longe dispar animus erat. Romanis
 enim, quanquam procul a patria pugnarent, facile persuase-
 rant duces, pro Italia atque urbe Romana eos pugnare.
 Itaque, velut quibus reditus in patriam eo discrimine pugnae
 verteretur, obstinaverant animis, vincere aut mori. Minus
 pertinaces viros habebat altera acies. Nam maxima pars
 Hispani erant: qui vinci in Hispania, quam victores in
 Italiam trahi, malebant. Primo igitur concursu, quum vix
 pila coniecta essent, retulit pedem media acies, inferenti-
 busque sese magno impetu Romanis terga vertit. Nihilo
 segnius in cornibus proelium fuit. Hinc Poenus, hinc
 Afer urget; et velut in circumventos proelio ancipiti pu-
 gnant. Sed quum in medium tota iam coisset Romana
 acies, satis virium ad dimovenda hostium cornua habuit.
 Itaque duo diversa proelia erant: utroque Romani, ut qui, 6
 pulsus tandem mediis, et numero et robore virorum praesta-
 rent, haud dubie superarunt. Magna vis hominum ibi oc-
 cisa: et, nisi Hispani vixdum conserto proelio tam effuse
 fugissent, perpauci ex tota superfuissent acie. Equestris
 pugna nulla admodum fuit; quia, simul inclinatham mediam
 aciem Mauri Numidaeque viderunt, extemplo fuga effusa
 nuda cornua, elephantis quoque prae se actis, deseruere.
 Et Hasdrubal, usque ad ultimum eventum pugnae moratus,
 e media caede cum paucis effugit. Castra Romani cepere
 atque diripere. Ea pugna, si qua dubia in Hispania erant, 7
 Romanis adiunxit: Hasdrubalique non modo in Italiam
 traducendi exercitus, sed ne manendi quidem satis tuto in
 Hispania, spem reliquit. Quae postquam literis Scipionum 8
 Romae vulgata sunt, non tam victoria, quam prohibito
 Hasdrubalis in Italiam transitu, laetabantur.

30 Dum haec in Hispania geruntur, Petelia in Bruttiiis,
 aliquot post mensibus, quam coepta oppugnari erat, ab

6 *Ut qui, pulsus tandem mediis*] qui populi adhuc incerti essent, in
Pulsus iam ante mediis ex coniect. quorum partes se adderent.

Gronov. recepit Bekker.

8 *Spem reliquit*] *Reliquerat* Bek-
 ker, reposuit.

7 *Si qua dubia in Hispania*] Si

Vincunt
 Romani

Himilcone, praefecto Hannibalis, expugnata est. Multo sanguine ac vulneribus ea Poenis victoria stetit: nec ulla magis vis obsessos, quam fames, expugnavit. Absumptis enim frugum alimentis, carnisque omnis generis quadrupedum, sutrinae postremo coriis, herbisque et radicibus, et corticibus teneris, strictisque rubis vivere; nec, antequam vires ad standum in muris ferendaque arma deerant, expugnati sunt. Recepta Petelia, Poenus ad Consentiam copias traducit: quam, minus pertinaciter defensam, intra paucos dies in deditionem accepit. Iisdem ferme diebus et Bruttiorum exercitus Crotonem, Graecam urbem, circumscdit, opulentam quondam armis virisque, tum iam adeo multis magnisque cladibus afflictam, ut omnis aetatis minus viginti millia civium superessent. Itaque urbe a defensoribus vasta facile potiti sunt hostes: arx tantum retenta, in quam inter tumultum captae urbis e media caede quidam effugere. Et Locrenses descivere ad Bruttios Poenosque, prodita multitudine a principibus. Rhegini tantummodo regionis eius, et in fide erga Romanos, et potestatis suae ad ultimum manserunt. In Siciliam quoque eadem inclinatio animorum pervenit: et ne domus quidem Hieronis tota ab defectione abstinuit. Namque Gelo maximus stirpis, contempta simul senectute patris, simul post Cannensem cladem Romana societate, ad Poenos defecit: movissetque in Sicilia res, nisi mors adeo opportuna, ut patrem quoque suspicione aspergeret, armantem eum multitudinem, sollicitantemque socios absumpsisset. Haec eo anno in Italia, in Africa, in Sicilia, in Hispania vario eventu acta.

Exitu anni Q. Fabius Maximus a senatu postulavit, ut aedem Veneris Erycinae, quam dictator vovisset, dedicare liceret. Senatus decrevit, ut Ti. Sempronius consul designatus, quum primum honorem inisset, ad populum ferret, ut Q. Fabium duumvirum esse iuberent aedis dedicandae causa. Et M. Aemilio Lepido, qui bis consul augurque fuerat, filii tres, Lucius, Marcus, Quintus, ludos funebres per triduum, et gladiatorum paria duo et viginti per triduum in foro dederunt. Aediles curules C. Laetorius, et Ti.

9 *Sutrinae postremo coriis*] *Scutorum* coniecit Valla. cf. supr. 19. Ceterum *sutrinae*, h. e. sutorum officinae, sensus optime huic loco conveniret.

1 *Strictisque rubis*] Eos vixisse corticibus, quos ex rubis strinxerant, indicari putat Drakenb. et ita corticibus teneris modo memoratis opponi cortices ruborum, quos duos vulgo vocari, docuit Burmann. ad Ovid. Met. i. 105.

2 *Urbe a defensoribus vasta*] Sic Sall. Iug. 48. "Mons et ab natura et ab humano cultu vastus."

3 *Quam dictator vovisset*] cf. Supr. xxii. 10.

4 *Et gladiatorum paria*] Gladiatores in honorem patris sui defuncti primum Romae edidisse D. Iunium Brutum U. C. 490. in Epit. supr. xvi. legimus. cf. Val. Max. ii. 4. 7.

U. C. 536.
A. C. 216.
Petelia in
Bruttii ab
Himilcone
capta.

Croto ca-
pita a
Bruttiiis.

Gelo filius
Hieronis
defecit ad
Poenos.

Moritur.

M. Aemilii
ludi fune-
bres

U. C. 536. Sempronius Gracchus, consul designatus, qui in aedilitate
A. C. 216. magister equitum fuerat, ludos Romanos fecerunt, qui per
triduum instaurati sunt. Plebei ludi aedilium M. Aurelii
Cottae et M. Claudii Marcelli ter instaurati.

U. C. 537. Circumacto tertio anno Punici belli, Ti. Sempronius
A. C. 215. consul Idibus Martiis magistratum iniit. Praetores Q.
Ti. Sempronio Cos. Fulvius Flaccus, qui ante bis consul censorque fuerat, urba-
nam, M. Valerius Laevinus peregrinam sortem in iurisdic-
tione habuit. Ap. Claudius Pulcher Siciliam, Q. Mucius
Scaevola Sardiniam sortiti sunt. M. Marcello pro consule
imperium esse populus iussit, quod post Cannensem cladem
unus Romanorum imperatorum in Italia prospere rem ges-
sisset. Senatus, quo die primum est in Capitolio consultus,
31. decrevit, ut, quo eo anno duplex tributum imperaretur, 6

Duplex tri-
butum im-
peratum.

Decreta de
exercitibus. omnis fuissent. De exercitibus ita decreverunt, ut duabus
legionibus urbanis Ti. Sempronius consul Cales ad conveni-
endum diem ediceret: inde eae legiones in castra Claudiana 7
supra Suessulam deducerentur: quae ibi legiones essent, 8
(erant autem Cannensis maxime exercitus) eas Ap. Claudius
Pulcher praetor in Siciliam traiceret; quaeque in Sicilia
essent, Romam deportarentur. Ad exercitum, cui ad con-
veniendum Cales edicta dies erat, M. Claudius Marcellus
missus; isque iussus in castra Claudiana deducere urbanas
legiones. Ad veterem exercitum accipiendum deducen-
dumque inde in Siciliam, T. Metilius Croto legatus ab Ap.
Claudio est missus. Taciti primo exspectaverant homines,
uti consul comitia collegae creando haberet. Deinde, ubi
ablegatum, velut de industria, M. Marcellum viderunt,
quem maxime consulem in eum annum ob egregie in prae-
tura res gestas creari volebant, fremitus in curia est ortus.
Quod ubi sensit consul, 'Utrumque,' inquit, 'e republica
' fuit, Patres conscripti, et M. Claudium ad permutandos
' exercitus in Campaniam proficisci, et comitia non prius
' edici, quam is inde, confecto, quod mandatum est, negotio,
' revertisset; ut vos consulem, quem tempus reipublicae
' postularet, quem maxime vultis, haberetis.' Ita de comitiis,
donec rediit Marcellus, silentium fuit. Interea duumviri

5 *Qui ante bis consul*] Ita pro
vulg. *ante consul* emendavit Perizon.

6 *Ut, quo eo anno*] Nostram
lectionem Gronov. et Drakenb. ex opti-
mis codd. receperant, eamque sic in-
telligo: senatus simplex tributum
confestim exigi decrevit, hoc consilio,
ut duplex eo anno imperari atque
commodius conferri posset, SIEROTH.

7 *Inde eae legiones*] Ita Perizon.
pro vulg. *inde sex legiones*, unde enim
sex legiones, quot nemo unus, sive
consul, sive dictator, toto hoc bello
habuit, contrahi possent, non liquet.

8 *Castra Claudiana*] Castra Clau-
diana a M. Claudio praetore dicta
sunt, qui cum exercitu ibi consedit,
supr. 17. DRAK.

creati sunt Q. Fabius Maximus et T. Otacilius Crassus, U. C. 537.
 aedibus dedicandis, Menti Otacilius, Fabius Veneri Ery- A. C. 215.
 ciniae. Utraque in Capitolio est, canali uno discretæ. Et
 2 de trecentis equitibus Campanis, qui, in Sicilia cum fide
 stipendiis emeritis, Romam venerant, dein latum ad
 1 populum, ut cives Romani essent: item, uti municipes
 3 Campani essent, pridie quam populus Campanus a populo
 Romano defecisset. Maxime, ut hoc ferretur, moverat,
 4 quod, quorum hominum essent, scire se ipsi negabant;
 vetere patria relicta, in eam, in quam redierant, nondum
 asciti. Postquam Marcellus ab exercitu rediit, comitia uni
 consuli rogando in locum L. Postumii edicuntur. Creatur
 ingenti consensu Marcellus, qui extemplo magistratum
 occiperet. Cui ineunti consulatum quum tenuisset, vocati Marcellus
 augures vitio creatum videri pronuntiaverunt; vulgoque in locum
 Patres ita fama ferebant, quod tum primum duo plebei con- Postumii
 sules facti essent, id deis cordi non esse. In locum Marcelli, Cos. crea-
 ubi is se magistratu abdicavit, suffectus Fabius Maximus tur.
 tertium. Mare arsit eo anno: ad Sinuessam bos equuleum Se abdicat.
 5 peperit: signa Lanuvii ad Iunonis Sospitæ cruore mana- Ei suffici-
 vere, lapidibusque circa id templum pluit. Ob quem tur Fabius
 imbrem novendiale, ut assolet, sacrum fuit: ceteraque pro- Maximus
 digia cum cura expiata. III. Cos.
 Prodigia.

Consules exercitus inter sese diviserunt. Fabio exercitus, 32.
 6 cui M. Iunius dictator præfuerat, evenit; Sempronio
 7 volones, qui fierent, et sociorum viginti quinque millia; M.
 Valerio prætori legiones, quæ ex Sicilia redissent, decretæ;
 M. Claudius proconsul ad eum exercitum, qui supra Sues-

9 *Equitibus Campanis*] cf. Supr. STROTH.

4. 1 *Ut cives Romani essent*] Sed 4 *Quod, quorum hominum essent*
 iam supr. viii. 11. civitatem equiti- Cuius populi cives se profiterentur.

bus Romanis datam legimus: unde 5 *Signa Lanuvii . . . cruore ma-*
 collegeris cives Romanos nunc optimo *navere*] cf. Supr. xxii. 1. ubi hoc
 iure eos factos fuisse, ut qui antea qui- genus prodigii fusius narratur.

dem municipes tantum Campani, et 6 *M. Iunius dictator*] cf. Supr. iv.
 in *legione Campana* stipendia mere- 40.

rent. cf. Niebhr. ii. n. 105. 113. 7 *Volones, qui fierent*] *Volones*
 2 *Ut municipes Campani essent*] *dicti sunt milites.* inquit Festus, *qui*
 Hi quidem ea conditione cives *post Cannensem eludem usque ad octo*
 Romani erant, "ut particeps essent om- *millia, quum essent servi, voluntarie*
 nium rerum ad munus fungendum *se ad militiam obtulerunt.* Rem nar-
 una cum Romanis civibus, præter- ravit Livius supr. xxii. 57. Hi igitur
 quam de suffragio ferendo aut magi- volones eximuntur de exercitu cui
 stratu capiendo." cf. Festus v. *Muni-*
ceps.

3 *Pridie quam populus Campanus*] *Sempronio.* Ceterum Crevier. *volon-*
 Inde ab eo die, qui esset ante diem *um quod fuerat* legendum censet, ne
 defectionis populi Campani, ne tum duplices esse volones, alios a Iunio,
 hi equites Campani fuisset, atque una alios a Græcho scriptos, ex hoc loco
 cum popularibus defecisse viderentur. Livium volonum, nisi qui in Græchi
 exercitu erant, mentio fiat.

U. C. 537. sulam Nolae praesideret, missus. Praetores in Siciliam ac
 A. C. 215. Sardiniam profecti. Consules edixerunt, quoties in senatum
 vocassent, uti senatores, quibusque in senatu dicere senten- 8
 tiam liceret, ad portam Capenam convenirent. Praetores,
 quorum iurisdictio erat, tribunalia ad Piscinam publicam 9
 posuerunt. Eo vadimonia fieri iusserunt: ibique eo anno 1
 ius dictum est.

Vocantur
 Poeni in
 Sardiniam
 ab Ham-
 psicora.

Interim Carthaginem, unde Mago frater Hannibalis duo-
 decim millia peditum et mille quingentos equites, viginti ele-
 phantos, mille argenti talenta in Italiam transmissurus erat, 2
 cum praesidio sexaginta navium longarum, nuntius affertur,
 in Hispania rem male gestam, omnesque ferme eius provinciae
 populos ad Romanos defecisse. Erant, qui Magonem cum
 classe ea copiisque, ommissa Italia, in Hispaniam averterent;
 quum Sardiniae recipiendae repentina spes affulsit. 'Parvum
 'ibi exercitum Romanum esse: veterem praetorem inde A.
 'Cornelium provinciae peritum decedere, novum exspectari.
 'Ad hoc, fessos iam animos Sardorum esse diuturnitate
 'imperii: et proximo iis annó acerbe atque avare imperatum.
 'Gravi tributo et collatione iniqua frumenti pressos. Nihil
 'deesse aliud, quam auctorem, ad quem deficerent.' Haec
 clandestina legatio per principes missa erat; maxime eam
 rem moliente Hampsicora, qui tum auctoritate atque opibus
 longe primus erat. His nuntiis prope uno tempore tur-
 bati erectique Magonem cum classe sua copiisque in
 Hispaniam mittunt. In Sardiniam Hasdrubalem deligunt
 ducem: et tantum ferme copiarum, quantum Magoni, de-
 cernunt.

Et Romae consules, transactis rebus, quae in urbe agen-
 dae erant, movebant iam sese ad bellum. Ti. Sempronius
 militibus Sinuessam diem ad conveniendum edixit; et Q. 3
 Fabius, consulto prius senatu, ut frumenta omnes ex agris,
 ante Kalendas Iunias primas, in urbes munitas convehrent. 4

8 *Quibusque in senatu dicere sententiam liceret*] "Qui post lustrum conditum ex junioribus magistratum cepere, in senatu sententiam dicunt, non tamen senatores vocantur ante, quam in senioribus sunt censi." Festus. cf. A. Gell. iii. 18. "Imo peditarii dicti, qui, nondum a censoribus in senatum lecti, senatores quidem non erant, sed, quia honoribus populi usi erant, in senatum veniebant, et sententiae ius habebant."

9 *Piscinam publicam*] "Piscinae publicae hodie nomen manet, ipsa non manet, ad quam et natatum, et exercitationis alioqui causa veniebat populus." Festus.

1 *Eo vadimonia fieri*] h. e. Lites, i

causas privatas agi iusserunt. cf. Iuvenal. iii. 298.

2 *Mille argenti talenta*] cf. Snpr. 13, ubi pro vulg. *multa talenta*, quod in plerisque edd. extat, *mille quingenta* ex Mureti sententia, aut *mille quinquaginta* legendum videtur. Utrius vero loci lectio ex altero emendanda sit, parum liquet.

3 *Militibus Sinuessam*] Volonibus, et sociorum decem millibus, quae illi sorte evenerant, quippe duae legiones urbanae Cales convenerant. SIGON.

4 *Ante Kalendas Iunias primas*] Inscriptiones plures apud Gruter. in quibus *Kalendas primas* legimus, citat Drakenb.

‘ Qui non invexisset, eius se agrum populaturum, servos sub
 ‘ hasta venditurum, villas incensurum.’ Ne praetoribus
 quidem, qui ad ius dicendum creati erant, vacatio ab belli
 administratione data est. Valerium praetorem in Apuliam
 ire placuit, ad exercitum a Terentio accipiendum: quum
 ex Sicilia legiones venissent, iis potissimum uti ad regionis
 5 eius praesidium: Terentianum mitti cum aliquo legatorum.
 6 Et viginti quinque naves P. Valerio datae sunt, quibus oram
 maritimam inter Brundisium ac Tarentum tutari posset.
 Par navium numerus Q. Fulvio praetori urbano decretus ad
 suburbana litora tutanda. C. Terentio proconsuli negotium
 datum, ut in Piceno agro conquisitionem militum haberet,
 locisque iis praesidio esset. Et T. Otacilius Crassus, post-
 quam aedem Mentis in Capitolio dedicavit, in Siciliam cum
 imperio, qui classi praecesset, missus.

In hanc dimicationem duorum opulentissimorum in terris
 populorum omnes reges gentesque animos intenderant:
 7 inter quos Philippus Macedonum rex, eo magis, quo propior
 Italiae, ac mari tantum Ionio discretus erat. Is ubi
 primum fama accepit, Hannibalem Alpes transgressum, ut
 bello inter Romanos Poenumque orto laetatus erat, ita,
 8 utrius populi mallet victoriam esse, incertis adhuc viribus,
 fluctuatus animo fuerat. Postquam tertia iam pugna, tertia
 victoria cum Poenis erat, ad fortunam inclinavit, legatosque
 ad Hannibalem misit: qui, vitantes portus Brundisinum
 Tarentinumque, quia custodiis navium Romanarum tene-
 bantur, ad Lacinae Iunonis templum in terram egressi sunt.
 Inde per Apuliam petentes Capuam, media in praesidia Ro-
 mana illati sunt: deductique ad M. Valerium Laevinum
 9 praetorem, circa Luceriam castra habentem. Ibi intrepide
 Xenophanes legationis princeps, a Philippo rege se missum,
 ait, ad amicitiam societatemque iungendam cum populo Ro-
 mano, mandata habere ad consules ac senatum populumque
 Romanum. Praetor, inter defectiones veterum sociorum nova
 societate tam clari regis laetus admodum, hostes pro hospiti-
 bus comiter accepit: dat, qui prosequantur, itinera cum
 cura demonstrent, quae loca, quosque saltus, aut Romanus,
 aut hostes teneant. Xenophanes per praesidia Romana in

Philippus
 rex Maced.
 legatos
 mittit ad
 Hanniba-
 lem.

5 *Terentianum mitti*] Exercitum
 Terentii in Siciliam mitti intelligit
 Sigon. id autem cum narratione Livii
 pugnare ostendisse sibi videtur Du-
 ker. qui *Tarentum mitti* legendum
 suadet.

6 *P. Valerio datae sunt*] Ita emen-
 dat. Crev. sed *M. Valerio* apud edd.
 plures inveneris.

7 *Eo magis, quo propior*] Ita Crev.
 et Stroth. sed *quod propior* Drakenb.
 et Bekker. retinent.

8 *Incetis adhuc viribus*] Quum
 nondum constaret, uter populus viri-
 bus praestaret.

9 *Circa Luceriam*] Ita pro vulg
Nuceriam Sigonius emendavit.

U. C. 537. Campaniam, inde, qua proximum fuit, in castra Hannibalis
 A. C. 215. pervenit, foedusque cum eo atque amicitiam iunxit legibus
 Foedus inter Philip- his: ‘ut Philippus rex quam maxima classe (ducentas autem
 pum et Hamiba- ‘naves videbatur effecturus) in Italiam traiceret, et vastaret
 lem. ‘maritimam oram: bellum pro parte sua terra marique
 ‘gereret. Ubi debellatum esset, Italia omnis cum ipsa urbe
 ‘Roma Carthaginensium atque Hannibalis esset, praeda-
 ‘que omnis Hannibali cederet. Perdomita Italia, naviga-
 ‘rent in Graeciam, bellumque, cum quibus regibus pla-
 ‘ceret, gererent. Quae civitates continentis, quae in-
 ‘sulae ad Macedoniam vergunt, eae Philippi regnique eius
 essent.’

34. In has ferme leges inter Poenum ducem legatosque
 Legati Poenorum ad Philip- Macedonum ictum foedus, missique cum iis ad regis ipsius 2
 pum. firmandam fidem legati, Gisgo, et Bostar, et Mago, eodem
 ad lunonis Laciniae, ubi navis occulta in statione erat, per-
 veniunt: inde profecti, quum iam altum tenerent, conspecti
 a classe Romana sunt, quae praesidio erat Calabriae litori-
 bus. P. Valerius Flaccus cercuros ad persequendam retra- 3
 hendamque navem quum misisset, primo fugere regii conati:
 deinde, ubi celeritate vinci senserunt, tradunt se Romanis,
 et ad praefectum classis adducti: quum quaereret, ‘qui, et
 ‘unde, et quo tenderent cursum?’ Xenophanes primo, satis
 iam semel felix, mendacium struere, ‘a Philippo se ad Ro-
 ‘manos missum, ad M. Valerium, ad quem unum iter tutum
 ‘fuerit, pervenisse. Campaniam superare nequisse, saeptam
 ‘hostium praesidiis.’ Deinde, ut Punicus cultus habitusque
 suspectos legatos fecit Hannibalis, interrogatosque sermo
 prodidit: tum, comitibus eorum seductis ac metu territis,
 literae quoque ab Hannibale ad Philipppum inventae, et
 pacta inter regem Macedonum Poenumque ducem. Qui-
 bus satis cognitis, optimum visum est, captivos comitesque
 eorum Roman ad senatum, aut ad consules, ubicunque
 essent, quam primum deportare. Ad id celerrimae quin-
 que naves delectae, ac L. Valerius Antias, qui praecisset, 4
 missus: eique mandatum, ut in omnes naves legatos sepa-

1 *Cum quibus regibus placeret*] *Cum quibus regi*, sc. Philippo, *place-
ret*, ex coniect. Gronov. in textum re-
posuit Bekker.

2 *Ad regis ipsius firmandam fidem*] Ad firmandam societatem fide, seu,
iuramento ipsius regis. Eodem fere
modo infr. xxxii. 40. *firmato praesi-
dio*, id est, quum firmasset urbem
praesidio. CREV.

3 *Cercuros*] Cercurus erat genus

navigii velocis et brevis cum longa
puppi. Nomen ei videtur inditum a
Coreyra insula, quae Graecis *Κερκύρα*,
ubi fortasse illa navigii forma inventa
est. Vid. Martinii Lexic. CREV. cf.
Suidas et Nonius Marcellus.

4 *L. Valerius Antias*] Non con-
fundendus cum annalium scriptore
longe iuniore, qui Sullanis tempori-
bus vixit. cf. supr. iii. 5.

ratim custodiendos divideret, daretque operam, ne quod U. C. 537.
iis colloquium inter se, neve quae communicatio consilii A. C. 215.
esset.

Per idem tempus Romae quum A. Cornelius Mammula, Sardiniae status.
ex Sardinia provincia decedens, retulisset, qui status rerum
in insula esset, bellum ac defectionem omnes spectare; Q.
Mucium, qui successisset sibi, gravitate coeli aquarumque
advenientem exceptum, non tam in periculosum, quam
longum, morbum implicitum, diu ad belli vim sustinendam
inutilem fore, exercitumque ibi ut satis firmum pacatae pro-
vinciae praesidio esse, ita parum bello, quod motum iri
videretur: decreverunt Patres, ut Q. Fulvius Flaccus quin-
que millia peditum, quadringentos equites scriberet, eamque
legionem primo quoque tempore in Sardiniam traiciendam
curaret, mitteretque cum imperio, quem ipsi videretur, qui
rem gereret, quoad Mucius convalesceret. Ad eam rem missus
est T. Manlius Torquatus, qui bis consul censorque fuerat,
subegeratque in consulatu Sardos. Sub idem fere tempus
et a Carthagine in Sardiniam classis missa, duce Hasdrubale,
5 cui Calvo cognomen erat, foeda tempestate vexata, ad Bali-
ares insulas deliicitur: ibique (adeo non armamenta modo,
sed etiam alvei navium quassati erant) subductae naves dum
reficiuntur, aliquantum temporis triverunt.

In Italia quum post Cannensem pugnam, fractis partis 35.
alterius viribus, alterius mollitis animis, segnins bellum
esset: Campani per se adorti sunt rem Cumanam suae
ditionis facere; primo sollicitantes, ut ab Romanis defice-
rent. Ubi id parum processit, dolum ad capiendos eos
comparant. Campanis omnibus statum sacrificium ad Campano-
rum molitiones in
Cumano.
Hamas. Eo senatum Campanum venturum certiores Cu-
manos fecerunt: petieruntque, ut et Cumani eo senatus
veniret ad consultandum communiter, ut eosdem uterque
populus socios hostesque haberet: praesidium ibi armatum
sese habituros, ne quid ab Romano Poenove periculi esset.
Cumani (quanquam suspecta fraus erat) nihil abnuere; ita
6 tegi fallax consilium posse rati. Interim Ti. Sempronius
consul Romanus Sinuessae, quo ad conveniendum diem
edixerat, exercitu lustrato, transgressus Vulturnum flumen,
circa Liternum castra posuit. Ibi, quia otiosa stativa erant,
7 crebro decurrere milites cogebat, ut tirones (ea maxima

5 *Ad Baliares insulas deliicitur]* Delicti dicuntur ii qui vi tempestatis
vertuntur a cursu, aut ad terram in-
viti impelluntur, summa tamen re
salva. Sic supr. xxi. 49. *eam quoque
classem ad Aegates insulas deliectam.*
CREV.

6 *Fallax consilium]* Fraudem quam

et ipsi meditabantur adversus frau-
dulentos. CREV.

7 *Crebro decurrere]* Verbum *de-
currere* militare exercitium significat,
de quo sollemniter adhiberi solet. Si-
mulacrum erat incursus in hostes,
infr. xxix. 22. xxxv. 35. SIROTH.

U. C. 537. pars volonum erat) assuescerent signa sequi, et in acie ag-
 A. C. 215. noscere ordines suos. Inter quae concordiae maxima inerat ⁸
 cura duci, itaque legatis tribunisque praeceperat, ‘ne qua
 ‘exprobratio cuiquam veteris fortunae discordiam inter or-
 ‘dines sereret: vetus miles tironi, liber voloni sese exae-
 ‘quari sineret: omnes satis honestos generososque ducerent,
 ‘quibus arma sua signaque populus Romanus commisisset:
 ‘quae fortuna coegisset ita fieri, eandem cogere tueri factum.’
 Ea non maiore cura praecepta ab ducibus sunt, quam a
 militibus observata; brevique tanta concordia coaluerant
 omnium animi, ut prope in oblivionem veniret, qua ex con-
 ditione quisque esset miles factus. Haec agenti Graccho
 legati Cumani nuntiarunt, quae a Campanis legatio paucos
 ante dies venisset, et quid iis ipsi respondissent. Triduum
 post eum diem festum esse: non senatum solum omnem
 ibi futurum, sed castra etiam et exercitum Campanum.
 Gracchus, iussis Cumanis omnia ex agris in urbem conve-
 here, et manere intra muros, ipse pridie, quam statum sa-
 crificium Campanis esset, Cumas movet castra. Hamae
 inde tria millia passuum absunt. Iam Campani eo fre-
 quentes ex composito convenerant, nec procul inde in
 occulto Marius Alfius Medixtuticus (summus magistratus ⁹
 erat Campanis) cum quattuordecim millibus armatorum
 habebat castra; sacrificio apparando, et inter id instruendae
 fraudi aliquanto intentior, quam muniendis castris, aut ulli
 militari operi. Triduum sacrificatum ad Harnas. No- ¹
 cturnum erat sacrum, ita ut ante mediam noctem complere-
 tur. Huic Gracchus insidiandum tempori ratus, custodibus ²
 ad portas positis, ne quis enuntiare posset coepta, et ad de-
 cimum diei horam coactis militibus corpora curare, somno-
 que operam dare, ut primis tenebris convenire ad signum
 possent, vigilia ferme prima tolli iussit signa; silentique

8 *Inter quae concordiae maxima inerat cura duci*] Vocem *concordiae* omiserunt Drakenb. Crev. et Bekker. Gronovium secuti, qui *itaque* non particulam hic causalem esse, sed potius pro *et* ita positam animadvertit. Verum Douiatius *concordiae*, quod et scripti non pauci atque editi habent, retinendum censet, “alioqui enim suspensam quodammodo futuram orationem, nec appariturum, cuius rei maxima Sempronio cura esset.”

9 *Medixtuticus*] *Medix tuticus*, Niebhr. iii. n. 494. *medix tuticus*, Bekker. Nomen Oscum, seu Campanum magistratus, quod occurrit infr. xxiv. 19. xxvi. 16. Et Festus apud Paulum: “Medix apud Oscos nomen magistratus est.” Ennius: “Sum-

mus ibi capitur Medix, occiditur alter.” Ex quibus verbis conficitur, *Medix* commune nomen fuisse, respondens Latino *magistratus*; Oscum nomen *tuticus* exprimere Latinum *summus*: ut adeo *Medixtuticus* non aliquod proprium magistratus nomen sit, quale e. g. Romanis dictator, consul etc., sed Osca lingua nihil aliud denotet, quam commune Latinorum nomen *summus magistratus*. STROTH.

1 *Sacrificatum ad Harnas*] Drakenb. cum Perizonio legendum censet *sacrificandum*; Crevier. *sacrificatur*. Sensus fortasse, *sacrificari solitum est*, ut Raschig. placet.

2 *Insidiandum tempori*] Similiter Cic. in Cat. i. 10. “insidiantem somno maritorum.”

profectus agmine, quum ad Hamas media nocte pervenisset, U. C. 537. A. C. 215.
 castra Campana, ut in pervigilio neglecta, simul omnibus Castra Campana invadit Gracchus.
 portis invadit: alios somno stratos, alios perpetrato sacro
 inermes redeuntes obtruncat. Hominum eo tumultu no-
 cturno caesa plus duo millia, cum ipso duce Mario Alfio:
 capta sunt signa militaria quattuor et triginta.

Gracchus, minus centum militum iactura castris hostium 36.
 potitus, Cumas se propere recepit, ab Hannibale metuens,
 qui super Capuam in Tifatis habebat castra. Nec cum
 provida futuri fefellit opinio. Nam simul Capuam ea
 clades est nuntiata, ratus Hannibal, ab re bene gesta inso-
 lenter laetum exercitum tironum magna ex parte servorum-
 que, spoliante victos, praedasque agentem, ad Hamas se
 inventurum; citatum agmen praeter Capuam rapit, obvios-
 que ex fuga Campanorum, dato praesidio, Capuam duci,
 saucios vehiculis portari iubet. Ipse Hamis vacua ab hos-
 tibus castra, nec quicquam praeter recentis vestigia caedis,
 strataque passim corpora sociorum invenit. Auctores erant
 quidam, ut protinus inde Cumas duceret, urbemque op-
 pugnaret. Id quanquam haud modice Hannibal cupiebat,
 ut, quia Neapolim non potuerat, Cumas saltem, maritimam
 urbem, haberet; tamen, quia praeter arma nihil secum
 miles, raptim acto agmine, extulerat, retro in castra supra
 Tifata se recepit. Inde, fatigatus Campanorum precibus,
 sequenti die cum omni apparatu oppugnandae urbis Cumas
 redit: perpopulatoque agro Cumano, mille passus ab urbe
 castra locat; quum Gracchus magis verecundia in tali Defendit Cumas Gracchus.
 necessitate deserendi socios, implorantes fidem suam popu-
 lique Romani, substitisset, quam satis fidens exercitui.
 Nec alter consul Fabius, qui ad Cales castra habebat, Vul-
 turnum flumen traducere audebat exercitum; occupatus
 primo auspiciis repetendis, dein prodigiis, quae alia super
 3 alia nuntiabantur, expiantique ea haud facile litari haru-
 spices respondebant.

Hae causae quum Fabium tenerent, Sempronius in ob- 37.
 sidione erat; et iam operibus oppugnabatur. Adversus
 ligneam ingentem admotam urbi, aliam turrem ex ipso muro
 excitavit consul Romanus, aliquanto altiore: quia muro
 satis per se alto subiectis validis sublicis pro solo usus erat.
 Inde primum saxis sudibusque et ceteris missilibus propu-
 4 gnatores moenia atque urbem tuebantur: postremo, ubi
 promovendo adiunctam muro viderunt turrem, facibus ar-

3 *Haud facile litari*] sc. Haud laeta
 exta reperiri, quippe *litare* est pacem
 deum hostis caesis impetrare. cf.
 infr. xxvii. 23.

locum iis annumerare licet, in quibus
 gerundum passivam vim habet. cf.
 Cic. Somn. Scip. 8. "hoc principium
 movendi." RASCH.

4 *Ubi promovendo*] Hunc quoque
 VOL. II.

U. C. 537. dentibus plurimum simul ignem coniecerunt. Quo incendio
A. C. 215. trepida armatorum multitudo quum de turre sese praecipitaret, eruptio ex oppido simul duabus portis stationes hostium fudit, fugavitque in castra; ut eo die obsesso, quam obsidenti, similior esset Poenus. Ad mille trecenti Carthaginiensium caesi, et undesexaginta vivi capti; qui, circa muros et in stationibus solute ac negligenter agentes, quum nihil minus, quam eruptionem, timuissent, ex improvise oppressi fuerant. Gracchus, priusquam se hostes ab repentino pavore colligerent, receptui signum dedit, ac suos intra muros recepit. Postero die Hannibal, laetum secunda re consulem iusto proelio ratus certaturum, aciem inter castra atque urbem instruxit. Ceterum postquam neminem moveri ab solita custodia urbis vidit, nec committi quicquam temerariae spei, ad Tifata redit infecta re.

Cumas deserit Hannibal.

Quibus diebus Cumae liberatae sunt obsidione, iisdem diebus et in Lucanis ad Grumentum Ti. Sempronius, cui Longo cognomen erat, cum Hannone Poeno prospere pugnat. Supra duo millia hostium occidit, et ducentos octoginta milites amisit: signa militaria ad quadraginta unum cepit. Pulsus finibus Lucanis Hanno retro in Bruttios sese recepit. Et ex Hirpinis oppida tria, quae a populo Romano defece- rant, vi recepta per M. Valerium praetorem, Vercellium, Vescellium, Sicilinum: et auctores defectionis securi percussi. Supra mille captivorum sub hasta venierunt: praeda alia militi concessa, exercitus Luceriam reductus.

38.

Dum haec in Lucanis atque in Hirpinis geruntur, quinque naves, quae Macedonum atque Poenorum captos legatos Romam portabant, ab supero mari ad inferum circumvectae prope omnem Italiae oram, quum praeter Cumas velis ferrentur, neque, hostium an sociorum essent, satis sciretur, Gracchus obviam ex classe sua naves misit. Quum percunctando in vicem cognitum esset, consulem Cumis esse; naves Cumas appulsae, captivique ad consulem deducti, et literae datae. Consul, literis Philippi atque Hannibalis perlectis, consignata omnia ad senatum itinere terrestri misit: navibus devehit legatos iussit. Quum eodem fere die literae legatique Romam venissent, et, percunctatione facta, dicta cum scriptis congruerent, primo gravis cura Patres incescit, cernentes, quanta vix tolerantibus Punicum bellum Macedonici belli moles instaret. Cui tamen adeo non succubuerunt, ut extemplo agitaretur, quemadmodum ultro inferendo bello averterent ab Italia hostem.

Legati Philippi et Hannibalis Romam ducuntur.

§ Vercellium, Vescellium, Sicilinum: et auctores] Vulg. Vercellius Siciliusque auctores, sed optimi codd.

quos Gronov. Stroth. et Bekker. secuti sunt, lectionem, quam Kreyssig. habet, prae se ferunt.

Captivis in vincula condi iussis, comitibusque eorum sub
 6 hasta venditis, ad naves viginti quinque, quibus P. Valerius
 Flaccus praefectus praecerat, viginti parandas alias decer-
 nunt. His comparatis deductisque, et additis quinque
 navibus, quae advexerant captivos legatos, triginta naves ab
 Ostia Tarentum profectae: iussusque P. Valerius, militibus
 Varronianis, quibus L. Apustius legatus Tarenti praecerat,
 in naves impositis, quinquaginta navium classe non tueri
 modo Italiae oram, sed explorare de Macedonico bello. Si
 congruentia literis legatorumque indiciiis Philippi consilia
 essent, ut M. Valerium praetorem literis certiore faceret:
 isque, L. Apustio legato exercitui praeposito, Tarentum ad
 classem profectus, primo quoque tempore in Macedoniam
 transmitteret: daretque operam, ut Philippum in regno
 contineret. Pecunia ad classem tuendam bellumque Mace-
 donicum ea decreta est, quae Ap. Claudio in Siciliam missa
 erat, ut redderetur Hieroni regi: ea per L. Apustium lega-
 tum Tarentum est devecta. Simul ab Hierone missa du-
 centa millia modium tritici, et hordei centum.

Dum haec Romani parant aguntque, ad Philippum cap-
 39.
 tiva navis, una ex iis, quae Roman missae erant, ex cursu
 refugit: inde scitum, legatos cum literis captos. Itaque
 7 ignarus de iis, quae cum Hannibale legatis suis convenissent,
 quaeque legati eius ad se allaturi fuissent, legationem aliam
 cum iisdem mandatis mittit. Legati ad Hannibalem missi,
 Heraclitus, cui Scotino cognomen erat, et Crito Berocaeus,
 et Sositheus Magnes. Hi prospere tulerunt ac retulerunt
 mandata. Sed prius se aestas circumegit, quam movere ac
 moliri quicquam rex posset: tantum navis una capta cum
 legatis momenti fecit ad dilationem imminentis Romanis
 belli.

Et circa Capuam, transgresso Vulturnum Fabio post ex-
 piata tandem prodigia, ambo consules rem gerebant. Com-
 pulteriam, et Trebulam, et Saticulam, urbes, quae ad
 Poenum defeecerant, Fabius vi cepit; praesidiaque in iis
 Hannibalis, Campanique permulti capti. Et Nolae, sicut
 8
 priore anno, senatus Romanorum, plebs Hannibalis erat:
 consiliaque occulta de caede principum et proditione urbis
 inibantur. Quibus ne incepta procederent, inter Capuam
 castraque Hannibalis, quae in Tifatis erant, traducto exer-
 8
 citu, Fabius super Suessulam in castris Claudianis consedit;

6 *Ad naves viginti quinque*] Vo-
 cem *quinque* transponit Iac. Gron.
 legitque, *ad naves viginti, quibus . . .*
praecerat, viginti quinque paratas
alias decernunt.

7 *Ignarus de iis, quae*] Gronov. ex
 vestigiis scriptae lectionis emendat,

ignarus rex equae cum Hannibale
legatis suis convenissent.

8 *Fabius super Suessulam*] Ita
 Cluverius Ital. Ant. v. p. 1183. legen-
 dum haud inepte suadet pro vulg. *su-*
per Vesuvium, quod Stroth. et Bekker.
 servant. cf. supr. 17. et 32. infr. 46. et 48.

U. C. 537. inde M. Marcellum propractorem cum iis copiis, quas habebat, Nolam in praesidium misit.

40. Et in Sardinia res per T. Manlium praetorem administrari coeptae, quae omissae erant, postquam Q. Mucius praetor gravi morbo est implicitus. Manlius, navibus longis ad Carales subductis, navalibusque sociis armatis, ut terra rem gereret, et a praetore exercitu accepto, duo et viginti millia peditum, mille et ducentos equites confecit. Cum his equitum peditumque copiis profectus in agrum hostium, haud procul ab Hampsicorae castris castra posuit. Hampsicora tum forte profectus erat in Pellitos Sardos, ad iuventutem armandam, qua copias augetet. Filius eius, nomine Hiostus, castris praecerat: is, adolescentia ferox, temere proelio inito fusus fugatusque. Ad tria millia Sardorum eo proelio caesa, octingenti ferme vivi capti. Alius exercitus primo per agros silvasque fuga palatus; dein, quo ducem fugisse fama erat, ad urbem nomine Cornum, caput eius regionis, confugit: debellatumque eo proelio in Sardinia esset, ni classis Punica cum duce Hasdrubale, quae tempestate deiecta ad Baliarenses erat, in tempore ad spem rebellandi advenisset. Manlius post famam appulsae Punicae classis, Carales se recepit. Ea occasio Hampsicorae data Poeno se iungendi. Hasdrubal, copiis in terram expositis, et classe remissa Carthaginem, duce Hampsicora ad sociorum populi Romani agrum populandum profectus, Carales perventurus erat, ni Manlius obvio exercitu ab effusa cum populatione continuisset. Primo castra castris modico intervallo sunt obiecta: deinde procursationes leviaeque certamina vario eventu inita: postremo descensum in aciem, signisque collatis, iusto proelio per quattuor horas pugnatum. Diu pugnam ancipitem Poeni, Sardis facile vinci assuetis, fecerunt: postremo et ipsi, quum omnia circa strage ac fuga Sardorum repleta essent, fusi. Ceterum terga dantes, circumducto cornu, quo pepulerat Sardos, inclusit Romanus. Caedes inde magis, quam pugna, fuit. Duodecim millia hostium caesa Sardorum simul Poenorumque, ferme tria millia et septingenti capti, et signa militaria septem et viginti. Ante omnia claram et memorabilem pugnam fecit Hasdrubal imperator captus, et Hanno, et

Proelium, quo superiores Romani.

9 *T. Manlium praetorem*] Legendum suadet Perizon. *propraetorem*, quum T. Manlius hoc anno praeturam non gesserit; sed vocabulum *praetorem* hic latiore vocis significatione pro quovis belli duce, vel provinciae praefecto, dici bene monet Duker.

1 *Ad Carales*] Hod. *Cagliari*. De

sociis navalibus cf. sup. xxi. 49.

2 *Pellitos Sardos*] Sic codd. optimi, teste Gronovio. Vulgo *Pellidos*. *Pelliti* Sardiniae populus, qui, quia in montibus habitabant, ideo ad arcendum frigus mastrucis et pellibus utebantur: unde illis nomen Pelliti. CREV. cf. Plin. H. N. xxxiii. 12. Crev. Epist. 3 ad Harduinum de eius editione Plinii.

Mago, nobiles Carthaginienses: Mago ex gente Barcina, U. C. 537. propinqua cognatione Hannibali iunctus; Hanno auctor A. C. 215. rebellionis Sardis, bellique eius haud dubie concitor. Nec Sardonum duces minus nobilem eam pugnam cladibus suis fecerunt. Nam et filius Hampsicorae Hiosius in acie cecidit: et Hampsicora, cum paucis equitibus fugiens, ut super afflictas res necem quoque filii audivit, nocte, ne cuius interventus coepta impediret, mortem sibi conscivit. Ceteris urbs Cornus eadem, quae ante, fugae receptaculum fuit: quam Manlius, victore exercitu aggressus, intra paucos dies recepit. Deinde aliae quoque civitates, quae ad Hampsicoram Poenosque defecerant, obsidibus datis, dediderunt sese. Quibus stipendio frumentoque imperato, pro cuius-Perdomita Sardinia. que aut viribus aut delicto, Carales exercitum reduxit. Ibi navibus longis deductis, impositoque, quem secum advexerat, milite, Romam navigat, Sardiniamque perdomitam nuntiat Patribus: et stipendium quaestoribus, frumentum aedilibus, captivos Q. Fulvio praetori tradidit.

3 Per idem tempus T. Otacilius praetor, quinquaginta navium ab Lilybaeo classe in Africam transvectus, depopulatusque agrum Carthaginensem, quum Sardiniam inde peteret, quo fama erat Hasdrubalem a Baliaribus nuper traiecissee, classi Africam repetenti occurrit, levique certamine in alto commisso, septem inde naves cum sociis navibus cepit: ceteras metus haud secus, quam tempestas, passim disiecit.

Per eosdem forte dies et Bomilear cum militibus, ad supplementum Carthagine missis, elephantisque, et comineatu, Locros accessit. Quem ut incautum opprimeret Ap. Claudius, per simulationem provinciae circumeundae 4 Messanam raptim exercitu ducto, aestu secundo Locros traiecit. Iam inde Bomilear ad Hannonem in Bruttios profectus erat; et Locrenses portas Romanis clausurunt. Appius magno conatu nulla re gesta, Messanam repetit.

Eadem aestate Marcellus ab Nola, quam praesidio obtebat, crebras excursions in agrum Hirpinum et Samnites Caudinos fecit: adeoque omnia ferro atque igni vastavit, ut antiquarum cladum Samnio memoriam renovaret. Itaque 42. extemplo legati, ad Hannibalem missi simul ex utraque Oratio Samnitum ad Hannibalem.

3 *T. Otacilius praetor*] Otacilius non hoc anno, sed superiore praetor fuit. cf. supr. 40.

4 *Aestu secundo*] Scita et elegans locutio, qua usus est Sallust. Hist. Fragm. i. *Itaque Sertorius ... aestu secundo furtivaque celeritate*. Ex-

hibent tamen hoc Livii loco scripti codices *aestuque suo*. Sed hic potior nobis est editorum auctoritas, cui sensus ratio et sermonis elegantia favet. CREV. *Aestu suo* Stroth. *Aestuque suo* Bekker reposuit.

U. C. 537. Hannibal, fuimus primum per nos ipsi, quoad nostra arma,
 A. C. 215. nostrae vires nos tutari poterant. Postquam iis parum
 fidebamus, Pyrrho regi nos adiunximus; a quo relictī
 pacem necessariam accepimus, fuimusque in ea per annos⁵
 prope quinquaginta, ad id tempus, quo in Italiam venisti.
 Tua nos non magis virtus fortunaque, quam unica comitas
 ac benignitas erga cives nostros, quos captos nobis remi-
 sisti, ita conciliavit tibi, ut, te salvo atque incolumi amico,
 non modo populum Romanum, sed ne deos quidem iratos
 (si dici fas est) timeremus. At, hercule, non solum inco-
 lumi et victore, sed praesente te, quum ploratum prope
 coniugum ac liberorum nostrorum exaudire, et flagrantia
 tecta posses conspicerē, ita sumus aliquoties hac aestate
 devastati, ut M. Marcellus, non Hannibal, vicisse ad
 Cannas videatur; glorianturque Romani, te, ad unum⁶
 modo ictum vigentem, velut aculeo emisso, torpere. Per⁷
 centum prope annos cum populo Romano bellum gessimus,
 nullo externo adiuti nec duce, nec exercitu: nisi quod per
 biennium Pyrrhus nostro magis milite suas auxit vires,
 quam suis viribus nos defendit. Non ego secundis rebus
 nostris gloriabor, duos consules, ac duos consulares exer-
 citus a nobis sub iugum missos, et si qua alia aut laeta aut
 gloriosa nobis evenerunt. Quae aspera adversaque tunc
 acciderunt, minore indignatione referre possumus, quam
 quae hodie eveniunt. Magni dictatores cum magistris
 equitum, bini consules cum binis consularibus exercitibus
 ingrediebantur fines nostros; ante explorato, et subsidiis
 positis, et sub signis ad populandum ducebant: nunc pro-⁸
 praetoris unius et parvi ad tuendam Nolam praesidii praeda
 sumus. Iam ne manipulatim quidem, sed latronum modo,
 percursant totis finibus nostris negligentius, quam si in
 Romano vagarentur agro. Causa autem haec est, quod
 neque tu defendis, et nostra iuventus, quae, si domi esset,
 tutaretur, omnis sub signis militat tuis. Nec te, nec
 exercitum tuum norim, nisi, a quo tot Romanas acies fusas
 stratasque esse sciam, ei facile esse ducam opprimere popu-
 latores nostros vagos, sine signis, palatos, quo quemque

⁵ *Per annos prope quinquaginta*] Sigonius legi iubet *prope sexaginta*. Ab anno enim U. C. 480. quo pax cum Samnitibus eorumque sociis facta fuerat, ad annum 534. quo Hannibal in Italiam venit, anni sunt quattuor et quinquaginta. CREV.

⁶ *Velut aculeo emisso*] De elegantia huius lectionis a Gronov. in textum receptae nemo dubitaverit. Eadem ab apibus ducta metaphora

usus est Q. Curt. iv. 14. DOER. Ceterum *aculeo amisso* ex emendat. Trilleri reposuit Bekker.

⁷ *Per centum prope annos*] cf. Supr. 5.

⁸ *Nunc propraetoris unius*] Ita Bekker, ex coniectura Walchii emendavit. Vulg. *nunc prope unius*, quod Crev. retinuit. *Nunc proprii unius*, Stroth. ex coniect. Gronov. admisit.

‘trahit, quamvis vana, praedae spes. Numidarum paucorum
 9 ‘illi quidem praeda erunt, praesidiumque missum nobis et
 ‘Nolae ademerit: si modo, quos, ut socios haberes, dignos
 ‘duxisti, haud indignos iudicas, quos in fidem receptos
 ‘tuearis.’

Ad ea Hannibal respondit: ‘Omnia simul facere Hir- 43.
 ‘pinos Samnitesque: et indicare clades suas, et petere
 ‘praesidium, et queri indefensos se neglectosque. Indican- Respon-
sum Han-
nibalis.
 ‘dum autem fuisse primum, dein petendum praesidium: po-
 ‘stremo, ni impetraretur, tum denique querendum, frustra
 ‘opem imploratam. Exercitum sese non in agrum Hirpi-
 ‘num Samnitumve, ne et ipse oneri esset, sed in proxima
 ‘loca sociorum populi Romani adducturum: iis populandis
 ‘et militem suum repleturum se, et metu procul ab iis sum-
 ‘moturum hostes. Quod ad bellum Romanum attineret,
 ‘si Trasimeni quam Trebiae, si Cannarum quam Trasimeni
 ‘pugna nobilior esset; Cannarum se quoque memoriam
 ‘obscuram maiore et clariore victoria facturum.’ Cum hoc
 responso muneribusque amplis legatos dimisit. Ipse, prae-
 sidio modico relicto in Tifatis, profectus cetero exercitu ire
 Nolam pergit. Eodem Hanno ex Bruttiiis, cum supple-
 mento Carthagine advecto atque elephantis, venit. Castris
 haud procul positis, longe alia omnia inquirenti comperta
 sunt, quam quae a legatis sociorum audierat. Nihil enim
 Marcellus ita gerebat, ut aut fortunae, aut temere hosti com-
 missum dici posset. Explorato, cum firmisque praesidiis,
 tuto receptu praedatum ierat: omniaque, velut adversus
 praesentem Hannibalem, cauta provisaeque fuerunt. Tum,
 ubi sensit hostem adventare, copias intra moenia tenuit: per Animos
Nolano-
rum tentat
Hannibal.
 muros inambulare senatores Nolanos iussit, et omnia circa
 explorare, quae apud hostes fierent. Ex iis Hanno, quum
 ad murum successisset, Herennium Bassum et Herium
 Pettium, ad colloquium evocatos, permissuque Marcelli
 egressos, per interpretem alloquitur. Hannibalis virtutem
 fortunamque extollit: populi Romani obterit senescentem
 cum viribus maiestatem. ‘Quae si paria essent, ut quondam
 ‘fuissent, tamen expertis, quam grave Romanum imperium
 ‘sociis, quanta indulgentia Hannibalis etiam in captivos
 ‘omnes Italici nominis fuisset, Punicam Romanae societatem
 ‘atque amicitiam praeoptandam esse. Si ambo consules
 ‘cum suis exercitibus ad Nolam essent, tamen non magis
 ‘pares Hannibali futuros, quam ad Cannas fuissent: ne-

9 Praesidiumque missum nobis et
 Nolae ademerit] Sensus erit, paucorum
 Numidarum praesidium nobis
 missum etiam ademerit praesidium
 Nolanis, quia Numidis his praedae

erunt praesidiarii Nolani. DRAC.

1 Populi Romani obterit] h. e. De-
 primit, cf. infr. xxiv. 15. Cic. ad Div.
 i. 16. Plaut. Poen. iii. 1. 34.

U. C. 537. 'dum praetor unus, cum paucis et novis militibus, Nolam
 A. C. 215. 'tutari possit. Ipsorum, quam Hannibalis, interesse, capta²
 'an tradita Nola potiretur. Potiturum enim, ut Capua
 'Nuceriaeque potitus esset: sed, quid inter Capuae Nuceriae-³
 'que fortunam interesset, ipsos prope in medio sitos No-
 'lanos scire. Nolle ominari, quae captae urbi cessura
 'forent: sed potius spondere, si Marcellum cum praesidio
 'ac Nolam tradidissent, neminem alium, quam ipsos, legem,
 'qua in societatem amicitiamque Hannibalis venirent,
 44. 'dicturum.' Ad ea Herennius Bassus respondit: 'Multos
 'annos iam inter Romanum Nolanumque populum amici-
 'tiam esse, cuius neutros ad eam diem poenitere; et sibi, si
 'cum fortuna mutanda fides fuerat, sero iam esse mutare⁴
 'eam. Dedituris se Hannibali non fuisse arcessendum
 'Romanum praesidium: cum iis, qui ad se tuendos venis-
 'sent, omnia sibi et esse consociata, et ad ultimum fore.'

Oppugnat
 Nolam.

Hoc colloquium abstulit spem Hannibali per proditionem
 recipiendae Nola. Itaque oppidum corona circumdedit,
 ut simul ab omni parte moenia aggrederetur. Quem ut
 successisse muris Marcellus vidit, instructa intra portam
 acie, cum magno tumultu erupit. Aliquot primo impetu
 percussi caesique sunt; dein, concursu ad pugnantes facto,
 aequatisque viribus, atrox coepit esse pugna: memorabilis-
 que inter paucas fuisset, ni ingentibus procellis effusus
 imber diremisset pugnantes. Eo die commisso modico cer-
 tamine, atque irritatis animis, in urbem Romani, Poeni in
 castra sese receperunt. Tamen Poenorum prima eruptione
 percussi ceciderant haud plus quadringenti, Romani quin-⁵
 quaginta. Imber continens per noctem totam usque ad
 horam tertiam diei insequentis tenuit: itaque, quanquam⁶
 utraque pars avidi certaminis erant, eo die tenuerunt sese
 tamen munimentis. Tertio die Hannibal partem copiarum
 praedatum in agrum Nolanum misit. Quod ubi animad-
 vertit Marcellus, extemplo in aciem copias eduxit; neque⁷
 Hannibal detrectavit. Mille fere passuum inter urbem

² *Ipsorum, quam Hannibalis*] Quem-
 admodum Livius particulam *magis*
 comparativo nonnunquam addere, ita
 eandem ante vocem *quam* haud raro
 omittere solet. cf. infr. xxv. 29.
 STROTH.

³ *Inter Capuae Nuceriaeque fortu-
 nam*] sc. Capua sponte tradita, supr.
 7. Nuceria capta, et fame ad deditio-
 nem compulsa erat. supr. 15.

⁴ *Fides fuerat, sero iam*] *Fuerit,*
serum ex coniect. Gronov. in textum
 recepit Bekker.

⁵ *Ceciderant haud plus quadrin-*

genti, Romani quinquaginta] Vulg.
ceciderunt haud plus quam triginta,
Romanorum nullus. Ceterum *haud*
plus quadringenti coniecit Drakenb.,
 et *Romani L.* sive *quinquaginta*, ex
 vetere lectione *Romani liber*, quae in
 cod. Put. exstat, ascripta super se-
 cundam litteram vocis *liber* littera *n*,
 optima emendatio est, quae Gronov.
 et Crevier. placuit.

⁶ *Tenuit*] Duravit, ut supr. ii. 3.
 iii. 19.

⁷ *Copias eduxit*] *Educit* Drakenb.
 et Bekker. habent.

serant castraque. Eo spatio (et sunt omnia campi circa Nola) concurrerunt. Clamor, ex parte utraque sublatus, proximos ex cohortibus iis, quae in agros praedatum exierant, ad proelium iam commissum revocavit. Et Nolani aciem Romanam auxerunt: quos collaudatos Marcellus in subsidiis stare, et saucios ex acie efferre iussit; pugna abstinere, ni ab se signum acceperant. Proelium erat anceps: summa vi et duces hortabantur, et milites pugnabant. Marcellus victis ante diem tertium, fugatis ante paucos dies a Cumis, pulsus priore anno ab Nola ab eodem se duce, milite alio, instare iubet. ‘Non omnes esse in acie: praedantes vagari in agro: sed, qui pugnent, marcere Campana luxuria, vino et scortis, omnibusque lustris per totam hiemem confectos. Abisse illam vim vigoremque, dilapsa esse robor corporum animorumque, quibus Pyrenaei Alpiumque superata sint iuga: reliquias illorum virorum, vix arma membraque sustinentes, pugnare. Capuam Hannibali Cannas fuisse. Ibi virtutem bellicam, ibi militarem disciplinam, ibi praeteriti temporis famam, ibi spem futuri exstinctam.’ Quum haec exprobrando hosti Marcellus suorum militum animos erigeret, Hannibal multo gravioribus probris increpabat: ‘Arma signaque eadem se noscere, quae ad Trebiam Trasimenumque, postremo ad Cannas viderit habueritque: militem alium profecto se in hiberna Capuam duxisse, alium inde eduxisse. Legatumne Romanum et legionis unius atque alae magno certamine vix toleratis pugnam, quos binae acies consulares nunquam sustinuerunt? Marcellus, tirone milite ac Nolanis subsidiis, inultus nos iam iterum laceravit? Ubi ille meus miles est, qui crepto ex equo C. Flaminio consuli caput abstulit? ubi, qui L. Paullum ad Cannas occidit? Ferrum nunc hebet? an dextrae torpent? an quid prodigii est aliud? Qui pauci plures vincere soliti estis, nunc paucis plures vix restatis. Romam vos expugnatuuros, si quis duceret, fortes lingua, iactabatis. Enim minor est res. Hic experiri vim virtutemque volo. Expugnate Nola, campestrem urbem, non flumine, non mari saeptam. Hinc

45.

8 *Et sunt omnia campi circa Nola*] Particula *et* in simili parenthesi occurrit infr. xxix. 23.

9 *Omnibusque lustris*] Lustra sunt latebrae, ubi qui ventri et libidinibus operam dant, velut ferae in locis devii, delitescunt. cf. Festus v. *Lustra*. Plautus Bacch. iii. 3. 10. Cic. Philipp. ii. 6.

1 *Legionis unius atque alae*] So-

ciorum copias hic voce *alae* intelligi vult Crevier., contra autem unius legionis Romanae equites ab Hannibale innui monet Stroth.

2 *Enim minor est res*] *En nunc minor* Drakenb. et Bekker. servant. *Enim minor* revocavit Gronov. et particulam *enim* similiter ab initio periodi positam monet, infr. xxxiv. 32. Plaut. Epidic. v. 2. 36. Pers. ii. 2. 54.

U. C. 537.
A. C. 215.
Proelium
ad Nola.

U. C. 537. 'vos ex tam opulenta urbe praeda spoliisque onustos vel
A. C. 215. 'ducam, quo voletis, vel sequar.'

46. Nec bene, nec male dicta profuerunt ad confirmandos
Poeni in animos. Quum omni parte pellerentur, Romanisque cre-
castra com- scerent animi, non duce solum adhortante, sed Nolanis
pelluntur. etiam per clamorem, favoris indicem, accendentibus ar-
dorem pugnae, terga Poeni dederunt, atque in castra com-
pulsus sunt. Quae oppugnare cupientes milites Romanos
Marcellus Nola reduxit, cum magno gaudio et gratu-
latione etiam plebis, quae ante inclinatio ad Poenos fuerat.
Hostium plus quinque millia caesa eo die, vivi capti sex-
centi, et signa militaria undeviginti et duo elephanti: quat-
tuor in acie occisi. Romanorum minus mille interfecti:
posterum diem indutiis tacitis, sepeliendo utrimque caesos
in acie, consumpserunt. Spolia hostium Marcellus, Vul-
cano votum, cremavit. Tertio post die (ob iram credo
aliquam, aut spem liberalioris militiae) mille ducenti sep-
tuaginta duo equites, mixti Numidae Hispanique, ad Mar-
cellum transfugerunt. Eorum forti fidelique opera in eo
bello usi sunt saepe Romani. Ager Hispanis in Hispania,
Numidis in Africa post bellum, virtutis causa, datus est.

Hannibal, ab Nola remisso in Bruttios Hannone, cum
quibus venerat copiis, ipse Apuliae hiberna petit, circaque
Q. Fabii Arpos consedit. Q. Fabius, ut profectum in Apuliam Han-
res gestae. nibalem audivit, frumento ab Nola Neapolique in ea castra
convecto, quae super Suessulam erant, munimentisque fir-
matis, et praesidio, quod per hiberna ad tutandum locum³
satis esset, relicto, ipse Capuam propius movit castra,
agrumque Campanum ferro ignique est depopulatus: donec
coacti sunt Campani, nihil admodum viribus suis fidentes,
egredi portis, et castra ante urbem in aperto communire.
Sex millia armatorum habebant, peditem imbellem: equi-
tatu plus poterant: itaque equestribus proeliis lacescebant
Iubellius hostem. Inter multos nobiles equites Campanos Cerrinus
Taurea. Iubellius erat, cognomine Taurea. Civis indidem erat,⁴
longe omnium Campanorum fortissimus eques: adeo ut,
quum apud Romanos militaret, unus cum Romanus Clau-
dus Asellus gloria equestri aequaret. Hic Taurea, quum⁵

³ *Ad tutandum locum*] Plerique scripti *ad petendum*. Unus e nostris *ad tenendum*: quod verum est: et praeceperat iam coniectura Gronovius. CREV. *Ad tenendum* reposuit Bekker.

⁴ *Civis indidem erat*] *Indidem* proprie est Graccorum *αὐτόθεν*, ut infr. xxv. 15. xxvii. 12. Hoc loco signifi-

cat, Iubellium ex eadem hac gente oriundum civitatem Romanam adeptum esse.

⁵ *Hic Taurea*] *Hunc Taurea* plerique, qui accusativum *hunc* cum voce *quaesivit* iungendum monent. *Tunc Taurea* ex coniect. Walchii recepit Bekker. Sed plures mss. *Hic Taurea* habent.

diu perlustrans oculis obequitasset hostium turmis, tandem U. C. 537.
facto silentio, 'ubi esset Claudius Asellus?' quaesivit: 'et, A. C. 215.
'quoniam verbis secum de virtute ambigere solitus esset, Claudius
'cur non ferro decerneret; daretque opima spolia victus, Asellus.
'aut victor caperet?' Haec ubi Asello nuntiata sunt in 47.
castra, id modo moratus, ut consulem percunctaretur, lice-
retne extra ordinem in provocantem hostem pugnare? per-
missu eius arma extemplo cepit: proventusque ante sta-
tiones equo, Tauream nomine compellavit, congregique,
ubi vellet, iussit. Iam Romani ad spectaculum pugnae
eius frequentes exierant: et Campani, non vallum modo
castrorum, sed moenia etiam urbis prospectantes repleve-
6 rant. Quum iam ante ferocibus dictis rem nobilitassent,
infestis hastis concitarunt equos. Dein libero spatio inter
se ludificantes, sine vulnere pugnam extrahebant. Tum
Campanus Romano, 'Equorum,' inquit, 'hoc, non equi-
'tum, erit certamen, nisi e campo in cavam hanc viam de-
'mittimus equos: ibi nullo ad evagandum spatio cominus
'conserentur manus.' Dicto prope citius equum in viam
7 Claudius deiecit. Taurea, verbis ferocior, quam re, 'Minime
8 sis,' inquit, 'cantherium in fossam.' Quae vox in rusticum
9 inde proverbium prodita. Claudius, quum ea via longe
perequitasset, nullo obvio hoste in campum rursum evectus,
increpans ignaviam hostis, cum magno gaudio et gratu-
latione victor in castra redit. Huic pugnae equestri rem
1 quam vera sit, communis existimatio est) mirabilem certe,

6 Quum iam ante ferocibus dictis rem nobilitassent] Quum initio celebritatem quandam fastumque certamini mox futuro per ferocia dicta addidissent. CREV.

7 Minime sis . . . cantherium in fossam] Κανθήλιος Graecis asinus, et Κανθήλια clitellae. Latinis cantherius equus castratus, cf. Varr. de R. R. ii. 7. et cantherius vel cantherium adminiculum et pedamentum vitium, instar furcae, vel iugi, cf. Columell. iv. 12. Fodiebantur vineae: in fossa figebantur cantherii, quibus applicabantur et imponebantur tenerae vites. Igitur proprie cantherium in fossa est, ubi cantheriata vitis est. Sed quia cantherius etiam genus equi est, via autem cava propter altiore utrimque campum, instar fossae; illudens Taurea, postquam Claudius equum egerat in viam cavam, Quid te esse vis, inquit, cantherium in fossa? Cave te esse patiari cantherium in fossa. Hoc equidem me esse nolo. Quod quidem dictum nullam aliam tunc temporis vim habebat, quam ut invidiam igna-

vi turpisque discessus dicenti minueret. Haec Gronovius. Potuit quoque ludere Taurea in cognomen adversarii, quod Κανθήλιος apud Graecos, ut iam observavimus, asinus, Romanus autem Asellus cognominabatur. Observat idem Gronovius hoc proverbium aliam vim habuisse, sed quae nihil ad hunc locum pertinere videatur. Minime sis cantherium in fossa: id est, ne sinas alios de te crescere, ut vitis crescit stante et adminiculante cantherio. CREV.

8 Quae vox in rusticum] Merito videtur Gronovio hoc proverbium iam antiquitus receptum fuisse, neque huic Taureae dicto debere originem suam. CREV.

9 Quum ea via] Vulgo in omnibus mss. et edd. ex via. Ceterum ea via, quod Perizon. coniecit, probante Drakenborchio Stroth. et Bekker. receperunt.

1 Quam vera sit, communis existimatio est] Ita Gronov. pro vulg. quam satis certam, legendum monuit. Communis existimatio, h. e. existimare li-

U. C. 537. adiiciunt quidam annales: quum refugientem ad urbem
A. C. 215. Tauream Claudius sequeretur, patenti hostium portae in-
vectum, per alteram, stupentibus miraculo hostibus, intactum
evasisse.

48. Quicta inde stativa fuere, ac retro etiam consul movit
castra, ut sementem Campani facerent: nec ante violavit
agrum Campanum, quam iam altae in segetibus herbae
pabulum praebere poterant. Id convexit in Claudiana
castra super Suessulam; ibique hiberna aedificavit. M.
Claudio proconsuli imperavit, ut, retento Nolaee necessa-
rio ad tuendam urbem praesidio, ceteros milites dimitteret
Romam, ne oneri sociis, et sumptui reipublicae essent. Et
Ti. Gracchus a Cumis Luceriam in Apuliam legiones quum
duxisset, M. Valerium inde praetorem Brundisium cum eo,
quem Luceriae habuerat, exercitu misit, tuerique oram
agri Sallentini, et providere, quod ad Philippum bellumque
Macedonicum attineret, iussit.

Litterae ex
Hispania.

Romano-
rum inopia.

Exitu aestatis eius, qua haec gesta perscripsimus, litterae
a P. et Cn. Scipionibus venerunt, quantas, quamque pro-
speras in Hispania res gessissent: sed pecuniam in stipen-
dium, vestimentaue, et frumentum exercitui, et sociis na-
valibus omnia deesse. Quod ad stipendium attineat, si
aerarium inops esset, se aliquam rationem inituros, quo
modo ab Hispanis sumant: cetera utique ab Roma mit-
tenda esse: nec aliter aut exercitum aut provinciam retineri
posse. Literis recitatis, nemo omnium erat, quin, et vera
scribi, et postulari aequa, fateretur: sed occurrebat animis,
quantos exercitus terrestres navalesque tuerentur, quan-
taue nova classis mox paranda esset, si bellum Mace-
donicum moveretur. Siciliam ac Sardiniam, quae ante
bellum vectigales fuissent, vix praesides provinciarum ex-
ercitus alere: tributo sumptus suppeditari: quum ipsum
tributum conferentium numerum tantis exercituum stra-
gibus, et ad Trasimenum lacum, et ad Cannas, immi-
nutum; tum, qui superessent pauci, si multiplici grava-
rentur stipendio, alia perituros peste. Itaque, nisi fide
staret respublica, opibus non staturam. Prodeundum in
concionem Fulvio praetori esse, indicandas populo pu-
blicas necessitates, cohortandosque, qui redempturis auxis-

cet, prout cuique placet. cf. supr. iv.
20. STROTH.

2 Quae ante bellum vectigales]
Quae reipublicae vectigal pendebant,
quippe in voce *provincia*, si Niebhr.
R. Gesch. iii. p. 727. audiendus sit,
vox *proventus* latet, quoniam *provin-*
ciales non armis, sed *proventu* neces-
sitatibus reipublicae subveniebant.

3 Tributo sumptus suppeditari] sc.

Tributo, quod cives Romani et Ita-
lici conferebant, pecuniam in sumptus
suppeditari.

4 Nisi fide staret respublica] Fides
hic pro eo, quod Anglice *credit* dicitur.
Nisi sustentaretur respublica pecuniis
mutuatis, quarum solutio in multum
tempus differretur.

5 Redempturis] Redimere est con-
ducere aliquid faciendum, vel prae-

sent patrimonialia, ut reipublicae, ex qua crevissent, ad tem-
 6 pus commodarent; conducerentque ea lege praebenda, U. C. 537.
A. C. 215.
 7 quae ad exercitum Hispaniensem opus essent, ut, quum
 pecunia in aerario esset, iis primis solveretur. Haec prae-
 tor in concione edixit, et qua die vestimenta, frumentum His-
 paniensi exercitui praebenda, quaeque alia opus essent na-
 valibus sociis, esset locaturus. Ubi ea dies venit, ad con-
 49. ducendum tres societates aderant hominum undeviginti,
 8 quorum duo postulata fuere: unum, ut militia vacarent,
 9 dum in eo publico essent: alterum, ut, quae in naves im-
 posuissent, ab hostium tempestatisque vi publico periculo
 essent. Utroque impetrato, conduxerunt, privataque pe-
 cunia respublica administrata est. Hi mores, eaque caritas
 patriae per omnes ordines velut tenore uno pertinebat.
 Quemadmodum conducta omnia magno animo sunt, sic
 summa fide praebita, nec secus quam si ex opulento aerario,
 1 ut quondam, alerentur.

2 Quum hi conneatus venerunt, Illiturgi oppidum ab Has-
 3 drubale, ac Magone, et Hamilcare Bomilcaris filio, ob de-
 fectionem ad Romanos oppugnabatur. Inter haec trina
 castra hostium Scipiones, quum in urbem sociorum magno
 certamine ac strage obsistentium pervenissent, frumentum,
 cuius inopia erat, advexerunt: cohortatique oppidanos, ut

Privata pe-
 cunia res-
 publica ad-
 ministra-
 tur.

Illiturgi
 obsessa a
 tribus Poe-
 norum du-
 cibus.

bendum. Hinc *redemptor*, qui con-
 ducit: *redemptura*, conductio. *Qui
 redempturis auvissent patrimonialia*,
 sunt hoc loco publicani, qui con-
 ducendo publica ditati fuerant. CREV.

6 *Commodarent*] Dukerus pulchre
 vidit vocem *commodarent* hic signi-
 ficare, ut reipublicae commode con-
 sulerent. Iure quippe Facciolatus ne-
 gaverat *commodare* a bonis scriptori-
 bus usurpatum esse de pecunia aliis-
 que rebus, quae non redduntur cae-
 dem, id quod Schellerus non accepit,
 atque hunc locum citavit. cf. Ruhn-
 ken. Opusc. p. 717.

7 *Conducerentque ea lege*] *Condu-
 cere* de iis dicitur, qui pacta mercede
 aliquid perficiendum suscipiunt, *lo-
 care* de iis, qui aliquid aliis commit-
 tunt. cf. infr. xxxiv. 6.

8 *Ut militia vacarent, dum in eo
 publico essent*] Haec Gronovii emen-
 datio non multum abit ab optimi
 codicis scriptura. Longe aliam Valla
 finxerat lectionem, quam prius editi
 praeferebant, *ne alii triennio eo pu-
 blicani essent*. *Publica* dicuntur, sive
 vectigalia et redditus populi Romani,
 quae inferenda aerario locantur a ma-
 gistratibus, fruenda conducuntur a lo-
 cupletibus et idoneis hominibus, qui

inde *publicani* appellantur; ita ut
 definitum sit, quid pro iis pendere
 illi debeant aerario: sive munera ope-
 rave aut functiones ac necessitates rei-
 publicae, puta templi alicuius aut
 pontis exaedificatio, frumenta ac ve-
 stimenta exercitui, quae facienda vel
 praebenda locantur itidem a ma-
 gistratibus, conducuntur a publicanis;
 ita ut definitum sit, quid hi pretii
 loco accipere debeant ex aerario.
 Posteriore hoc sensu *publicum* hic
 intellige. *Dum in eo publico essent*:
 quamdiu illam curationem, tanquam
 conductores et publicani, gererent.
 Haec fere Gronovius Observ. iv. 23.
 CREV.

9 *Ut, quae in naves imposuissent*] Ut,
 quae in naves imposuissent, si aut
 propter hostilem vim, aut per tem-
 pestatem interisissent, hoc damnum
 respublica sustineret, non ipsi. CREV.

1 *Alerentur*] sc. Exercitus. STR.

2 *Illiturgi oppidum*] In Baetica,
 circa Baetin flumen. cf. Plin. H. N.
 iii. 1. DUKER.

3 *Hamilcare Bomilcaris filio*] *Han-
 nibale*, quod mss. longe plurimi opti-
 mique habent et Gronov. probat, re-
 posuit Stroth.

U. C. 537. eodem animo moenia tutarentur, quo pro se pugnantem
 A. C. 215. Romanum exercitum vidissent, ad castra maxima oppugnanda, quibus Hasdrubal praeerat, ducunt. Eodem et duo duces, et duo exercitus Carthaginiensium, ibi rem summam agi cernentes, convenerunt. Itaque eruptione e castris pugnatum est. Sexaginta hostium millia eo die in pugna fuerunt, sexdecim circiter Romanis. Tamen adeo haud dubia victoria fuit, ut plures numero, quam ipsi erant, Romani hostium occiderint: ceperint amplius tria millia hominum, paullo minus mille equorum, undesexaginta militaria signa, septem elephantos, quinque in proelio occisis: trinisque castris eo die potiti sunt. Illiturgi obsidione liberato, ad Intibili oppugnandum Punici exercitus tracti, suppletis copiis ex provincia, ut quae maxime omnium belli avida, modo praeda aut merces esset, et tum iuventute abundante. Iterum signis collatis, eadem fortuna utriusque partis pugnatum. Supra tredecim millia hostium caesa, supra duo capta, cum signis duobus et quadraginta, et novem elephantis. Tum vero omnes prope Hispaniae populi ad Romanos defecerunt: multoque maiores ea aestate in Hispania, quam in Italia, res gestae.

Romani
 trina castra Poenorum capiunt.

EPITOME LIBRI XXIV.

HIERONYMUS, Syracusanorum rex, cuius avus Hiero amicus populi Romani fuerat, ad Carthaginienses defecit; et propter crudelitatem superbiamque a suis interfectus est. *Ti. Sempronius Gracchus* proconsul prospere adversus Poenos et *Hannone* ducem ad Beneventum pugnavit, servorum maxime opera, quos liberos esse iussit. *Claudius Murellus* consul, in Sicilia, quae prope tota ad Poenos defecerat, Syracusas obsedit. *Philippo* Macedonum regi bellum indictum est; qui, ad Apolloniam nocturno proelio oppressus fugatusque, in Macedoniam cum prope inermi exercitu perfugit. Ad id bellum gerendum *Valerius praetor* missus est. Res praeterea in Hispania a *P.* et *Cn. Scipionibus* adversus Carthaginienses gestas continet. *Syphax*, rex Numidarum, in amicitiam ascitus, et a *Masinissa*, rege Massylorum, pro Carthaginiensibus pugnante, victus, in Maurusios cum magna manu transit contra Gades; ubi angusto freto Africa et Hispania dirimuntur. Celtiberi quoque in amicitiam recepti sunt: quorum auxiliis ascitis, tunc primum mercenarium militem Romana castra habuerunt.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXIV.

U. C. 537. A. C. 215. **U**T ex Campania in Bruttios reditum est, Hanno, adiutoribus et ducibus Bruttiis, Graecas urbes tentavit, eo facilius in societate manentes Romana, quod Bruttios, quos et oderant, et metuebant, Carthaginensium partis factos cernebant. Rhegium primum tentatum est, diesque aliquot ibi nequicquam absumpti. Interim Locrenses frumentum, lignaque, et cetera necessaria usibus ex agris in urbem rapere, etiam ne quid relictum praedae hostibus esset: et in dies maior omnibus portis multitudo effundi. Postremo ii modo relictii in urbe erant, qui reficere muros ac portas, telaque in propugnacula congerere cogeabantur. In permixtam omnium aetatum ordinumque multitudinem, et vagantem in agris magna ex parte inermem, Hamilcar Poenus equites emisit; qui, violare quemquam vetiti, tantum, ut excluderent ab urbe fuga dissipatos, turmas obicere. Dux ipse, loco superiore capto, unde agros urbemque posset conspiciere, Bruttiorum cohortem adire muros, atque evocare principes Locrensiū ad colloquium iussit, et, pollicentes amicitiam Hannibalis, adhortari ad urbem tradendam. Bruttiis in colloquio nullius rei primo fides est: deinde ut Poenus apparuit in collibus, et refugientes pauci aliam omnem multitudinem in potestate hostium esse afferebant; tum, metu victi, consulturos se populum responderunt: advocataque extemplo concione, quum et levissimus quisque novas res novamque societatem mallent, et, quorum propinqui extra urbem interclusi ab hostibus erant, velut obsidibus datis, pigneratos haberent animos, pauci magis taciti

Locrenses
se dedunt
Poenis.

1 *Interim Locrenses*] At de Locrensis noster alia narraverat, supr. xxiii. 30. et 41. nisi dicere malis, eum illic occupavisse res nunc demum gestas. STROTH.

2 *Hamilcar Poenus*] Trium MSS. fide *Bomilcar* reposuit Stroth.

3 *Societatem mallent*] Edd. ante

Gronov. *mallet*. Sed et verbo et adiectivo plurali numero distributivum *quisque* iungi apud Livium passim animadverteris. supr. ii. 22. vii. 19.

4 *Pigneratos*] sc. Obstrictos Poenis, propinquos illorum, tanquam pignora, in potestate sua habentibus. DOER.

5 probarent constantem fidem, quam probatam tueri auderent; U. C. 537.
 haud dubio in speciem consensu fit ad Poenos deditio. L. A. C. 215.
 Atilio praefecto praesidii, quique cum eo milites Romani Praesidio
 erant, clam in portum deductis, atque impositis in naves, ut Romano
 Rhegium deveharentur, Hamilearem Poenosque ea condi- dimisso.
 tione, ut foedus extemplo aquis legibus fieret, in urbem
 acceperunt. Cuius rei prope non servata fides deditis est,
 quum Poenus dolo dimissum Romanum incusaret; Lo-
 crenses profugisse ipsum causarentur. Insecuti etiam equi-
 tes sunt, si quo casu in freto aestus morari, aut deferre
 naves in terram posset. Et eos quidem, quos sequebantur,
 non sunt adepti: alias a Messana traicientes freto Rhegium
 naves conspexerunt. Milites erant Romani, a Claudio
 praetore missi ad obtinendam urbem praesidio. Itaque
 Rhegio extemplo abscessum est. Locrensibus iussu Han- Leges so-
 nibalis data pax, 'ut liberi suis legibus viverent: urbs pate- cietatis in-
 6 'ret Poenis, portus in potestatem Locrensiū esset: societas ter Poenos
 'eo iure staret, ut Poenus Locrensem, Locrensisque Poe- et Locren-
 'num pace ac bello iuvaret.' ses.

Sic a freto Poeni reducti, frementibus Brutiis, quod 2.
 Rhegium ac Locros, quas urbes directuros se destinaverant,
 intactas reliquissent. Itaque per se ipsi, conscriptis arma-
 tisque iuventutis suae quindecim millibus, ad Crotonem
 oppugnandum pergunt ire, Graecam et ipsam urbem, et
 maritimam: plurimum accessurum opibus, si in ora maris
 urbem portu ac moenibus validam tenuissent, credentes.
 Ea cura angebat, quod neque non arcessere ad auxilium
 7 Poenos satis audebant, ne quid non pro sociis egisse vide-
 rentur: et, si Poenus rursus magis arbiter pacis, quam
 adiutor belli, fuisset, ne in libertatem Crotonis, sicut ante
 Locrorum, frustra pugnaretur. Itaque optimum visum est,
 ad Hannibalem mitti legatos, caverique ab eo, ut receptus
 Croto Bruttiorum esset. Hannibal quum praesentium eam
 consultationem esse respondisset, et ad Hannonem eos
 8 reieccisset, ab Hannone nihil certi ablatum. Nec enim
 diripi volebant nobilem atque opulentam urbem: et spera-
 bant, quum Bruttius oppugnaret, Poenos nec probare, nec
 iuvare eam oppugnationem appareret, eo maturius ad se
 defecturos. Crotone nec consilium unum inter populares.

5 *Probatam tueri*] *Propalam tueri*
 ex emend. Walchii recepit Bekker.

6 *In potestatem Locrensiū esset*] Similem loquendi formam iam obser-
 vavimus supr. ii. 14. Sic ap. Cic. pro
 lege Man. 33. *in praedonum fuisse*
potestatem. Terent. Eun. ii. 2. *videt*
me esse in tantum honorem. cf. supr.
 xxij. 25. *Minucium prope in custo-*

diam habitum.

7 *Non pro sociis*] Pro sociis quipp-
 tum demum acturi erant, si socios in
 partes suas vocavissent.

8 *Nihil certi ablatum*] *Allatum*
 edd. ante Iac. Gronov. cf. Cic. ad
 Att. xvi. 16. Ep. ad Plane. *decretum*
liberalissimum abstulimus. et Cic. ad
 Div. iv. 12.

U. C. 537. nec voluntas erat. Unus velut inorbus invaserat omnes
 A. C. 215. Italiae civitates, ut plebes ab optimatibus dissentirent: se-
 Crotonia- natus Romanis faveret, plebs ad Poenos rem traheret. Eam
 tarum dis- dissensionem in urbe perfuga nuntiat Bruttii; Aristoma-
 cordia. chum esse principem plebis, tradendaeque auctorem urbis:
 et in vasta urbe lateque omnibus disiectis moenibus raras
 et stationes custodiasque senatorum esse: quacunque cus-
 todiant plebis homines, ea patere aditum. Auctore ac
 Urbs capi- duce perfuga, Bruttii corona cinxerunt urbem: acceptique
 tur a Brut- a plebe primo impetu locos omnes, praeter arcem, cepere.
 tiis, praeter 1 Arcem optimates tenebant, preparato iam ante ad talem
 arcem. casum perfugio. Eodem Aristomachus perfugit; tanquam
 Poenis, non Bruttii, auctor urbis tradendae fuisset.

3. Urbs Croto murum in circuitu patentem duodecim millia
 passuum habuit, ante Pyrrhi in Italiam adventum. Post
 vastitatem eo bello factam vix pars dimidia habitabatur:
 flumen, quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis
 loca praeterfluebat: et arx procul iis, quae habitabantur.
 Lacinae Sex millia aberat ab urbe nobili templum (ipsa urbe erat no-
 Iunonis bilius) Lacinae Iunonis, sanctum omnibus circa populis.
 templum. Lucus ibi, frequenti silva et proceris abietis arboribus saep-
 tus, laeta in medio pascua habuit, ubi omnis generis sacrum
 deae pascabatur pecus sine ullo pastore: separatimque
 egressi cuiusque generis greges nocte remeabant ad stabula,
 nunquam insidiis ferarum, non fraude violati hominum.
 Magni igitur fructus ex eo pecore capti, columnaue inde
 aurea solida facta et sacrata est: inclutumque templum,
 divitiis etiam, non tantum sanctitate, fuit. Ac miracula
 aliqua affinguntur plerumque tam insignibus locis. Fama
 est, aram esse in vestibulo templi; cuius cinerem nullo
 5 unquam moveri vento. Sed arx Crotonis, una parte im-

Arx Croto-
 nis.

9 *Omnibus disiectis moenibus*] In
 varias admodum partes huc illuc pro-
 currentibus. DRAK.

1 *Locos omnes, praeter arcem*] *Om-
 nem praeter arcem* probante Gronov.
 reposuit Bekker.

2 *Sex millia aberat ab urbe*] Strab.
 vi. p. 262. Lacinae Iunonis templum
 distare ait ab Crotone centum quin-
 quaginta stadiis, hoc est, novendecim
 prope millibus. An aliquid corrigendum
 apud alterutrum scriptorem? An
 potius ita conciliabimus, ut Strabo-
 nem maritimum iter, quod circum-
 vectio reddit longius; Livium terre-
 stre designasse dicamus? Gronov.

3 *Templum (ipsa urbe erat nobi-
 lius) Lacinae Iunonis*] Quod com-
 mune Latinorum sive Oenotrorum po-
 pulorum fanum, haud aliter atque il-

lud Ioniorum, quod Panionium voca-
 batur, antiquitus fuisse censet Niebhr.
 i. n. 263. Ante Troicum bellum col-
 latitia pecunia regum populorumque
 exstructum fuisse narratur ap. Serv. in
 Aen. iii. 552. cf. Plin. H. N. ii. 107.
 Cic. de Div. i. 24. de Invent. ii. 1. 2.
 Heyn. Opusc. Acad. ii. p. 174. et 186.
 Ceterum *ipsa urbe nobilior*, quod
 ante Drakenb. exstabat, omissa pa-
 renthesi revocavit Bekker.

4 *Separatimque egressi cuiusque
 generis greges*] *Separatimque greges
 sui quique generis* ex coniect. Gronov.
 recepit Bekker. *Sui quisque generis*
 mavult Drakenb.

5 *Nullo unquam moveri vento*] Ita
 Gronov. emendavit pro vulg. *nullus
 unquam moveat ventus*, quod Stroth.
 servat.

minens mari, altera vergente in agrum, situ tantum naturali U. C. 537.
 quondam munita, postea et muro cincta est, qua per aver- A. C. 215.
 sas rupes ab Dionysio Siciliae tyranno per dolum fuerat
 capta. Eam tum arcem, satis, ut videbatur, tutam, Croto-
 niatum optimates tenebant, circumsedente cum Bruttii eos
 etiam plebe sua. Postremo Bruttii, quum suis viribus in-
 expugnabilem viderent arcem, coacti necessitate, Hannonis
 auxilium implorant. Is, conditionibus ad deditionem com-
 pellere Crotoniatas conatus, ut coloniam Bruttiorum eo
 6 deduci, antiquamque frequentiam eo recipere vastam ac
 desertam bellis urbem paterentur, omnium neminem,
 praeter Aristomachum, movit. Morituros se affirmabant
 citius, quam, immixti Bruttii, in alienos ritus, mores,
 legesque, ac mox linguam etiam verterentur. Aristoma-
 chus unus, quando nec suadendo ad deditionem satis va-
 lebat, nec, sicut urbem prodiderat, locum prodendae arcis
 inveniebat, transfugit ad Hannonem. Locrenses brevi post
 legati, quum permissu Hannonis arcem intrassent, per-
 suadent, ut traduci se in Locros paterentur, nec ultima ex-
 periri vellent. Iam hoc ut sibi liceret, impetraverant et ab
 Hannibale, missis ad id ipsum legatis. Ita Crotone exces-
 sum est, deductique Crotoniatae ad mare naves con-
 7 scendunt. Locros omnis multitudo abeunt. Crotonia-
 8 tae Locros abeunt.

In Apulia ne hiems quidem quieta inter Romanos atque
 Hannibalem erat. Luceriae Sempronius consul, Hannibal
 haud procul Arpis hibernabat. Inter eos levia proelia ex
 occasione, aut opportunitate huius aut illius partis, orie-
 bantur: meliorque iis Romanus, et in dies cautior tutiorque
 ab insidiis fiebat.

In Sicilia Romanis omnia mutaverat mors Hieronis, 4.
 regnumque ad Hieronymum nepotem eius translatum: Hieroni
 7 puerum, vixdum libertatem, nedum dominationem, modice succedit
 8 laturum. Laete id ingenium tutores atque amici ad prae- Hierony-
 cipitandum in omnia vitia acceperunt: quae ita futura mus Syra-
 cernens Hiero, ultima senecta voluisse dicitur liberas Syra- censis.
 9 cusas relinquere, ne sub dominatu puerili, per ludibrium,
 bonis artibus partum firmatumque interiret regnum. Huic
 consilio eius summa ope obstitere filiae, nomen regium
 penes puerum futurum ratae, regimen rerum omnium
 1 penes se virosque suos, Andranodorum et Zoippum: nam
 ii tutorum primi relinquebantur. Non facile erat nona-

6 *Antiquamque frequentiam*] *Suam*
 addidit Bekker, probante Gronovio.

7 *Libertatem*] Ut qui ex potestate
 avi mortui exisset, et sui iuris iam
 factus esset.

8 *Laturum. Laete id*] *Laturum. Ea*
aetate id, Stroth. *Laturae aetatis, id*,

Bekker. reposuit.

9 *Per ludibrium . . . interiret*] In-
 teriret per lasciviam pueri Hierony-
 mi, cuius levitas regno velut illuderet.
 CREV.

1 *Nam ii tutorum*] Hae voces de-
 sunt in scriptis, et adiectae sunt a

U. C. 537. gesimum iam agenti annum, circumssesso dies noctesque
 A. C. 215. muliebribus blanditiis, liberare animum, et convertere ad 2
 publicam privata curam. Itaque tutores modo quindecim 3
 puero reliquit: quos precatus est moriens, ut fidem erga
 populum Romanum, quinquaginta annos ab se cultam, in-
 violatam servarent, iuvenemque suis potissimum vestigiis
 insistere vellent disciplinaeque, in qua edoctus esset. Haec 4
 mandata. Quum expirasset, per tutores testamento pro-
 lato, pueroque in concionem producto, (erat autem quin-
 decim tunc ferme annorum) paucis, qui per concionem ad
 excitandos clamores dispositi erant, approbantibus testa-
 mentum, ceteris velut patre amisso in orba civitate omnia
 timentibus, funus fit regium, magis amore civium et caritate,
 quam cura suorum, celebre. Brevi deinde ceteros tutores
 summovet Andranodorus, iuvenem iam esse dictitans Hier-
 onymum, ac regni potentem: deponendoque tutelam ipse, 5
 quae cum pluribus communis erat, in se unum omnium
 vires convertit.

5. Vix quidem ulli bono moderatoque regi facilis erat favor
 Hieronymi apud Syracusanos, succedenti tantae caritati Hieronis. 6
 vitia. Verum enim vero Hieronymus, velut suis vitiis desidera-
 bilem efficere vellet avum, primo statim conspectu, omnia
 quam disparia essent, ostendit. Nam qui per tot annos
 Hieronem filiumque eius Gelonem, nec vestis habitu, nec 7
 alio ullo insigni differentes a ceteris civibus vidissent, con-
 spexere purpuram, ac diadema, ac satellites armatos; qua-
 drigisque etiam alborum equorum interdum ex regia proce-
 dentem, more Dionysii tyranni. Hunc tam superbum
 apparatus habitumque convenientes sequebantur contemp-
 tus omnium hominum, superbae aures, contumeliosa dicta,
 rari aditus, non alienis modo, sed tutoribus etiam, libidines
 novae, inhumana crudelitas. Itaque tantus omnes terror
 invaserat, ut quidam ex tutoribus aut morte voluntaria, aut
 fuga praeverterent metum suppliciorum. Tres ex iis, qui-

Valla. Andreas et Campanus dedere
qui tutorum. CREV.

2 *Convertere ad publicam privata
 curam*] Ita statuere de domo sua, ut
 praecipue reipublicae consuleret, et
 illius statum huius commodo attem-
 peraret. GRONOV.

3 *Tutores modo quindecim*] Haud
 scio an Hiero veterem civitatis re-
 gendae rationem respexit, quum
 apud Thueyd. vi. 72. rem publicam
 Syracusanam a quindecim magistrati-
 bus, Graece *σπαρτηγοίς*, administra-
 tam videmus. Polybius vii. 8. Hiero-
 nem in animo saepius habuisse im-
 perium deponere, sed invitis civibus

noluisse scribit.

4 *In qua edoctus esset*] *Eductus*,
 quod placuit Gronovio, recepit Bek-
 ker.

5 *Regni potentem*] Regno admi-
 nistrando parem. STROTH.

6 *Succedenti tantae caritati Hiero-
 nis*] Hieroni, qui tam carus fuerat
 civibus. Sic supr. iv. 11. *quo maiori
 gloriae rerum domi forisque gestarum
 succedere se cernebant.* Similiter Ius-
 tin. xxii. 1. *Agathocles, qui magni-
 tudini prioris Dionysii successit.*

7 *Filiumque eius Gelonem*] cf. Supr.
 xxiii. 30.

bus solis aditus in domum familiarior erat, Andranodorus et Zoippus, generi Hieronis, et Thraso quidam, de aliis quidem rebus haud magnopere audiebantur: tendendo autem duo ad Carthaginienses, Thraso ad societatem Romanam, certamine ac studiis interdum in se convertebant animum adolescentis: quum coniuratio, in tyranni caput facta, indicatur per Callonem quendam, aequalem Hieronymi, et iam inde a puero in omnia familiaria iura assuetum. Index unum ex coniuratis Theodotum, a quo ipse appellatus erat, nominare potuit. Qui comprehensus extemplo, traditusque Andranodoro torquendus, de se ipse haud cunctanter fassus, conscios celabat. Postremo, quum omnibus intolerandis patientiae humanae cruciatibus laceraretur, victum malis se simulans, avertit ab conscis in insontes indicium, Thrasonem esse auctorem consilii mentitus, nec, nisi tam potenti duce confisos, rem tantam ausuros ab latere tyranni, quorum capita vilissima fingenti inter dolores gemitusque occurrere. Maxime animo tyranni credibile indicium Thraso nominatus fecit. Itaque extemplo traditur ad supplicium: adiectique poenae ceteri iuxta insontes. Consciorum nemo, quum diu socius consilii torqueretur, aut latuit, aut fugit. Tantum illis in virtute ac fide Theodoti fiducia fuit: tantumque ipsi Theodoto virium ad arcana occultanda.

Ita, quod unum vinculum cum Romanis societatis erat, Thrasone sublato e medio, extemplo haud dubie ad defectionem res spectabat: legatique ad Hannibalem missi, ac remissi ab eo cum Hannibale, nobili adolescente, Hipponerates et Epicydes, nati Carthagine, sed oriundi ab Syracusis exsule avo, Poeni ipsi materno genere. Per hos iuncta societas Hannibali ac Syracusano tyranno: nec invito Hannibale apud tyrannum manserunt. Ap. Claudius praetor, cuius Sicilia provincia erat, ubi ea accepit, extemplo legatos ad Hieronymum misit: qui, quum sese ad renovandam societatem, quae cum avo fuisset, venisse dicerent, per ludibrium auditi dimissique sunt ab quaerente per iocum Hieronymo, ‘quae fortuna iis pugnae ad Cannas fuisset? vix ‘credibilia enim legatos Hannibalis narrare. Velle, quid

Conspiratio in eius caput.

6.

Ad Hannibalem inclinat.

Legati Rom. per ludibrium ab eo auditi.

8 *Familiaria iura assuetum*] *Assumptum* pro *assuetum* legendum coniecit Ruhnken. ad Vell. Patere. ii. 29.

9 *Ausuros ab latere tyranni*] *Ab latere* alicuius esse dicuntur, qui sunt eius familiares, et eius plerumque tegunt latera. Edd. ante Gronov. *ausuros*. *Ab latere inde eos nominat tyranni*, quod Stroth. servat, quamvis MSS. fidem ei non faciant.

1 *Ceteri iuxta insontes*] cf. Supr.

v. 6. ix. 13. xxiii. 28.

2 *Cum Hannibale, nobili adolescente*] Quum huius Hannibalis mentio nusquam alibi occurrat, ab eodem *Hannibale nobiles adolescentes* legendum censuit Sigon. Sed quum Polybius vii. 2. hunc ipsum Hannibalem memoret, haud dubium videtur, illum, postquam imperatori Hannibali societatem iunctam renuntiavit, partes nullas suscepisse, et ideo non amplius commemoratum fuisse.

U. C. 537. 'veri sit, scire, ut ex eo, utram spem sequatur, consilium ³
 A. C. 215. 'capiat.' Romani, 'quum serio legationes audire coepisset,
 'redituros se ad eum' dicentes 'esse,' monito magis eo,
 quam rogato, ne fidem temere mutaret, proficiscuntur.
 Hieronymus legatos Carthaginem misit ad foedus ex socie-⁴
 tate cum Hannibale faciendum. Pacto convenit, ut, quum
 Romanos Sicilia expulissent, (id autem brevi fore, si naves
 atque exercitum misissent) Himera amnis, qui ferme insu-
 lam dividit, finis regni Syracusani ac Punici imperii esset.
 Aliam deinde, inflatus assentationibus eorum, qui cum non
 Hieronis tantum, sed Pyrrhi etiam regis, materni avi, iube-⁵
 bant meminisse, legationem misit, qua aequum censebat,
 Sicilia sibi omni cedi: Italiae imperium proprium quaeri
 Carthaginensi populo. Hanc levitatem ac iactationem
 animi neque mirabantur in iuvene furioso, neque arguebant,
 dummodo averterent eum ab Romanis.

Foedus
 eius cum
 Poenis.

7. Sed omnia in eo praecipitia ad exitium fuerunt. Nam
 quum, praemissis Hippocrate atque Epicyde cum binis
 millibus armatorum ad tentandas urbes, quae praesidiis
 tenebantur Romanis, et ipse in Leontinos cum cetero omni
 exercitu (erant autem ad quindecim millia peditum equi-
 tumque) profectus esset; liberas aedes coniurati (et omnes ⁶
 forte militabant) imminentes viae angustae, qua descendere ⁷
 ad forum rex solebat, sumpserunt. Ibi, quum instructi
 armatique ceteri transitum exspectantes starent, uni ex iis,
 (Dinomeni fuit nomen) quia custos corporis erat, partes
 datae sunt, ut, quum appropinquaret ianuae rex, per cau-
 sam aliquam in angustiis sustineret ab tergo agmen. Ita,
 ut convenerat, factum est. Tanquam laxaret elatum pedem
 ab stricto nodo, moratus turbam Dinomenes, tantum inter-
 valli fecit, ut, quum in praetereuntem sine armatis regem
 impetus fieret, confoderetur aliquot prius vulneribus, quam
 succurri posset. Clamore et tumultu audito, in Dinome-
 nem, iam haud dubie obstantem, tela coniciuntur: inter
 quae tamen, duobus acceptis vulneribus, evasit. Fuga sa-
 tellitum, ut iacentem videre regem, facta est. Interfectores
 pars in forum ad multitudinem laetam libertate, pars Syra-
 cusas pergunt, ad praecoccupanda Andranodori regionumque

A coniura-
 tis occidi-
 tur.

³ *Utram spem sequatur*] In utrius
 populi societate spem et fiduciam
 ponat. DOER.

⁴ *Ad foedus*] Quo leges conditio-
 nesque rerum alteri parti ab altera
 praestandae ponerentur. cf. Polyb.
 vii. 3. ubi singula traduntur.

⁵ *Pyrrhi etiam regis*] Huius enim
 filiam Nereidem duxerat Gelo Hie-
 ronymi pater. Polyb. vii. 3.

⁶ *Liberas aedes*] Aedes vacuas, in
 quibus ipsi soli hospitarentur. cf. infr.
 xxx. 17. xxxv. 23. xlii. 6. Plaut. Mil.
 Glor. iii. 1. 83.

⁷ *Et omnes forte*] cf. Supr. xxiii.
 44. *et sunt omnia campi*. Hinc nulla
 in coniuratores incideret suspicio,
 quod regem in Leontinos sequerentur.

aliorum consilia. Incerto rerum statu, Ap. Claudius, bel-
 lum oriens ex propinquo quum cerneret, senatum literis
 certiore fecit, Siciliam Carthaginiensi populo et Hanni-
 bali conciliari: ipse adversus Syracusana consilia, provin-
 ciam, regnique fines omnia convertit praesidia.

Exitu anni eius, Q. Fabius ex auctoritate senatus Puteo-
 los, per bellum coeptum frequentari emporium, communiit,
 praesidiumque imposuit. Inde Romam comitiorum causa
 veniens, in eum, quem primum diem comitialem habuit,
 comitia edixit; atque ex itinere praeter urbem in campum
 descendit. Eo die quum sors praerogativae Aniensi iuni-
 orum exisset, eaque T. Otacilium, M. Aemilium Regillum
 consules diceret, tum Q. Fabius, silentio facto, tali oratione
 est usus: ‘Si aut pacem in Italia, aut bellum cum eo hoste
 ‘haberemus, in quo negligentiae laxior locus esset, qui
 ‘vestris studiis, quae in campum ad mandandos, quibus
 ‘velitis, honores affertis, moram ullam offerret, is mihi
 ‘parum meminisse videretur vestrae libertatis. Sed quum
 ‘in hoc bello, in hoc hoste, nunquam ab ullo duce sine in-
 ‘genti nostra clade erratum sit, eadem vos cura, qua in
 ‘aciem armati descenditis, inire suffragium ad creandos
 ‘consules decet, et sibi sic quemque dicere: Hannibali
 ‘imperatorii parem consulem nomino. Hoc anno ad Ca-
 ‘pnam Iubellio Taureae Campano summo equiti provocanti
 ‘summus Romanus eques Asellus Claudius est oppositus.
 ‘Adversus Gallum, quondam provocantem in ponte Anienis,
 ‘T. Manlium, fidentem et animo et viribus, misere maiores
 ‘nostri. Ob eandem causam haud multis annis post fuisse

Comitia
consularia.

8.

Fabii Cos.
oratio de
deligendis
magna cu-
ra Ccsa.

8 *Provinciam, regnique fines*] Haec lectio stare nequit. Pighius emendat: *ad provinciae regnique fines*: id est, versus eam partem, ubi provincia regnum contingebat. Pulsis Sicilia primo Punico bello Carthaginiensibus, tota insula duas in partes divisa erat, quarum altera erat ditioris Romanorum, et ideo vocatur hic *provincia*; altera regnum Hieronis fuerat. CREV. Pighium sequitur Beker.

9 *Quem primum diem comitialem*] Non interiecto trinundino, quod, ex lege Hortensia, aliqui inter edictum et comitia intercedebat. Quippe ea lege effectum est, ut nundinae fastae essent. cf. Macrobian. Saturn. i. 16. Antea enim nundinae nefastae erant, in quibus comitia haberi non liceret. cf. Niebhr. ii. n. 483.

1 *Praeter urbem*] Non ingressus urbem, sed praeter moenia in campum Martium transgressus.

2 *Quum sors praerogativae Aniensi iuniorum exisset*] Quum sorte obtigisset centuriae iuniorum, quae Aniensis nominabatur, ut prima omnium suffragium ferret. Ceterum hoc notatu dignum est, omnes centurias quae a Livio peculiari nomine designantur, tribubus esse cognomines, hic Aniensem, xxvi. 22. Veturiam, xxvii. 6. Galeriam: unde apparet, quod et aliunde constat, centurias, quae initio ad tribuum divisionem nihil pertinuerant, postea in iis inclusas fuisse. Igitur hoc loco *Aniensis iuniorum* est centuria iuniorum ex Aniensi tribu educta. Vid. supr. i. 43. et v. 18. Ceterum huius loci emendatio Gronovio debetur. Adi doctissimi viri Observ. iv. i. CREV. cf. supr. x. 22.

3 *Asellus Claudius*] Supr. xxiii. 46. et 47.

4 *T. Manlium*] cf. Supr. vii. 10.

U. C. 537. 'non negaverim, cur M. Valerio non diffideretur, adversus 5
 A. C. 215. 'similiter provocantem arma capienti Gallum ad certamen.
 'Quemadmodum pedites equitesque optamus, ut validiores,
 'si minus, ut pares hosti habeamus; ita duci hostium
 'parem imperatorem quacramus. Quum, qui est summus
 'in civitate dux, cum legerimus; tamen repente lectus, in
 'annum creatus, adversus veterem ac perpetuum imperato-
 'rem comparabitur, nullis neque temporis, neque iuris in-
 'clusum angustiis, quo minus ita omnia gerat administretque,
 'ut tempora postulabunt belli: nobis autem in apparatu
 'ipso, ac tantum inchoantibus res, annus circumagitur.
 'Quoniam, quales viros creare vos consules deceat, satis est
 'dictum; restat, ut pauca de iis, in quos praerogativae
 'favor inclinavit, dicam. M. Aemilius Regillus flamen est
 'Quirinalis, quem neque mittere ab sacris, neque retinere
 'possumus, ut non deum aut belli deseramus curam. Ota-
 'cilius sororis meae filiam uxorem atque ex ea liberos habet.
 'Ceterum non ea vestra in me maioresque meos merita
 'sunt, ut non potio rem privatis necessitudinibus republi-
 'cam habeam. Quilibet nautarum vectorumque tranquillo
 'mari gubernare potest: ubi saeva orta tempestas est, ac
 'turbato mari rapitur vento navis, tum viro et gubernatore
 'opus est. Non tranquillo navigamus, sed iam aliquot pro-
 'cellis submersi paene sumus. Itaque, quis ad gubernacula
 'sedeat, summa cura providendum ac praevidendum vobis
 'est. In minore te experti, T. Otacili, re sumus: haud
 'sane, cur ad maiora tibi fidamus, documentum quicquam de-
 'disti. Classem hoc anno, cui tu praefuisti, trium rerum
 'causa paravimus: ut Africae oram populetur; ut tuta
 'nobis Italiae litora essent; ante omnia ne supplementum
 'cum stipendio commeatuque ab Carthagine Hannibali
 'transportaretur. Create consulem T. Otacilium, non dico,
 'si omnia haec, sed si aliquid eorum reipublicae praestitit. 6
 'Sin autem, te classem obtinente, etiam, velut pacato mari,
 'quaelibet Hannibali tuta atque integra ab domo venerunt;
 'si ora Italiae infestior hoc anno, quam Africae, fuit: quid
 'dicere potes, cur te potissimum ducem Hannibali hosti op- 7
 'ponant? Si consul esses, dictatorem dicendum exemplo
 'maiorum nostrorum censeremus: nec tu id indignari
 'posses, aliquem in civitate Romana meliorem bello haberi,
 'quam te. Magis nullius interest, quam tua, T. Otacili,
 'non imponi cervicibus tuis onus, sub quo concedas. Ego

5 *M. Valerio*] cf. Supr. vii. 26.

6 *Aliquid eorum*] Noster tamen
 supr. xxiii. 41. Otacilium agrum Car-
 thaginiensem depopulatum esse, et
 septem naves Punicas cum sociis na-

valibus cepisse scribit. Fabius ora-
 torum more haec omnia elevat. Duk.

7 *Hosti opponant*] *Opponamus* ex
 Salmasii emendatione recepit Bek-
 ker.

‘magnopere suadeo, eodem animo, quo, si stantibus vobis U. C. 537.
 ‘in aciem armatis repente deligendi duo imperatores essent, A. C. 215.
 ‘quorum ductu atque auspicio dimicaretis, hodie quoque
 8 ‘consules creetis: quibus sacramento liberi nostri dicant,
 ‘ad quorum edictum conveniant, sub quorum tutela atque
 9 ‘cura militent. Lacus Trasimenus et Cannae tristitia ad
 1 ‘recordationem exempla, sed ad praecavendum simile utili
 ‘documento sunt. Praeco, Aniensem iuniorum in suffra-
 ‘gium revoca.’

Quum T. Otacilius ferociter, cum continuare consulatum 9.
 velle, vociferaretur atque obstreperet, lictores ad eum acce-
 dere consul iussit: et, quia in urbem non inierat, protinus
 2 in campum ex itinere profectus, admonuit, cum securibus
 sibi fasces praeferrri. Iterum praerogativa suffragium init;
 creatique in ea consules Q. Fabius Maximus quartum, M.
 Marcellus tertium. Eosdem consules ceterae centuriae
 sine variatione ulla dixerunt. Et praetor unus relictus Q.
 3 Fulvius Flaccus: novi alii creati, T. Otacilius Crassus ite-
 rum, Q. Fabius consulis filius, qui tum aedilis curulis erat,
 P. Cornelius Lentulus. Comitibus praetorum perfectis, se-
 natusconsultum factum est, ‘ut Q. Fulvio extra ordinem
 4 ‘urbana provincia esset: isque potissimum, consulibus ad
 ‘bellum profectis, urbi praecesset.’ Aquae magnae bis eo
 anno fuerunt: Tiberisque agros inundavit cum magna
 strage tectorum, pecorumque et hominum pernicie.

Quinto anno secundi Punici belli, Q. Fabius Maximus U. C. 538.
 quartum, M. Claudius Marcellus tertium, consulatum in- A. C. 214.
 euntes, plus solito converterant in se civitatis animos. Q. Fabio IV. M.
 Multis enim annis tale consulum par non fuerat. Refere- Marcellus
 5 bant senes, sic Maximum Rullum cum P. Decio ad bellum III. Coss.

8 *Quibus sacramento*] Quorum in
 verba liberi vestri iurent, sollenni mi-
 litiae sacramento se obstringentes.
 Notae phrases, *sacramento dicere, ro-
 gari, adigi*. CREV.

9 *Tristitia ad recordationem exem-
 pla*] Ita Gronov. pro vulg. *triste* ...
exemplar, quod Stroth. servat.

1 *Ad praecavendum simile utili do-
 cumento*] *Ad praecavendas similes*,
 sub. clades, *utiles documento*. STROTH.
*Ad praecavendos similes duces docu-
 mento*, ex coniect. Gronov. reposuit
 Bekker. Sed Drakenb. et Crevier.
 cum Kreyssig. faciunt.

2 *Cum securibus sibi fasces prae-
 ferri*]—Intra urbem seures non prae-
 ferrebantur consulibus ex instituto Va-
 lerii Publicolae. At Fabius, qui ur-
 bem non inierat, eas etiamnum fasci-

bus illigatas habebat. Itaque admo-
 net Otacilium, se in eum statim anim-
 advertere posse, si in contumacia ac
 ferocia perseveret. CREV.

3 *Novi alii creati*] *Novi tres alii
 creati* ex emend. Gronov. reposuit
 Bekker.

4 *Urbana provincia*] se. Iurisdictio
 in urbe. *Provincia* enim universim de
 quovis negotio publico administrando
 dicitur, et de *provincia urbana* sae-
 pius ap. Livium mentio facta est. cf.
 Fragm. legis Thoriae ap. Pighium ad
 ann. U. C. 646. *Extra ordinem* vero
 erat, quando neque sortito, neque
 comparando praetores inter se con-
 venirent.

5 *Sic Maximum Rullum cum P.
 Decio*] Hi consules fuerunt U. C. 457.
 cf. supr. x. 24.

U. C. 538. Gallicum, sic postea Papirium Carviliūque adversus Sam-
A. C. 214 nites Bruttiosque, et Lucanum cum Tarentino populum,
consules declaratos. Absens Marcellus consul creatus,

Fabiolaudi quum ad exercitum esset; praesenti Fabio, atque ipso co-
est conti- mitia habente, consulatus continuatus. Tempus ac neces-
sulatus. sitas belli, ac discrimen summæ rerum faciebant, ne quis 7
aut in exemplum exquireret, aut suspectum cupiditatis im-
perii consulem haberet. Quin laudabant potius magnitu-
dinem animi, quod, quum summo imperatore esse opus
reipublicae sciret, seque cum haud dubie esse, minoris in-
vidiam suam, si qua ex re oriretur, quam utilitatem reipu-
blicae, fecisset.

10. Quo die magistratum inierunt consules, senatus in Capi-
tolio est habitus; decretumque omnium primum, ut con-
sules sortirentur, compararentve inter se, uter censoribus
creandis comitia haberet, priusquam ad exercitum proficis-
ceretur. Prorogatum deinde imperium omnibus, qui ad
exercitus erant, iussique in provinciis manere, Ti. Gracchus
Luceriae, ubi cum volonum exercitu erat, C. Terentius
Varro in agro Piceno, M. Pomponius in Gallico: et prae-
toribus prioris anni pro praetore Q. Mucius obtineret Sar-
diniam, M. Valerius ad Brundisium orae maritimae, inten-
tus adversus omnes motus Philippi Macedonum regis, prae-
esset. P. Cornelio Lentulo praetori Sicilia decreta provin-
cia; T. Otacilio classis eadem, quam adversus Carthagini-
enses priore anno habuisset.

Prodigia. Prodigia eo anno multa nuntiata sunt. Quae quo magis
credebant simplices ac religiosi homines, eo plura nuntia-
bantur: Lanuvii in aede intus Sospitae Iunonis corvos
nidum fecisse: in Apulia palmam viridem arsisse: Mantuae
stagnum effusum Mincio amni cruentum visum: et Calibus 9
creta, et Romae in foro boario sanguine pluuisse: et in vico 2
Insteio fontem sub terra tanta vi aquarum fluxisse, ut series 3

6 Sic postea Papirium Carviliū-
que] U. C. 480. cf. Fragm. Fast. Ca-
pitolin.

7 Ne quis aut in exemplum exqui-
reret] sc. In exemplum legis violan-
dae, quippe U. C. 413. lege cautum
est. "Ne quis eundem magistratum
intra decem annos caperet." cf. supr.
vii. 42.

8 M. Pomponius in Gallico] Hic
Manius Pomponius iubetur in agro
Gallico manere, quem eo missum esse
nusquam scriptum est. Quin contra
xxiii. 25. narratur placuisse senatui,
ut Gallia eo anno omitteretur. Rur-

sus idem ille Pomponius, qui hic Gal-
liam obtinere dicitur, infr. 17. in Cam-
pania praesidet castris super Suessu-
lam. CREV.

9 Stagnum effusum Mincio amni]
Stagnantes aquas, e Mincio amni ex-
undanti effusas.

1 Sanguine pluuisse] cf. Supr. xxiii.
31.

2 In vico Insteio] Istrico edd. plures.
Tuseo coniiciebat Gronov. Notum in
Romanis familiis vocabulum *Insteius*
fuit, sed de *vico Insteio* nulla alibi
occurrit mentio.

3 Series] Seriae sunt vasa fictilia,

doliaque, quae in eo loco erant, provoluta velut impetus U. C. 538.
 torrentis tulerit: tacta de coelo atrium publicum in Capi- A. C. 214.
 4tolio, aedem in campo Vulcani, arcem in Sabinis publicam-
 que viam, murum ac portam Gabiis. Iam alia vulgata
 miracula erant: hastam Martis Praeneste sua sponte pro-
 motam: bovem in Sicilia locutum: infantem in utero
 matris in Marrucinis, 'Io triumphe!' clamasse: ex muliere
 Spoleti virum factum: Hadriae aram in coelo, speciesque
 hominum circum eam, cum candida veste, visas esse. Quin
 5Romae quoque in ipsa urbe, secundum apum examen in
 foro visum, affirmantes quidam, legiones se armatas in Iani-
 culo videre, concitaverunt civitatem ad arma: qui tum in
 Ianiculo essent, negarunt, quemquam ibi, praeter assuetos
 collis eius cultores, apparuisse. Haec prodigia hostiis ma-
 ioribus procurata sunt ex haruspicum responso: et suppli-
 catio omnibus deis, quorum pulvinaria Romae essent, indicta
 est.

Perpetratis, quae ad pacem deum pertinebant, de repu- 11.
 blica belloque gerendo, et quantum copiarum, et ubi quaeque
 essent, consules ad senatum retulerunt. Duodeviginti le- 18. Legio-
 gionibus bellum geri placuit: binas consules sibi sumere: nes.
 binis Galliam, Siciliamque, ac Sardiniam obtineri: duabus-
 que Q. Fabium praetorem Apuliae, duabus volonum Ti.
 Gracchum circa Luceriam praeesse: singulas C. Terentio
 proconsuli ad Picenum, et M. Valerio ad classem circa
 Brundisium relinqui, et duas urbi praesidio esse. Hic ut
 numerus legionum expleretur, sex novae legiones erant
 scribendae. Eas primo quoque tempore consules scribere
 iussi, et classem parare: ut cum iis navibus, quae pro
 Calabriae litoribus in statione essent, centum quinquaginta
 longarum navium classis eo anno expleretur. Delectu Censores
 habito et centum navibus novis deductis, Q. Fabius comitia M. Atilius,
 censoribus creandis habuit. Creati M. Atilius Regulus et P. Furius.
 P. Furius Philus.

Quum increbesceret rumor, bellum in Sicilia esse, T.
 Otacilius eo cum classe proficisci iussus est. Quum dees- Nautae
 sent nautae, consules ex senatusconsulto edixerunt, 'ut, qui, privatis
 ' L. Aemilio, C. Flaminio censoribus, millibus aeris quinqu- imperati,
 ' ginta ipse aut pater eius census fuisset, usque ad centum

grandia ut videtur, septem enim am-
 phorarum commemorantur, quibus vi-
 num, oleum, salsamenta et alia hu-
 iusmodi condebantur. Formam urnae
 similem habuisse videntur ex Colum-
 mell. xii. 53. STROTH.

4 Aedem in campo Vulcani] Iun-
 gendum Vulcani aedem in campo pa-
 tet. Pro Arcem in Sabinis legebat

Valla nucem in Sabinis, quod Crev.
 et Bekker. receperunt, atque eam in-
 signem quandam et notam arborem
 fuisse censet Duker. cf. infr. xxvii.
 11.

5 Secundum apum examen] Se-
 cundum, id est, post. Postquam apum
 examen in foro visum esset. CREV.

U. C. 538. 'millia, aut cui postea res tanta esset facta, nautam unum
 A. C. 214. 'cum sex mensium stipendio daret: qui supra centum millia,
 'usque ad trecenta millia, tres nautas cum stipendio annuo:
 'qui supra trecenta millia, usque ad decies aeris, quinque
 'nautas: qui supra decies, septem: senatores octo nautas
 'cum annuo stipendio darent.' Ex hoc edicto dati nautae, 5
 armati instructique ab dominis, cum triginta dierum coctis 6
 cibariis naves conscenderunt. Tum primum est factum, ut
 classis Romana sociis navalibus privata impensa paratis
 compleretur.

12. Hic maior solito apparatus praecipue conterruit Campa-
 nos, ne ab obsidione Capuae bellum eius anni Romani
 inciperent. Itaque legatos ad Hannibalem oratum mise-
 runt, ut Capuam exercitum admoveret: 'ad eam oppu-
 'gnandam novos exercitus scribi Romae; nec ullius urbis
 'defectioni magis infensos eorum animos esse.' Id quia tam
 trepidi nuntiabant, maturandum Hannibal ratus, ne prae-
 venirent Romani, profectus Arpis, ad Tifata in veteribus 7
 castris super Capuam consedit. Inde, Numidis Hispanisque
 ad praesidium simul castrorum, simul Capuae relictis, cum
 cetero exercitu ad lacum Averni per speciem sacrificandi,
 re ipsa, ut tentaret Puteolos, quodque ibi praesidii erat,
 descendit. Maximus, postquam Hannibalem Arpis profec-
 tum, et regredi in Campaniam, allatum est, nec die nec
 nocte intermisso itinere, ad exercitum redit: et Ti. Grac-
 chum ab Luceria Beneventum copias admovere, Q. Fabium
 praetorem (is filius consulis erat) Luceriam Graccho succe-
 dere iubet. In Siciliam eodem tempore duo praetores pro-
 fecti, P. Cornelius ad exercitum, Otacilius, qui maritimae
 orae reiue navali praesset; et ceteri in suas quisque pro-
 vincias profecti: et, quibus prorogatum imperium erat, eas-
 dem, quas priore anno, regiones obtinuerunt.

13. Ad Hannibalem, quum ad lacum Averni esset, quinque
 nobiles iuvenes ab Tarento venerunt, partim ad Trasimenum
 lacum, partim ad Cannas capti, dimissique domos cum
 eadem comitate, qua usus adversus omnes Romanorum
 socios Poenus fuerat. Ii, 'memores beneficiorum eius per-
 'pulissem magnam partem se iuventutis Tarentinae,' referunt,
 'ut Hannibalis amicitiam ac societatem, quam populi Ro-
 'mani, mallent; legatosque ab suis missos rogare Hanni- 8
 'balem, ut exercitum propius Tarentum admoveat. Si

Legati Ta-
rentini ad
Hanniba-
lem.

5 *Ex hoc edicto*] Unde rationem
 classium Serviensium non amplius
 habitam fuisse liquet. cf. Niebhr. i.
 n. 1011. iii. n. 564.

6 *Ab dominis*] Ac proinde nautae
 illi erant servi, ut clare exprimitur.

infr. xxvi. 36. xxxiv. 6. CREV.

7 *Tifata*] Colles Capuae imminen-
 tes, cf. supr. vii. 29.

8 *Legatosque*] h. e. Se legatos ab
 suis missos esse, rogaturos Hanniba-
 lem, ut . . .

‘signa eius, si castra conspecta a Tarento sint, haud ullam U. C. 538.
 ‘intercessuram moram, quin urbs dedatur. In potestate A. C. 214.
 ‘juniorum plebem, in manu plebis rem Tarentinam esse.’

Hannibal collaudatos eos, oneratosque ingentibus promissis, domum ad coepta maturanda redire iubet: se in tempore affuturum esse. Hac cum spe dimissi Tarentini. Ipsum ingens cupido incesserat Tarenti potiundi. Urbem esse videbat, quum opulentam nobilemque, tum maritimam, et in Macedoniam opportune versam: regemque Philippum hunc portum, si transiret in Italiam, quum Brundisium Romani haberent, petiturum. Sacro inde perpetrato, ad quod Puteolos frustra tentat. venerat, et, dum ibi moratur, pervastato agro Cumano usque ad Miseni promontorium, Puteolos repente agmen convertit, ad opprimendum praesidium Romanum. Sex millia hominum erant, et locus munimento quoque, non natura modo, tutus. Triduum ibi moratus Poenus, ab omni parte tentato praesidio, deinde, ut nihil procedebat, ad populandum agrum Neapolitanum, magis ira quam potiundae urbis spe, processit. Adventu eius in propinquum agrum Nolana A Nolanis vocatur. mota est plebs, iam diu aversa ab Romanis et infesta senatui suo. Itaque legati ad arcessendum Hannibalem, cum haud dubio promisso tradendae urbis, venerunt. Praevenit inceptum eorum Marcellus consul, a primoribus Praevenit eum Marcellus. accitus. Die uno Suessulam a Calibus, quum Vulturis annis traicientem moratus esset, contenderat. Inde proxima nocte sex millia peditum, equitesque trecentos, qui praesidio senatui essent, Nolam intromisit: et, uti a consule omnia impigre facta sunt ad praeoccupandam Nolam, ita Hannibal tempus terebat; bis iam ante nequicquam tentata re, segnior ad credendum Nolanis factus.

14.
 Iisdem diebus et Q. Fabius consul ad Casilinum tentandum, quod praesidio Punico tenebatur, venit; et ad Beneventum, velut ex composito, parte altera Hanno ex Brutiis cum magna peditum equitumque manu, altera Ti. Gracchus ab Luceria accessit: qui primo oppidum intravit. Deinde, ut Hannonem tria millia ferme ab urbe ad Calorem fluvium castra posuisse, et inde agrum populari audivit, et ipse, egressus moenibus, mille ferme passus ab hoste castra locat, ibique concionem militum habuit. Legiones magna ex Hannonis et Gracchi exercitus ad Beneventum. parte volonum habebat, qui iam alterum annum libertatem tacite mereri, quam postulare palam, maluerant. Senserat tamen hibernis egrediens murmur in agmine esse quaerentium, ‘en unquam liberi militaturi essent?’ scripseratque senatui, non tam quid desiderarent, quam quid meruissent:

9 *En unquam*] Nunquamne. Ex- x. 8. et infr. xxx. 21. CREV.
 empla passim occurrunt, supr. iv. 3.

U. C. 538. 'bona fortique opera eorum se ad eam diem usum: neque
 A. C. 214. 'ad exemplum iusti militis quicquam iis, praeter libertatem, 1
 'deesse.' De eo permissum ipsi erat, faceret, quod e repu-
 blica duceret esse. Itaque prius, quam cum hoste manum
 consereret, pronuntiat, 'tempus venisse iis libertatis, quam
 'diu sperassent, potiundae. Postero die signis collatis
 'dimicaturum puro ac patenti campo, ubi sine ullo insidia-
 rum metu vera virtute geri res posset. Qui caput hostis
 'retulisset, eum se extemplo liberum iussurum esse: qui
 'loco cessisset, in eum servili supplicio animadversurum. 2
 'Suam cuique fortunam in manu esse: libertatis auctorem
 'iis non se fore solum, sed consulem M. Marcellum et uni-
 'versos Patres; quos, consultos ab se de libertate eorum,
 'sibi permisisse.' Literas inde consul ac senatusconsultum
 recitavit. Ad quae clamor cum ingenti assensu est sub-
 latus. Pugnam posebant, signumque ut daret extemplo,
 ferociter instabant. Gracchus, proelio in posterum diem
 pronuntiato, concionem dimisit. Milites laeti, praecipue
 quibus merces navatae in unum diem operae libertas futura
 erat, armis expediendis quod reliquum consumunt. Postero 3
 die, ubi signa coeperunt canere, primi omnium parati in-
 structique ad praetorium conveniunt. Sole orto, Gracchus
 in aciem copias educit: nec hostes moram dimicandi fece-
 runt. Decem et septem millia peditum erant, maxima ex
 parte Brutii ac Lucani: equites mille ducenti; inter quos
 pauci admodum Italici, ceteri Numidae fere omnes Mauri-
 que. Pugnatum est et acriter, et diu. Quattuor horis
 neutro inclinata est pugna: nec alia magis Romanum im-
 pediebat res, quam capita hostium pretia libertati facta.
 Nam ut quisque hostem impigre occiderat, primum capite
 aegre inter turbam tumultumque abscidendo tempus terebat: 4
 deinde, occupata dextra tenendo caput, fortissimus quisque
 pugnator esse desierat: segnibus ac timidis tradita pugna
 erat. Quod ubi tribuni militum Graccho nuntiaverunt,
 'neminem stantem iam vulnerari hostem, carnificari iacentes,
 'et in dextris militum pro gladiis humana capita esse:' sig-
 num dari propere iussit, 'proiicerent capita, invaderentque
 'hostem. Claram satis et insignem virtutem esse: nec
 'dubiam libertatem futuram strenuis viris.' Tum redinte-
 grata pugna est, et eques etiam in hostem emissus. Quibus

Gracchus
 iis liberta-
 tem pro-
 mittit, qui
 capita hos-
 tium retu-
 lissent.

15.

Acris pu-
 gna.

1 *Ad exemplum iusti militis*] Ut
 similes plane sint vero et suis omni-
 bus numeris absoluto militi. *Iusto*
militi, quemadmodum *iusta arma*,
 infr. xxii. 48. *iusti armis*, supr. i. 4.
 CREV.

2 *Servili supplicio*] sc. Verberibus,

cruciatibus, et ipsa cruce. STROTH.

3 *Quod reliquum*] Sub. *Diei*, quam
 vocem loco voeis *quod* substituendam
 censet Gronov.

4 *Abscidendo*] Ita Drakenb. pro
abscidendo, ab *abs* et *caedo*, probante
 Crev. et Gronov.

5 quum impigre Numidae occurrissent, nec segnior equitum, U. C. 538.
 quam peditum, pugna esset, iterum in dubium adducta res; A. C. 214.
 quum utrimque duces, Romanus Bruttium Lucanumque,
 toties a maioribus suis victos subactosque; Poenus mancipia
 6 Romana et ex ergastulo militem verbis obtereret. Postremo
 pronuntiat Gracchus, 'esse nihil, quod de libertate spera-
 'rent, nisi eo die fusi fugatique hostes essent.' Ea demum 16.
 7 vox ita animos accendit, atque renovato clamore, velut alii Romani
 repente facti, tanta vi se in hostem intulerunt, ut sustineri vineunt.
 ultra non possent. Primo antesignani Poenorum, deinde
 signa perturbata, postremo tota impulsae acies; inde haud
 dubie terga data, ruuntque fugientes in castra, adeo pavidum
 trepidumque, ut ne in portis quidem aut vallo quisquam re-
 stiterit, ac prope continenti agmine Romani insecuti, novum
 de integro proelium inclusi hostium vallo ediderint. Ibi
 sicut pugna impeditior in angustiis, ita caedes atrocior fuit:
 et adiuvere captivi, qui, rapto inter tumultum ferro, conglo-
 bati et ab tergo ceciderunt Poenos, et fugam impediunt.
 Itaque minus duo millia hominum ex tanto exercitu, et ea
 maior pars equitum, cum ipso duce effugerunt: alii omnes
 caesi aut capti. Capta et signa duodequadragenta. Ex
 victoribus duo millia ferme cecidere. Praeda omnis (prae-
 terquam hominum captorum) militi concessa est: et pecus
 exceptum est, quod intra dies triginta domini cogno-
 vissent.

Quum praeda onusti in castra redissent, quattuor millia
 ferme volonum militum, qui pugnaverant segnius, nec in
 castra irruperant simul, metu poenae collem haud procul
 castris ceperunt. Postero die per tribunos militum inde
 8 deducti, concione militum advocata a Graccho, superve-
 niunt. Ubi quum proconsul veteres milites primum, prout Volonibus
 cuiusque virtus atque opera in ea pugna fuerat, militaribus libertas da-
 donis donasset, tunc, quod ad volones attineret, 'omnes,' tur.
 ait, 'malle laudatos a se, dignos indignosque, quam quem-
 'quam eo die castigatum esse. Quod bonum, faustum,
 'felixque reipublicae ipsisque esset, omnes eos liberos esse
 'inbere.' Ad quam vocem quum clamor ingenti alacritate
 sublatus esset, ac nunc complexi inter se gratulantesque,
 nunc manus ad coelum tollentes, bona omnia populo Ro-
 mano Gracchoque ipsi precarentur; tum Gracchus: 'Pri-
 'usquam omnes iure libertatis aequassem,' inquit, 'nemi-

5 *Numidae occurrissent*] Edd. post Aldum *concurrissent*, sed *occurrissent* a Drakenh. et Stroth. probatur.

6 *Verbis obtereret*] cf. Supr. xxiii. 43.

7 *Ita animos accendit*] *Ira* ex coniectura Gronov. pro *ita* reposuit Bek-

ker. qui. interpunctione post *accendit* posita, particulam *atque* omittit.

8 *Concione militum advocata*] Vocem *militum*, ut quae odiose ex verbis praecedentibus repetita sit, omiserunt Crev. et Bekker.

U. C. 538. 'nem nota strenui aut ignavi militis notasse volui. Nunc,
 A. C. 214. 'exsoluta iam fide publica, ne discrimen omne virtutis
 'ignaviaeque pereat, nomina eorum, qui, detrectatae pu-
 'gnae memores, secessionem paullo ante fecerunt, referri ad
 'me iubebo: citatosque singulos iureiurando adigam, nisi
 'queis morbus causa erit, non aliter, quam stantes, cibum 9
 'potionemque, quoad stipendia facient, capturos esse.
 'Hanc multam ita aequo animo feretis, si reputabitis, nulla
 'ignaviae nota leviores vos designari potuisse.' Signum
 deinde colligendi vasa dedit: militesque praedam portantes
 agentesque, per lasciviam ac iocum, ita ludibundi Bene-
 ventum rediere, ut ab epulis per celebrem festumque diem
 actis, non ex acie, reverti viderentur. Beneventani omnes
 turba effusa quum obviam ad portas exissent, complecti
 milites, gratulari, vocare in hospitium. Apparata convivia
 omnibus in propatulo aedium fuerant: ad ea invitabant, 1
 Gracchumque orabant, ut epulari permetteret militibus.
 Et Gracchus ita permisit, in publico epularentur omnes. 2
 Ante suas quibusque fores prolata omnia. Pileati, aut 3
 lana alba velatis capitibus volones epulati sunt; alii accu- 4
 bantes, alii stantes, qui simul ministrabant vescebanturque.
 Digna res visa, ut simulacrum celebrati eius diei Gracchus,
 postquam Romam rediit, pingi iuberet in aede Libertatis,
 quam pater eius in Aventino ex multaticia pecunia faci- 5
 endam curavit dedicavitque.

17.

Marcellus
 obviam it
 Hannibali.

Dum hacc ad Beneventum geruntur, Hannibal, depopu-
 latus agrum Neapolitanum, ad Nolam castra movet. Quem
 ubi adventare consul sensit, Pomponio propractore cum eo 6
 exercitu, qui super Suessulam in castris erat, accito, ire
 obviam hosti parat, nec moram dimicandi facere. C. Clau-
 dium Neronem cum robore equitum silentio noctis per
 aversam maxime ab hoste portam emittit: circumvectum-
 que occulte subsequi sensim agmen hostium iubet, et, quum
 coortum proelium videret, ab tergo se obicere. Id errore

9 *Non aliter, quam stantes*] Etiam
 in coena. Nam vulgo omnes stantes
 prandebant. cf. Lips. de Mil. Rom.
 xvi. et xviii. DUK.

1 *In propatulo aedium*] Id est, ut
 recte explicat Douiatius, intra aedes
 quidem, sed loco aperto, nudoque sub
 aetheris axe. At *in publico* est extra
 aedes, in ipsa via publica. Itaque,
 quum Gracchus non permisisset mili-
 tibus epulari, nisi ea lege ut in publico
 vescerentur, Beneventani ante fores
 quisque protulisse sua omnia dicun-
 tur. CREV.

2 *Ita permisit, in publico*] Saepe
 vocabulum *ut* post verba permittendi

omittitur. cf. infr. xxxiii. 45. DRAC.

3 *Pileati*] Pileus erat libertatis re-
 ceptae signum. Hinc infr. 32. "Ser-
 vi ad pileum vocati." cf. Sueton.
 Ner. 57.

4 *Lana alba*] Qua tanquam in-
 signi futurae libertatis utebantur.

5 *Faciendam curavit*] Quam cen-
 sor aut potius aedilis curulis exegerat.
 cf. supr. x. 33.

6 *Pomponio propractore*] Assigna-
 tio itaque provinciarum in initio anni
 facta iam mutata, ac praefectura cas-
 trorum super Suessulam Pomponio
 data esse videtur. cf. supr. 10. DRAC.

viarum, an exiguitate temporis, Nero exsequi non potuerit, U. C. 538.
A. C. 214.
Romani
vincunt.
incertum est. Absente eo quum proelium commissum
esset, superior quidem haud dubie Romanus erat; sed,
quia equites non affluere in tempore, ratio compositae rei
turbata est. Non ausus insequi cedentes Marcellus, vin-
centibus suis signum receptui dedit. Plus tamen duo
millia hostium eo die caesa traduntur: Romani minus
quadringentis. Solis fere occasu Nero, diem noctemque
nequicquam fatigatis equis hominibusque, ne viso quidem
7 hoste rediens, adeo graviter est ab consule increpitus, ut
per eum stetisse diceret, quo minus accepta ad Cannas
redderetur hosti clades. Postero die Romanus in aciem
descendit: Poenus, tacita etiam confessione victus, castris
se tenuit. Tertio die silentio noctis, omissa spe Nolae po-
tius, rei nunquam prospere tentatae, Tarentum ad cer-
tiorum spem prodicionis proficiscitur.

Nec minore animo res Romana domi, quam militiae, 18.
Censura
Romae se-
vere exer-
cita.
8 gerebatur. Censores, vacui ab operum locandorum cura,
propter inopiam aerarii, ad mores hominum regendos
animum adverterunt, castigandaque vitia, quae, velut diu-
9 tinis morbis aegra corpora ex se gignunt, nata bello erant.
Primum eos citaverunt, qui post Cannensem pugnam rem-
1 publicam deseruisse, Italiaque excessisse velle dicebantur.
Princeps eorum L. Caccilius Metellus quaestor tum forte
erat. Iusso deinde eo ceterisque eiusdem noxae reis cau-
sam dicere, quum purgari nequissent, pronuntiarunt, verba
orationemque eos adversus rempublicam habuisse, quo
coniuratio deserendae Italiae causa fieret. Secundum eos
2 citati nimis callidi exsolvendi inrisiurandi interpretes; qui
captivorum, ex itinere regressi clam in castra Hannibalis,
solutum, quod iuraverant redituros, rebantur. His supe-
3 rioribusque illis equi adempti, qui publicum equum habe-
4 bant: tribuque moti, aerarii omnes facti. Neque senatu
modo aut equestri ordine regendo cura se censorum tenuit.
5 Nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpserunt, qui

7 *Ut per eum stetisse diceret*] Eum in mora, in culpa fuisse. cf. supr. ii. 31.

8 *Operum locandorum*] Aedificiorum publicae exstruendorum et redemptoribus locandorum. STROTH.

9 *Ex se gignunt*] sc. Vitia, quae vox ex priori membro orationis rependa est. DRAC.

1 *Deseruisse, Italiaque excessisse velle dicebantur*] cf. Muretus iii. p. 349. Hoc loquendi genere, *fecisse velle*, Romani significabant "voluntatem, quae foras erupisset, seque iam

actione aliqua prodidisset." cf. infr. xxxix. 15.

2 *Interpretes*] cf. Supr. xxii. 18.

3 *Equi adempti*] De ademptione equi publici cf. Niebhr. i. n. 1015.

4 *Tribuque moti*] Non modo tribum mutare iussi, sed ex omnibus tribubus emoti, atque inter aerarios relati. cf. infr. xlv. 15.

5 *Ex iuniorum tabulis*] *Iuniores* omnes, qui annos septendecim usque ad quadraginta quinque haberent. cf. supr. i. 43.

U. C. 538. quadriennio non militassent, quibus neque vacatio insta
 A. C. 214. militiae, neque morbus causa fuisset. Et ea supra duo
 millia nominum in aerarios relata, tribuque omnes moti.
 Additumque inerti censoriae notae triste senatusconsultum :
 ut ii omnes, quos censores notassent, pedibus mererent,
 mitterenturque in Siciliam ad Cannensis exercitus reliquias,
 cui militum generi non prius, quam pulsus Italia hostis esset,
 finitum stipendiorum tempus erat.

Liberalitas
 privatorum
 erga Remp.

Quum censores, ob inopiam aerarii, se iam locationibus
 abstinerent aedium sacrarum tuendarum, curuliumque 7
 equorum praebendorum, ac similium his rerum; convenere
 ad eos frequentes, qui hastae huius generis assueverant : 8
 hortatique censores, ‘ut omnia perinde agerent, locarent,
 ‘ac si pecunia in aerario esset. Neminem, nisi bello con-
 ‘fecto, pecuniam ab aerario petiturum esse.’ Convenere
 deinde domini eorum, quos Ti. Sempronius ad Beneventum
 manu emiserat : arcessitosque se ab triumviris mensariis 9
 esse dixerunt, ut pretia servorum acciperent : ceterum non
 ante, quam bello confecto, accepturos esse. Quum haec
 inclinatio animorum plebis ad sustinendam inopiam aerarii
 fieret; pecuniae quoque pupillares primo, deinde viduarum,
 coeptae conferri : nusquam eas tutius sanctiusque deponere
 credentibus, qui deferebant, quam in publica fide. Inde,
 si quid emptum paratumque pupillis ac viduis foret, a quae- 1
 store perscribebatur. Manavit ea privatorum benignitas ex
 urbe etiam in castra, ut non eques, non centurio stipendium
 acciperent, mercenariumque increpantes vocarent, qui ac-
 cepisset.

19. Q. Fabius consul ad Casilinum castra habebat, quod

6 *Inerti censoriae notae*] h.e. Quod alioquin hoc tempore iners esset, quum aerarii in legionibus non militarent.

7 *Curuliumque equorum*] “Curules equi quadrigales,” inquit Festus, id est, ex interpretatione Dukeri, qui glossariis veteribus, et codice tam Theodosiano quam Iustiniano nititur, ad vehendas quadrigas in ludis Circensibus publico sumptu praebiti. Hi ab redemptoribus pretio, locantibus censoribus, ex aerario accepto praebantur. STROTH.

8 *Hastae huius generis*] Hastae subiiciebantur, id est, hasta posita venibant, quaecunque publice venundabant Romani; more inde deducto, quod primis temporibus ea tantum publice venibant, quae bello capta fuerant. Ad hastam quoque fiebant locationes publicorum operum. Ita-

que *qui hastae huius generis assueverant* ii sunt, qui similibus rebus conducendis assueverant. CREV.

9 *Triumviris mensariis*] Vid. supr. xxiii. 21.

1 *Si quid emptum*] Si quid a tutoribus in usum viduarum vel pupillorum emptum esset, creditoribus scriptura dabatur, qua ad quaestorem remissa, aut pretium rei venditae, aut scripturam publica fide munitam accipiebant. Hoc primum apud Romanos exemplum est eius ad sustinendam aerarii inopiam inventae rationis, quae apud hodiernos pervulgata est, Anglice, *a paper currency*. cf. supr. vii. 21. Quoniam consilio publico mensae in foro posita sunt, Anglice, *a bank of deposits*, et quinqueviri mensarii publica fide nomina tarda dissolvebant. De voce *viduis*, cf. supr. i. 43.

dum millium Campanorum, et septingentorum militum U. C. 538.
Hannibalis tenebatur praesidio. Praecerat Statius Metius, A. C. 214.
² missus ab Cn. Magio Atellano: qui eo anno Medixtuticus, Fabius Casilinum obsidet.
erat, servitiaque et plebem promiscue armabat, ut castra
Romana invaderet, intento consule ad Casilinum op-
pugnandum. Nihil eorum Fabium fefellit. Itaque Nola
³ ad collegam mittit, 'altero exercitu, dum Casilinum op-
'pugnatur, opus esse, qui Campanis opponatur. Vel ipse,
'reliecto Nolae praesidio modico, veniret: vel, si cum Nola
'teneret, et necdum securae res ab Hannibale essent, se
'Ti. Gracchum proconsulem a Benevento accitutum.' Hoc Marcellus eodem cum exercitu venit.
nuntio Marcellus, duobus militum millibus Nolae in praesidio relictis, cum cetero exercitu Casilinum venit, adven-
tuque eius Campani, iam moventes sese, quieverunt. Ita
a duobus consulibus Casilinum oppugnari coeptum. Ubi
quum multa, succedentes temere moenibus, Romani milites
acciperent vulnere, neque satis inceptis succederet: Fabius,
⁴ omittendam rem parvam ac iuxta magnis difficilem, abscen-
dendumque inde censebat, quum res maiores instarent.
Marcellus, 'multa magnis ducibus sicut non aggredienda,
⁵ 'ita semel aggressis non dimittenda esse,' dicendo, 'quia
'magna famae momenta in utramque partem fierent,' tenuit,
ne irritum incepto abiretur. Vineae inde omniaque alia
operum machinationumque genera quum admoventur,
Campanique Fabium orarent, ut abire Capuam tuto liceret:
paucis egressis, Marcellus portam, qua egrediebantur, occu-
pavit, caedesque promiscue omnium circa portam primo,
deinde, irruptione facta, etiam in urbe fieri coepta est.
Quinquaginta fere primo egressi Campanorum, quum
ad Fabium confugissent, praesidio eius Capuam per-
venerunt. Casilinum, inter colloquia cunctationemque Casilinum captum.
petentium fidem, per occasionem captum est. Captivi,
quique Campanorum, quique Hannibalis militum erant,
Romam missi, atque ibi in carcere inclusi sunt: oppi-
danorum turba per finitimos populos in custodiam divisa.

Quibus diebus a Casilino, re bene gesta, recessum est, iis 20.

Gracchus in Lucanis aliquot cohortes, in ea regione con-
scriptas, cum praefecto sociorum in agros hostium praedatum
misit. Eos effuse palatos Hanno adortus, haud multo mi-
nore, quam ad Beneventum acceperat, reddidit hosti In Lucanis accepta clades.

² *Medixtuticus*] Summus Capuae magistratus. cf. supr. xxiii. 35.

³ *Ad collegam mittit, altero exercitu . . . opus esse*] Mittit literas, quibus monebat collegam altero exercitu opus esse. Vid. similem loquendi modum, supr. viii. 23. CREV.

⁴ *Iuxta magnis*] Aequae ac magnas. CREV.

⁵ *Quia magna famae momenta*] Tam in bonam partem, si res semel suscepta obtineretur, quam in malam si dimitteretur. RASCI.

U. C. 538. eladem, atque in Bruttios raptim, ne Gracchus assequeretur,
 A. C. 214. concessit. Consules, Marcellus retro, unde venerat, Nolam
 Fabius Samnium vastat. redit; Fabius in Samnium ad populandos agros recipien-
 dasque armis, quae defecerant, urbes processit. Caudinus
 Samnis gravius devastatus; perusti late agri, praedae pecu-
 dum hominumque actae. Oppida vi capta, Compulteria,
 Telesia, Compsa, Melae, Fulfulae et Orbitanium. Ex
 Lucanis Blandae: Apulorum Accae oppugnatae. Millia 6
 hostium in his urbibus viginti quinque capta, aut occisa:
 et recepti perfugae trecenti septuaginta; quos quum Ro-
 man misisset consul, virgis in comitio caesi omnes, ac de 7
 saxo deiecti. Haec a Q. Fabio intra paucos dies gesta.
 Marcellum ab gerundis rebus valetudo adversa Nolae
 tenuit. Et a praetore Q. Fabio, cui circa Luceriam pro-
 vincia erat, Accua oppidum per eos dies vi captum: stati-
 vaeque ad Ardoneas communita.

Perfugae
 virgis caesi
 et de saxo
 deiecti.

Ad Taren-
 tum castra
 ponit Han-
 nibal.

M. Livius
 Tarentum
 tuctur.

Hannibal
 Salapiam
 se confert.

Dum haec aliis locis ab Romanis geruntur, iam Tarentum
 pervenerat Hannibal, cum maxima omnium, quacunque
 ierat, clade. In Tarentino demum agro pacatum incedere
 agmen coepit. Nihil ibi violatum, neque usquam via ex-
 cessum est: apparebatque, non id modestia militum aut
 ducis, nisi ad conciliandos Tarentinorum animos, fieri. 8
 Ceterum quum propemodo muris accessisset, nullo ad con- 9
 spectum primi agminis, ut rebatur, motu facto, castra ab
 urbe ferne passus mille locat. Tarenti, triduo ante, quam
 Hannibal ad moenia accederet, a M. Valerio propratore,
 qui classi ad Brundisium praecerat, missus M. Livius, pri- 1
 more iuventute conscripta, dispositisque ad omnes portas,
 circaque muros, qua res postulabat, stationibus, die ac nocte
 plurimum intentus, neque hostibus, neque dubiis sociis loci
 quicquam praeiuit ad tentandum. Quare diebus aliquot
 frustra ibi absumptis, Hannibal, quum eorum nemo, qui ad
 lacum Averni adissent, aut ipsi venirent, aut nuntium lite-
 rasve mitterent, vana promissa se temere secutum cernens,
 castra inde movit. Tum quoque, intacto agro Tarentino,
 quanquam simulata lenitas nihildum profuerat, tamen spe
 labefactandae fidei haud absistens, Salapiam ut venit, fru-
 mentum ex agris Metapontino atque Heracleensi (iam

6 *Accae oppugnatae*] *Expugnatae*
 ex emend. Gronov. recepit Bekker.

7 *De saxo deiecti*] sc. Tarpeio.
 Illa pars Capitolini montis, de qua
 damnati deiciebantur, simpliciter vo-
 cabatur *saxum*. STROTH.

8 *Nisi ad conciliandos*] Particulam
nisi pro *sed* apud Plautum, Teren-
 tium, et Ciceronem usurpatam esse
 monet Gronov. cf. Cic. ad Att. v.

14. Caes. de B. Gall. v. 13.

9 *Muris accessisset*] *Successisset* ex
 emend. Gronov. reposuit Bekker.

1 *M. Livius*] Hoc nomen ex Si-
 gonii coniectura addidit Gronov. Et
 quidem sic vocatur hic Tarenti prae-
 fectus, infr. xxvi. 39. xxvii. 25. Poly-
 bius viii. 27. in praenomine dissentit,
 eumque appellat *C. Livium*. CREV.

media aetas exacta erat, et hibernis placebat locus) com-
portat. Praedatum inde Numidae Maurique per Sallenti-
num agrum proximosque Apuliae saltus dimissi: unde ce-
terae praedae haud multum, equorum greges maxime
abaeti; e quibus ad quattuor millia domanda equitibus
divisa.

Romani, quum bellum nequaquam contemnendum in
Sicilia oriretur, morsque tyranni duces magis impigros de-
disset Syracusanis, quam causam aut animos mutasset, M.
Marcello alteri consulum eam provinciam decernunt. Se-
cundum Hieronymi caedem primo tumultuatum in Leon-
tinis apud milites fuerat, vociferatumque ferociter, paren-
tandum regi sanguine coniratorum esse. Deinde libertatis
restitutae dulce auditu nomen crebro usurpatum, spes facta
ex pecunia regia largitionis, militiaeque fungendae potiori-
bus ducibus, et relata tyranni foeda scelera foedioresque
libidines, adeo mutavere animos, ut insepultum iacere cor-
pus paullo ante desiderati regis paterentur. Quum ceteri
ex coniuratis ad exercitum obtinendum remansissent, Theo-
dotus et Sosis regis equis, quanto maximo cursu poterant,
ut ignaros omnium regios opprimerent, Syracusas contem-
dunt. Ceterum praevenerat non fama solum, (qua nihil in
talibus rebus est celerius) sed nuntius etiam ex regis servis.
Itaque Andranodorus et Insulam, et arcem, et alia, quae
poterat, quaeque opportuna erant, praesidiis firmarat. Hex-
apylo Theodotus ac Sosis post solis occasum iam obscura
luce invecti, quum cruentam regiam vestem atque insigne
capitis ostentarent, travecti per Tycham, simul ad liberta-
tem, simul ad arma vocantes, in Achradinam convenire
iubent. Multitudo pars procurrit in vias, pars in vestibulis

21.
Rerum sta-
tus in Sici-
lia.

Andrano-
dorus ar-
cem Syra-
cusis occu-
pat.

2 *Causam*] Similiter Cicero hac voce utitur ad designandas partes Caesarianas aut Pompeianas. cf. Or. pro Marc. 2. et 31.

3 *Parentandum*] Expiandam regis mortem, Manes regis placandos. CREV.

4 *Dulce auditu nomen*] Olim *aud-
ditum*. Mutavit merito Gronovius: et hanc eius coniecturam firmat mar-
go Victor. codicis. CREV.

5 *Militiaeque fungendae potiori-
bus ducibus*] Militandi sub potioribus
ducibus, quam erant illi tyranni as-
sentatores, quibus imperia Hierony-
mus demandabat. Gronovius recte
emendavit *militiaeque*, pro *militi at-
que*. At quod idem iussit legi *potio-
ris*, in eo illi assentiri non potuimus.
CREV.

6 *Ad exercitum obtinendum*] Ut ex-

ercitum in potestate haberent. CREV.

7 *Insulam*] sc. Ortygiam, quae ho-
die urbs est Syracusae. De quat-
tuor Syracusarum regionibus, Insula,
Achradina, Tycha, Neapoli, cf. Cic.
in Verr. iv. 52, et 53. Arcem autem
potiorem Insulae partem fuisse monet
Drak. Nomina quidem regionum ur-
bis minime cum iis quae ap. Thucyd.
vi. et vii. exstant, conveniunt. In
Thucyd. vi. 98. Sycae nomen est regi-
oni, quae, haud scio, an Tycheae con-
gruat. Fieri tamen potest ut Hiero-
nis tempore multa adiecta mutataque
fuissent. GLAREAN.

8 *Hexapylo*] Hexapylum portam
fuisse istius partis Syracusarum, quae
Tycha dicebatur, docet Cluver. Sicil.
Ant. i. 12. cf. infr. xxv. 24. Strothio
pars quaedam urbis portae proxima
eodem nomine appellata fuisse videtur.

U. C. 538. stat, pars ex tectis fenestrisque prospectant, et, quid rei sit, A. C. 214. rogitant. Omnia luminibus collucent, strepituque vario complentur. Armati locis patentibus congregantur: inermes ex Olympii Iovis templo spolia Gallorum Illyriorumque, dono data Hieroni a populo Romano, fixaque ab eo, detrahunt, precantes Iovem, ut volens propitius praebeat sacra arma, pro patria, pro deum delubris, pro libertate sese armantibus. Haec quoque multitudo, stationibus per principes regionum urbis dispositis, adiungitur. In Insula inter cetera Andranodorus praesidiis firmat horrea publica. Locus, saxo quadrato saeptus, atque arcis in modum cinctus, capitur ab iuventute, quae praesidio eius loci attributa erat, mittuntque nuntios in Achradinam, horrea frumentumque in senatus potestate esse.

22.

Polyaeni
oratio libera
et moderata.

Luce prima populus omnis armatus inermisque in Achradinam ad curiam convenit. Ibi pro Concordiae ara, quae in eo sita loco erat, ex principibus unus nomine Polyaenus concionem et liberam et moderatam habuit: 'Servitudinis
'indignitatisque homines expertos, adversus notum malum
'irritatos esse. Discordia civilis quas importet clades, au-
'disce magis a patribus Syracensanos, quam ipsos vidisse.
'Arma quod impigre ceperint, laudare: magis laudaturum,
'si non utantur, nisi ultima necessitate coacti. In praesentia
'legatos ad Andranodorum mitti placere, qui denuntient,
'ut in potestate senatus ac populi sit: portas Insulae pate-
'faciat, reddat praesidium. Si tutelam alieni regni suum
'regnum velit facere, eundem se censere, multo acrius ab
'Andranodoro, quam ab Hieronymo, repeti libertatem.'

Legati mit-
tuntur ad
Andranodo-
rum.

Ab hac concione legati missi sunt. Senatus inde haberi coeptus est: quod sicut, regnante Hierone, manserat publicum consilium, ita post mortem eius, ante eam diem, nulla de re neque convocati, neque consulti fuerant. Ut ventum ad Andranodorum est, ipsum quidem movebat et civium consensus, et quum aliae occupatae urbis partes, tum pars Insulae munitissima velut prodita atque alienata. Sed evocatum cum ab legatis Damarata uxor, filia Hieronis, inflata adhuc regiis animis ac muliebri spiritu, admonet

7 *Per principes regionum*] Per primarias urbis regiones. STROTH.

8 *Servitudinis*] Vocabulum *servitudo* in hoc solo Livii loco invenitur, nisi quod infr. xxxix. 37. in cod. Laud. recurrit. Ceterum ap. Festum, *Eritudo* aut *servitudo* notatur. *Expertus* eum genitivo ex Virg. et Tacit. etiam lexica habent.

9 *Reddat praesidium*] Ita pro vulg. *recedat praesidium* emendavit Gro-

nov. *Praesidium* autem hic intelligit Crevier. locum ipsum praesidio firmatum; Strothius vero ita vertit, *reddat* civitate iuventutem, seu eos milites, qui *praesidio* Insulae attributi sunt.

1 *Munitissima velut prodita*] Vulg. *velut munitissima*, pro quo *vel munitissima* coniecit Gronov., quem Stroth. et Bekker. secuti sunt.

² saepe usurpatae Dionysii tyranni vocis: qua, 'pedibus tra- U. C. 538.
 'ctum, non insidentem equo, relinquere tyrannidem,' dixerit, A. C. 214.
 'debere. Facile esse momento, quo quis velit, cedere pos-
 'sessione magnae fortunae: facere et parare eam difficile
 'atque arduum esse. Paullum sumeret spatii ad consul-
 'tandum ab legatis. Eo uteretur ad arcessendos ex Leon-
 'tinis milites: quibus si pecuniam regiam pollicitus esset,
 'omnia in potestate eius futura.' Haec muliebria consilia
 Andranodorus neque tota aspernatus est, neque extemplo
 accepit: tutiorem ad opes affectandas ratus esse viam, si in
 praesentia tempori cessisset. Itaque legatos renuntiare
 iussit, futurum se in senatus ac populi potestate. Postero
 die luce prima, patefactis Insulae portis, in forum Achradi-
 nae venit. Ibi in aram Concordiae, ex qua pridie Polyae-
 nus concionatus erat, ascendit: orationemque eam orsus
 est, qua primum cunctationis suae veniam petivit. 'Se Oratio eius
 'enim clausas habuisse portas, non separantem suas res a ad Syracu-
 'publicis, sed strictis semel gladiis timentem, qui finis cac- sanos.
 'dibus esset futurus: utrum, quod satis libertati foret, con-
 'tenti nece tyranni essent, an, quicumque aut propinquitate,
 'aut affinitate, aut aliquibus ministeriis regiam contigissent,
³ 'alienae culpae rei trucidarentur. Postquam animadvertit,
 'eos, qui liberassent patriam, servare etiam liberatam velle,
⁴ 'atque undique consuli in medium; non dubitasse, quin et
⁵ 'corpus suum, et cetera omnia, quae suae fidei tutelaeque
 'essent, quoniam eum, qui mandasset, suis furor absum-
 'psisset, patriae restitueret.' Conversus deinde ad interfe-
 ctore tyranni, ac nomine appellans Theodotum ac Sosim:
 'Facinus,' inquit, 'memorabile fecistis. Sed, mihi credite,
 'inchoata vestra gloria, nondum perfecta, est; periculuni-
⁶ 'que ingens manet, nisi paci et concordiae consulitis, ne
 'libera efferatur respublica.'

Post hanc orationem claves portarum pecuniaeque regiae 23.

² *Pedibus tractum*] cf. Diod. Sic. xiv. 8. qui Philistum huius vocis auctorem tradit.

³ *Postquam animadvertit*] *Animadvertit*, quod orationis sententia, utpote obliqua, postulat, ex emendatione Gronov. reposuerunt Stroth. et Bekker.

⁴ *Undique consuli in medium*] Neminem sibi proprias opes quaerere, sed undique conspirari in communem salutem. CREV.

⁵ *Quae suae fidei tutelaeque essent*] Quae ad suam fidem tutelamque pertinerent, quae suae fidei tutela commissa essent. CREV.

⁶ *Ne libera efferatur respublica*]

Exponit Sigonius: ne libera intereat respublica; ne id unum ex morte tyranni fructus capiat, ut libera intereat. Interpretationem suam firmat consimili exemplo infr. xxviii. 28. *Meo unius funere elatu esset respublica*. Aliter intelligit Gronovius, nempe, ne respublica libertati recens partae moderari nequeat, et eam in lasciviam vertat. Nobis potius videtur Sigonii interpretatio. CREV. Equidem contra Crevierii et Strothii opinionem cum Gronoviis Duker. Drakenb. et Douiat. censeo hunc locum ita vertendum esse "ne respublica insolentius se efferat."

U. C. 538. ante pedes eorum posuit. Atque illo quidem die dimissi
 A. C. 214. ex concione laeti, circa omnia fana deum supplicaverunt
 Praetores cum coniugibus ac liberis: postero die comitia praetoribus
 Syracusis creandis habita. Creatus in primis Andranodorus; ceteri
 magna ex parte interfectores tyranni: duos etiam absentes,
 Sopatrum ac Dinomenem, fecerunt. Qui, auditis, quae
 Syracusis acta erant, pecuniam regiam, quae in Leontinis
 erat, Syracusas devectam, quaestoribus ad id ipsum creatis
 tradiderunt: et ea, quae in Insula erat et Achradina, tra-
 dita est; murique ea pars, quae ab cetera urbe nimis firmo
 munimento intersaepebat Insulam, consensu omnium de-
 iecta est. Secutae et ceterae res hanc inclinationem ani-
 morum ad libertatem.

Hippocra- Hippocrates atque Epicydes, audita morte tyranni, quanti
 tes et Epi- Hippocrates, etiam nuntio interfecto, celare voluerat, de-
 cydes re- serti a militibus, quia id tutissimum ex praesentibus vide-
 dire velle batur, Syracusas rediere. Ubi ne suspecti obversarentur,
 se ad Han- tanquam novandi res aliquam occasionem quaerentes, prae-
 nibalem si- tores primum, dein per eos senatum adeunt. ‘Ab Hanni-
 mulant. bale se missos’ praedicant ‘ad Hieronymum, tanquam
 ‘amicum ac socium. Paruisse imperio eius, cuius impe-
 ‘rator suus voluerit. Velle ad Hannibalem redire. Cete-
 ‘rum, quum iter tutum non sit, vagantibus passim per
 ‘totam Siciliam Romanis armis, petere, ut praesidii dent
 ‘aliquid, quo Locros in Italiam perducantur. Gratiam
 ‘magnam eos parva opera apud Hannibalem iuturos.’
 Facile res impetrata: abire enim duces regios, quum peri-
 tos militiae, tum egentes eosdem atque audaces, cupiebant:
 sed, quod volebant, non, quam maturato opus erat, naviter
 expediebant. Interim iuvenes militares et assueti militibus,
 nunc apud eos ipsos, nunc apud transfugas, quorum maxima
 pars ex navalibus sociis Romanorum erat, nunc etiam apud
 infimae plebis homines, crimina serebant in senatum opti-
 matesque: ‘id moliri clam eos atque struere, ut Syracusae
 ‘per speciem reconciliatae societatis in ditione Romanorum
 ‘sint; dein factio et pauci auctores foederis renovati domi-
 ‘nentur.’

24. His audiendis credendisque opportuna multitudo, maior
 in dies, Syracusas confluebat: nec Epicydi solum spem

7 *Et ea, quae in Insula erat et Achradina, tradita est*] Campanus, Andreas, duo mss. a Gronovio memorati, et omnes nostri, carent particula *et*: plerique autem ex his mss. habent *Achradinam*: quidam etiam *translata est*. Atque hoc modo legendum videtur: *Et ea* (pecunia) *quae in Insula erat, Achradinam*

translata est. CREV. Crevierium sequitur Bekker.

8 *Id*] Nempe, ut Syracusas redirent. CREV.

9 *Naviter*] Supplenda est ex sensu particula *tam*, quae respondeat praecedenti *quam*. Non tam naviter, quam maturato opus erat. CREV.

novandarum rerum, sed Andranodoro etiam, praebebat. U. C. 538.
 Qui, fessus tandem uxoris vocibus, monentis, ‘Nunc illud A. C. 214.
 ‘esse tempus occupandi res, dum turbata omnia nova Andranodo-
 ‘atque incondita libertate essent, dum regiis stipendiis rannidem
 ‘pastus obversaretur miles, dum ab Hannibale missi duces affectat.
 ‘assueti militibus iuvare possent incepta,’ cum Themisto,
 cui Gelonis filia nupta, rem consociatam paucos post dies
 Aristoni cuidam tragico actori, cui et alia arcana commit-
 tere assuerat, incaute aperit. Huic et genus et fortuna
 honesta erant: nec ars, quia nihil tale apud Graecos pudori
 est, ea deformabat. Itaque, fidem potiore ratur, quam
 patriae debebat, indicium ad praetores defert. Qui, ubi
 rem haud vanam esse certis iudiciis compererunt, consultis
 senioribus, et auctoritate eorum praesidio ad fores posito,
 ingressos curiam Themistum atque Andranodorum interfe-
 cerunt: et, quum tumultus ab re in speciem atrocior,
 causam aliis ignorantibus, ortus esset, silentio tandem facto,
 indicem in curiam introduxerunt. Qui quum ordine
 omnia edocuisset, et principium coniurationis factum ab
 Harmoniae Gelonis filiae nuptiis, quibus Themisto iuncta
 esset; Afrorum Hispanorumque auxiliares instructos ad
 caedem praetorum principumque aliorum; bonaque eorum
 praedae futura interfectores pronuntiatum; iam merce-
 nariorum manum assuetam imperiis Andranodori paratam
 fuisse ad Insulam rursus occupandam; singula deinde, quae
 per quosque agerentur, totamque viris armisque instructam
 coniurationem ante oculos posuisset; senatui quidem tam
 iure caesi, quam Hieronymus, videbantur. Ante curiam
 variae atque incertae rerum multitudinis clamor erat: quam,
 1 ferociter minitantem in vestibulo curiae, corpora coniurato-
 2 rum eo metu compresserunt, ut silentes integram plebem
 in concionem sequerentur. Sopatro mandatum ab senatu
 3 et ab collegis, ut verba faceret. Is, tanquam reos ageret, 25.
 ab anteacta vita orsus, quaecunque post Hieronis mortem
 secliste atque impie facta essent, Andranodorum ac The-
 4 mistum arguit fecisse. ‘Quid enim sua sponte fecisse Hie-
 ‘ronymum puerum, ac vixdum pubescentem facere potu-
 ‘isse? Tutores ac magistros eius sub aliena invidia regnasse.
 ‘Itaque aut ante Hieronymum, aut certe cum Hieronymo
 ‘perire eos debuisse. At illos, debitos iam morti destina-

Occiditur
cum The-
misto.

Sopatri
praetoris
oratio in
tyrannos.

1 *Corpora coniuratorum*] sc. Pro-
iecta et exposita. Gronov.

2 *Integram plebem*] Reliquam, non-
dum animi motu corruptam, nihil-
dum constitutum habentem, sed quae
rem integram in concione audire,
atque tum de ea constitutere vellet.

SROTH.

3 *Tanquam reos ageret*] h. e. Ac-
cusaret. Sic supr. iv. 42. *rem per-
agere* est, accusatione efficere ut dam-
natur. Rasch.

4 *Sua sponte fecisse*] Vocem *fr-
cisse*, probante Gronov. delevit Bek-
ker.

U. C. 538. 'tosque, alia nova scelera post mortem tyranni molitos:
 A. C. 214. 'palam primo, quum clausis Andranodorus Insulae portis
 'hereditatem regni creverit, quaeque procurator tenuerat, 5
 'pro domino possederit; proditus deinde ab iis, qui in 6
 'Insula erant, circumsessus ab universa civitate, quae
 'Achradinam tenuerit, nequiequam palam atque aperte
 'petitum regnum, clam et dolo affectare conatus sit, et ne
 'beneficio quidem atque honore potuerit vinci, quum inter 7
 'liberatores patriae insidiator ipse libertatis creatus esset
 'praetor. Sed animos iis regios regias coniuges fecisse, 8
 'alteri Hieronis, alteri Gelonis, filias nuptas.' Sub hanc
 vocem ex omnibus partibus concionis clamor oritur, nullam
 earum vivere debere, nec quemquam superesse tyrannorum
 stirpis. Haec natura multitudinis est; aut servit humiliter,
 aut superbe dominatur: libertatem, quae media est, nec 9
 spernere modice, nec habere sciunt: et non ferme desunt
 irarum indulgentes ministri, qui avidos atque intemperantes 1
 plebeiorum animos ad sanguinem et caedes iritent. Sicut
 tum extemplo praetores rogationem promulgarunt: accep-
 taque pacis prius, quam promulgata, est, ut omnis regia
 stirps interficeretur: missique a praetoribus Damaratam
 Hieronis, et Harmoniam Gelonis filias, coniuges Andranodo-
 ri et Themisti, interfecerunt.

Stirps regia
interficetur.

26. Heraclea erat filia Hieronis, uxor Zoippi; qui, legatus
 ab Hieronymo ad regem Ptolemaeum missus, voluntarium
 consciverat exsilium. Ea quum ad se quoque veniri prae- 2
 scisset, in sacrarium ad penates confugit, cum duabus filia-
 bus virginibus, resolutis crinibus, miserabilique alio habitu:
 et ad ea addidit preces, nunc per memoriam Hieronis pa- 3
 tris, Gelonisque fratris; 'ne se innoxiam invidia Hieronymi
 'conflagrare sinerent. Nihil se ex regno illius, praeter ex-

Preces He-
racleae
Hier. Fil.

5 *Hereditatem regni creverit*] *He-
 reditatem cernere* est proprie delibe-
 rare, utrum eam velimus adire neene,
 unde *cretio* dicitur spatium tempo-
 ris, quod ad id deliberandum datur
 heredi a testatore; deinde, quod hanc
 deliberationem fere sequitur, illam
 adire. cf. Ernest. Clav. Cicer. Perio-
 zon. ad Sanctii Minerv. 780—795.
 RUP.

6 *Pro domino*] Tanquam dominus.
 CREV.

7 *Vinci*] Flecti ad respectum li-
 bertatis amoremque patriae, et deter-
 reri a tyrannicis consiliis. CREV.

8 *Animos iis regios*] Animos re-
 guandi avidos. CREV.

9 *Libertatem . . . spernere modice*] *Libertatem* is modice spernit, qui ita
 se subiectum esse patitur alterius im-

perio, ut tamen non descendat ad hu-
 mile ac deformis obsequium. CREV.

1 *Intemperantes plebeiorum ani-
 mos*] Vox *plebeiorum* est ab ingenio
 emendatorum. Scripti hic omnes cor-
 rupti; sed ita ut a sese invicem non
 multum discedant: *publiciorum*, vel
plubiciorum, vel aliud quid simile
 praeferunt. Solus Victor. codex id
 habet quod sanum videri possit, *in-
 temperantes suppliciorum*: qui semel
 accensi ad saevitiam, nullum suppli-
 ciis modum facere sciunt. CREV.

2 *Veniri praescisset*] Ita pro vulg.
venire emendavit Gronov.

3 *Nunc per memoriam*] *Nunc*. h. e.
 primo, sibi ut parceretur, rogabat, tum,
 omisiss pro se precibus, puellis ut
 saltem parcerent, orare institit. STR.

'siliam viri, habere: neque fortunam suam eandem vivo U. C. 538.
 'Hieronymo fuisse, quam sororis; neque interfecto eo A. C. 214.
 'causam eandem esse. Quid? quod, si Andramodoro con-
 'silia processissent, illa cum viro fuerit regnatura; sibi cum
 'ceteris serviendum. Si quis Zoippo nuntiet, interfectum
 'Hieronymum, ac liberatas Syracusas, cui dubium esse,
 'quin extemplo conscensurus sit navim, atque in patriam
 4 'rediturus? Quantum spes hominum falli! In liberata
 'patria coniugem eius ac liberos de vita dimicare; quid
 'obstantes libertati, aut legibus? Quod ab se cuiquam
 'periculum, a sola ac prope vidua, et puellis in orbitate de-
 5 'gentibus, esse? At enim periculi quidem nihil ab se
 'timeri: invisam tamen regiam stirpem esse. Ablegarent
 'ergo procul ab Syracusis Siciliaque, et asportari Alexan-
 'driam iuberent, ad virum uxorem, ad patrem filias.' Aver-
 6 sis auribus animisque, casse ne tempus tereretur, ferrum
 quosdam expedientes cernebat. Tum, omissis pro se pre-
 cibus, 'puellis ut saltem parcerent,' orare institit: 'a qua
 'aetate etiam hostes iratos abstinere; ne, tyrannos ulcis-
 'cendo, quae odissent, scelera ipsi imitarentur.' Inter
 haec abstractam a penetralibus ingulant: in virgines deinde,
 respersas matris cruore, impetum faciunt. Quae, alienata
 mente simul luctu metuque, velut captae furore, eo cursu
 se ex sacrario proripuerunt, ut, si effugium patuisset in
 7 publicum, impleturae urbem tumultu fuerint. Tum quoque
 haud magno aedium spatio, inter medios tot armatos, ali-
 quoties integro corpore evaserunt: tenentibusque, quum
 tot ac tam validae eluctandae manus essent, sese eripu-
 erunt: tandem, vulneribus confectae, quum omnia reple-
 sent sanguine, exanimis corruerunt; caedemque per se
 miserabilem miserabiliorem casus fecit, quod paullo post
 nuntius venit, mutatis repente ad misericordiam animis, ne

4 *Spes hominum falli*] Ita pro
 vulg. *fallit*, quae in oratione obliqua
 stare non potest, coniecit Gronov.

5 *At enim*] cf. Supr. xxii. 60. Hae
 particulae eleganter inserviunt obie-
 ctionibus, quas nobis ipsi facientes
 deinde refellimus. STROTH.

6 *Casse ne tempus tereretur*] Ad-
 verbium *casse* alibi non occurrere
 animadvertit Drakenb. cf. Ruhnken.
 Opusc. p. 714. "Hoc vocabulum, tan-
 quam probum, affertur ex hoc loco
 corruptissimo, qui Gronovii et alio-
 rum interpretum ingenia vehementer
 torsit. Repone quod sententiae vis
 postulat, *quasi tempus tereretur*.
Quasi ubi semel in *casse* abiisset, re-
 liqua interpolata sunt, ut qualiscum-

que sensus efficeretur. Et quasi tam
 facile in *casse* mutatum est, quam
 infr. xxv. 3. *quassae naves* in *cassae*
naves, praesertim si corruptela orta
 est tum, cum adhuc in Livio *quase*
 pro *quasi* legebatur. Hanc enim or-
 thographiam Livio propriam fuisse
 testis est Quinctilianus i. 7. p. 49.
Quassei pro *quasi* saepe in lapidibus
 antiquis legi, docet Mazochius de
 Campan. Amphith. p. 153. Certe
casse, unde male pedem intulit, ab-
 eat."

7 *Tum quoque*] Quamvis effugere
 non potuerint in publicum, et haud
 magno aedium spatio inclusae reman-
 serint. CREV.

U. C. 538. interficerentur. Ira deinde ex misericordia orta, quod adeo A. C. 214. festinatum ad supplicium, neque locus poenitendi, aut regressus ab ira relictus esset. Itaque fremere multitudo, et in locum Andranodori ac Themisti (nam ambo praetores fuerant) comitia poscere: quae nequaquam ex sententia praetorum futura essent.

27. Statutus est comitiis dies: quo, necopinantibus omnibus, Epicydes et Hippocrates praetores fiunt. unus ex ultima turba Epicydem nominavit, tum inde alius Hippocratem. Crebriores deinde eae voces, et cum hand dubio assensu multitudinis esse. Et erat confusa concio, non populari modo, sed militari quoque turba, magna ex parte etiam perfugis, qui omnia novare cupiebant, permixtis. Praetores dissimulare primo, et trahenda re esse: 8 postremo victi consensu, et seditionem metuentes, pronuntiant eos praetores. Nec illi primo statim creati nudare, quid vellent: quanquam acre ferebant, et de indutiis dierum decem legatos isse ad Ap. Claudium, et, impetratis iis, alios, qui de foedere antiquo renovando agerent, missos. Ad Murgantiam tum classem navium centum Romanorum 9 habebat, quoniam evaderent motus ex caedibus tyrannorum orti Syracusis, quove eos ageret nova atque insolita libertas, opperiens. Per eosdem dies quum ad Marcellum, venientem in Siciliam, legati Syracusani missi ab Appio essent, auditis conditionibus pacis, Marcellus, posse rem convenire ratus, et ipse legatos Syracusas, qui coram cum praetoribus de renovando foedere agerent, misit. Et iam ibi nequam eadem quies et tranquillitas erat. Postquam Punicam classem accessisse Pachynum allatum est, dempto timore Hippocrates et Epicydes, nunc apud mercenarios milites, nunc apud transfugas, prodi Romano Syracusas, criminabantur. Ut vero Appius naves ad ostium portus, quo aliae partis hominibus animus accederet, in statione 1 habere coepit, ingens in speciem criminibus vanis accesserat fides: ac primo etiam tumultuose decurrerat multitudo ad prohibendos, si in terram egrederentur.

28. In hac turbatione rerum in concionem vocari placuit. 2 Ubi quum alii alio tenderent, nec procul seditione res esset,

8 *Trahenda re esse*] In eo esse, id agere, ut extraherent rem. Gronov. Ceterum in *trahenda re* legendum censet Duker.

9 *Murgantium*] Alia erat huius nominis urbs in Samnio, cuius mentio fit supr. x. 17. Hoc loco Siciliae oppidum intelligendum esse, per se patet. Strabon.

1 *Aliae partis hominibus*] Iis qui alia sentirent et vellent, quam Hip-

pocrates et Epicydes; h. e. qui partis Romanae essent. *Aliae* antiquae pro genitivo alijs. Ea voce bis usus est Cic. de Div. ii. 30. Sic et *tam nulli consilii* ap. Terent. CREV.

2 *Turbatione*] Praeter Livium hac voce neminem antiquiorum usum fuisse monet Drak. licet quaedam exempla ap. recentiores scriptores extent.

Legati ad Appium missi.

Turbae Syracusis.

Apollonides principum unius orationem salutarem, ut in tali tempore, habuit: 'Nec spem salutis, nec perniciem propiorem unquam civitati ulli fuisse. Si enim uno animo omnes vel ad Romanos, vel ad Carthaginienses inclinent, nullius civitatis statum fortunatiorem beatioremve fore. Si alii alio trahant res, non inter Poenos Romanosque bellum atrocius fore, quam inter ipsos Syracusanos: quum intra eosdem muros pars utraque suos exercitus, sua arma, suos habitura sit duces. Itaque, ut omnes idem sentiant, summa vi agendum esse: utra societas sit utilior, eam longe minorem ac levioris momenti consultationem esse. Sed tamen Hieronis potius, quam Hieronymi, auctoritatem sequendam in sociis legendis, vel quinquaginta annis feliciter expertam amicitiam nunc incognitae, quondam infidelis, praefereendam. Esse etiam momenti aliquid ad consilium, quod Carthaginiensibus ita pax negari possit, ut non utique in praesentia bellum cum iis geratur: cum Romanis extemplo aut pacem, aut bellum habendum.' Quo minus cupiditatis ac studii visa est oratio habere, eo plus auctoritatis habuit. Adiectum est praetoribus ac delectis senatorum militare etiam consilium: iussi et duces ordinum praefectique auxiliorum simul consulere. Quum saepe acta res esset magnis certaminibus, postremo, quia belli cum Romanis gerendi ratio nulla apparebat, pacem fieri placuit, mittique cum iis legatos ad rem confirmandam.

U. C. 539.
A. C. 214.
Apollonides salutaris oratio.

Pax cum Rom. discernitur.

Dies haud ita multi intercesserunt, quum ex Leontinis legati, praesidium finibus suis orantes, venerunt; quae legatio peropportuna visa ad multitudinem inconditam ac tumultuosam exonerandam, ducesque eius ablegandos. Hippocrates praetor ducere eo transfugas iussus: secuti multi ex mercenariis auxiliis quattuor millia armatorum effecerunt. Et mittentibus et missis ea laeta expeditio fuit. Nam et illis, quod iam diu cupiebant, novandi res

29.

Praesidium mittitur in Leontinos.

3 *Beatioremve*] *Ac beatiorem* ex emendatione Salmasii recepit Bekker.

4 *Nunc incognitae, quondam infideli*] Amicitiae Carthaginiensium, nunc incognitae, quia nova sit, et diu iam non experta; quondam infideli, quia olim, quum ante amicitiam cum Romanis initam Syracusani socios Carthaginienses habuissent, eos infideles senserunt. CREV.

5 *Esse etiam momenti aliquid ad consilium*] Ad consilium captandum, in eo quoque aliquid momenti esse, id quoque valere aliquantum debere, quod . . . CREV.

6 *Quo minus cupiditatis*] Recte exponit Crevier. *cupiditatem* studium partium, quo sensu saepius usurpatam videmus ap. Ciceronem. cf. Or. pro Marc. 9. et pro Caec. 8. At quum ad sequens *studii* perinde intelligendum sit *partium*, in interpretando distinguendae erunt hae voces. STR.

7 *Mittique cum iis*] h. e. Cum Romanis legatis a Marcello missis, de quibus in cap. praecedente mentio facta est. CREV.

8 *Nam et illis*] *Illis* ad proximum missis, hi ad remotius mittentibus referendum est. cf. supr. iii. 72. infr. xxx. 30. STROTH.

U. C. 538. occasio data est; et hi, sentinam quandam urbis rati exhaustam, laetabantur. Ceterum levaverunt modo in praesentia velut corpus aegrum, quo mox in graviores morbum recideret. Hippocrates enim finitima provinciae Romanae primo furtivis excursionibus vastare coepit: deinde, quum ad tuendos sociorum agros missum ab Appio praesidium esset, omnibus copiis impetum in oppositam stationem cum caede multorum fecit. Quae quum essent nuntiata Marcello, legatos extemplo Syracusas misit, qui pacis fidem ruptam esse dicerent: nec belli defuturam unquam causam, nisi Hippocrates atque Epicydes non ab Syracusis modo, sed tota procul Sicilia, ablegarentur. Epicydes, ne aut reus criminis absentis fratris praesens esset, aut deesset pro parte sua concitando bello, profectus et ipse in Leontinos, quia satis eos adversus populum Romanum concitatos cernebat, avertere etiam ab Syracusis coepit. 'Nam ita eos pacem pepigisse cum Romanis, ut, quicumque populi sub regibus fuissent, et suae ditionis essent; nec iam libertate contentos esse, nisi etiam regnent ac dominantur. Renuntiandum igitur iis esse, Leontinos quoque aequum censere liberos esse; vel quod in solo urbis suae tyrannus ceciderit, vel quod ibi primum conelamatum ad libertatem, relictisque regiis ducibus Syracusas sit concursus. Itaque aut eximendum id de foedere esse, aut legem eam foederis non accipiendam.' Facile multitudini persuasum: legatisque Syracusanorum, et de caede stationis Romanae querentibus, et Hippocratem atque Epicydem abire seu Locros, seu quo alio mallent, dummodo Sicilia cederent, iubentibus, ferociter responsum est: 'Neque mandasse sese Syracusanis, ut pacem pro se cum Romanis facerent: neque teneri alienis foederibus.' Haec ad Romanos Syracusani detulerunt, abnuentes, 'Leontinos in sua potestate esse. Itaque integro secum foedere bellum Romanos cum iis gesturos. Neque sese defuturos ei bello; ita ut in potestatem redacti suae rursus ditionis essent, sicut pax convenisset.'

30. Marcellus cum omni exercitu profectus in Leontinos, Appio quoque accito, ut altera parte aggrederetur, tanto ardore militum est usus ab ira inter conditiones pacis interfectae stationis, ut primo impetu urbem expugnarent.

9 *Legem eam foederis*] Foedus hac conditione ictum. DOER.

1 *Integro secum foedere*] Ita ut foedus secum integrum intactumque maneat. Non credituros Syracusanos foedus, quod Romani secum habeant, bello adversus Leontinos gerendo ulla

parte laedi. CREV.

2 *Ita ut*] Ea lege ut. CREV.

3 *Ab ira . . . interfectae stationis*] sc. Ob interfectam stationem. Praepositio *ab* saepe causam continet. supr. v. 5. vi. 2. infr. xxvii. 30.

Hippocrates provinciam Romanam invadit.

Epicydes et ipse in Leontinos proficiscitur.

Leontini alienantur ab Syracusanis.

Leontinorum urbs a Marcello capta.

Hippocrates atque Epicydes, postquam capi muros refringi-
 que portas videre, in arcem sese cum paucis recepere. Inde
 4 clam nocte Herbessum perfugiant. Syracusanis, octo mil-
 lium armatorum agmine profectis domo, ad Mylam flumen
 nuntius occurrit, captam urbem esse; cetera falsa mixta
 veris ferens: caedem promiscuam militum atque oppidano-
 rum factam, nec quemquam puberem arbitrari superesse:
 5 direptam urbem: bona locupletium donata. Ad nuntium
 tam atrocem constitit agmen; concitatisque omnibus,
 duces, (erant autem Sosis ac Dinomenes) quid agerent,
 6 consultabant. Terroris speciem haud vanam mendacio
 prae buerant verberati ac securi percussi transfugae ad duo
 millia hominum. Ceterum Leontinorum militumque ali-
 orum nemo, post captam urbem, violatus fuerat: suaeque
 omnia iis, nisi quae prius tumultus captae urbis absor-
 pserat, restituebantur. Nec ut Leontinos irent, proditos ad
 caedem commilitones querentes, percelli potuere, nec ut
 eodem loco certiores nuntium exspectarent. Quum ad
 defectionem inclinatos animos cernerent praetores, sed cum
 motum haud diuturnum fore, si duces amentiae sublatis
 essent; exercitum ducunt Megaram: ipsi cum paucis
 equitibus Herbessum proficiscuntur, spe, territis omnibus,
 per prodicionem urbis potius. Quod ubi frustra iis fuit
 inceptum, vi agendum rati, postero die Megaris castra
 movent, ut Herbessum omnibus copiis oppugnarent. Hip-
 pocrates et Epicydes, non tam tutum prima specie, quam
 7 unum, spe undique abscisa, consilium, esse rati, ut se mili-
 tibus permitterent, et assuetis magna ex parte sibi, et tum
 fama caedis commilitonum accensis, obviam agmini proce-
 dunt. Prima forte signa sexcentorum Cretensium erant,
 qui apud Hieronymum meruerant sub iis, et Hannibalis
 beneficium habebant, capti ad Trasimenum inter Roman-
 orum auxilia, dimissique. Quos ubi ex signis armorumque
 habitu cognovere Hippocrates atque Epicydes, ramos oleae
 8 ac velamenta alia supplicum porrigentes, orare, 'ut recipe-
 'rent sese, receptosque tutarentur, neu proderent Syracu-
 9 'sanis, a quibus mox ipsi trucidandi populo Romano dede-
 'rentur. Enimvero,' conclamant, 'bonum ut animum

A. C. 538.
 A. C. 214.
 Atrox nun-
 tius de cae-
 de in Leon-
 tinis facta.
 Syracusa-
 norum ex-
 ercitus con-
 citatur.

Hippocra-
 tes et Epi-
 cydes se ei
 permittunt.

31.

4 *Herbessum*] Cluverius *Erbesum* scribit, ut cuius nomen a voce *Erebus* deductum sit: sc. oppidum Siciliae ad fontes Anapi fluminis.

5 *Donata*] Intellige, militibus. Ceterum legisse alibi haud memini *res donata*, absolute positum, sine nomine eius, cui donata. STRON.

6 *Terroris speciem haud vanam*] Speciosam aliquam materiem terro-

ris; vim terrendi, quae aliquo colore niteretur. CREV.

7 *Spe undique abscisa*] cf. Supr. 15. Vulg. *abscissa*.

8 *Velamenta alia supplicum*] Infulas, et quae alia a supplicibus porrigi et praetendi solent. CREV.

9 *Ipsi*] Intellige ipsos Cretenses, ad quos hic sermo dirigitur. CREV.

U. C. 538. 'haberent: omnem se cum illis fortunam subituros.' Inter
 A. C. 214. hoc colloquium signa constiterant, tenebaturque agmen:
 necdum, quae morae causa foret, pervenerat ad duces.
 Postquam Hippocratem atque Epicydem adesse pervasit¹
 rumor, fremitusque toto agmine erat haud dubie approban-
 tium adventum eorum; extemplo praetores citatis equis ad
 prima signa perrexerunt, 'Qui mos ille, quae licentia Cre-
 tensium esset,' rogantes, 'colloquia serendi cum hoste,
 'iniussuque praetorum miscendi eos agmini suo?' Compre-
 hendi iniicique catenas iusserunt Hippocrati. Ad quam
 vocem tantus extemplo primum a Cretensibus clamor est
 ortus, deinde exceptus ab aliis, ut facile, si ultra tenderent,
 appareret, iis timendum esse. Solliciti incertique rerum
 suarum Megaram, unde profecti erant, referri signa iubent,
 nuntiosque de statu praesenti Syracusas mittunt. Fraudem
 quoque Hippocrates addit, inclinatis ad omnem suspicionem
 animis: et, Cretensium quibusdam ad itinera insidenda
 missis, velut interceptas literas, quas ipse composuerat, re-
 citat: 'Praetores Syracusani consuli Marcello.' Secundum²
 salutem, ut assolet, scriptum erat: 'Recte cum atque ordine³
 'fecisse, quod in Leontinis nulli peperisset. Sed omnium
 'mercenariorum militum eandem esse causam, nec unquam
 'Syracusas quieturas, donec quicquam externorum auxilio-
 'rum, aut in urbe, aut in exercitu suo, esset. Itaque daret
 'operam, ut eos, qui cum suis praetoribus castra ad Mega-
 'ram haberent, in suam potestatem redigeret, ac supplicio
 'eorum liberaret tandem Syracusas.' Haec quum recitata
 essent, cum tanto clamore ad arma discursus est, ut prae-
 tores inter tumultum pavidi abequitaverint Syracusas. Et⁴
 ne fuga quidem eorum seditio compressa est, impetusque in
 Syracusanos milites fiebant: nec ab ullo temperatum foret,
 ni Epicydes atque Hippocrates irae multitudinis obviam is-
 sent: non a misericordia aut humano consilio, sed ne spem
 reditus praeciderent sibi, et quum ipsos simul milites fidos
 haberent, simul obsides; tum cognatos quoque eorum at-
 que amicos tanto merito primum, dein pignore sibi concili-⁵

Fraus Hip-
 pocratis.

¹ Postquam Hippocratem atque Epicydem adesse pervasit rumor] Adesse ex emend. Gronov. delevit Bekker. qui causas morae esse intel- ligi monet.

² Secundum salutem, ut assolet] Post salutem, ut mos est. initio epis- tolae datam.

³ Recte cum atque ordine fecisse] Sollemnis formula, qua Senatus P. R. acta civium, potissimum magistra- tum, comprobare solebat; cui adde- batur nonnunquam et e republica.

cf. Brisson, de Formul. ii. 80. Str.

⁴ Abequitaverint Syracusas] Ade- quitaverint Drakenb. et Bekker. Nos- tram lectionem, quae a manu Cre- vier. provenit, secutus est Stroth.

⁵ Merito primum, dein pignore] Merito, quod iis militibus vitam ser- vassent; pignore, quod eosdem secum haberent. tanquam totidem pignora benevolentiae ac fidei eorum, qui cog- natione illos amicitiae Syracusis contingebant. CREV.

arent: expertique, quam vana aut levi aura mobile vulgus
 6 esset, militem nacti ex eo numero, qui in Leontinis circum-
 sessi erant, subornant, ut Syracusas perferret nuntium con-
 venientem iis, quae ad Mylam falso nuntiata erant: aucto-
 remque se exhibendo, ac velut visa, quae dubia erant, nar-
 rando, concitaret iras hominum. Huic non apud vulgum 32.
 modo fides fuit, sed senatum quoque in curiam introductus
 7 movit. Haud vani quidam homines palam ferre, ‘perbene
 ‘detectam in Leontinis esse avaritiam et crudelitatem Ro-
 ‘manorum. Eadem, si intrassent Syracusas, aut foediora
 ‘etiam, quo maius ibi avaritiae praemium esset, facturos
 ‘fuisse.’ Itaque claudendas cuncti portas, et custodiendam
 urbem censere. Sed non ab iisdem omnes timere, nec
 8 eosdem odisse: ad militare genus omne partemque magnam
 plebis invisum esse nomen Romanum. Praetores optima-
 tiumque pauci, quanquam inflammati vano nuntio erant,
 9 tamen ad propius praesentiusque malum cautiores esse.
 Et iam ad Hexapylum erant Hippocrates atque Epicydes:
 serebanturque colloquia per propinquos popularium, qui in
 exercitu erant, ut portas aperirent, sincerentque communem
 1 patriam defendi ab impetu Romanorum. Iam, unis foribus
 Hexapyli apertis, coepta erant recipi, quum praetores inter-
 2 venerunt. Et primo imperio minisque, deinde auctoritate,
 deterrendo, postremo, ut omnia vana erant, obliti maiestatis,
 precibus agebant, ne proderent patriam tyranni ante satel-
 litibus, et tum corruptoribus exercitus. Sed surdae ad
 haec omnia aures concitatae multitudinis erant, nec minore
 intus vi, quam foris, portae effringebantur: effractisque
 3 omnibus, totum Hexapylo agmen receptum est. Praetores
 in Achradinam cum iuventute popularium confugiunt:
 mercenarii milites perfugaeque, et quicquid regionum mili-
 tum Syracusis erat, agmen hostium augent. Ita Achradina
 quoque primo impetu capitur, praetorumque, nisi qui inter
 tumultum effugerunt, omnes interficiuntur. Nox caedibus
 4 finem fecit. Postero die servi ad pileum vocati, et carcere
 vincti emissi: confusaque haec omnis multitudo Hippocra-

Syracusani
 in Roma-
 nos accen-
 duntur.

Seditiosi
 Syracusae
 ingrediun-
 tur.

6 *Militem nacti*] *Nacti* auctore Gronov. receperunt Stroth. et Bekker.

7 *Haud vani*] Haud leves atque creduli, sed prudentiores. DOER.

8 *Ad militare genus*] Apud milites cuiuscunque generis. At pro apud saepius usurpatur. cf. supr. vii. 7.

9 *Praesentiusque malum*] Quod imminebat a pravis Hippocratis et Epicydis consiliis.

1 *Unis foribus Hexapyli*] Una e sex portis, quae erant in Hexapylo. Huic enim urbis Syracusanae parti

nomen, si vim verbi attendamus, inditum ex eo fuit, quod sex haberet portas. CREV. Similiter *Dipylon* Athenis fuisse, infr. xxxi. 24. et *Tetrapylon* Caesareae in Palaestina, Valesius monet.

2 *Auctoritate*] Consilii monitisque. CREV.

3 *Totum Hexapylo agmen*] Vulg. *tuto in Hexapylo. Tutus* et *totus* saepius in mss. permutari videbimus. cf. infr. xxviii. 4.

4 *Ad pileum vocati*] Ad libertatem. cf. supr. 16.

U. C. 538. tem atque Epicydem creant praetores: Syracusaeque, quum
A. C. 214. breve tempus libertas affulsisset, in antiquam servitutem re-
ciderunt.

33. Haec nuntiata quum essent Romanis, ex Leontinis mota

Romani ad
Syracusas
castra mo-
vent.

sunt extemplo castra ad Syracusas. Et ab Appio legati per
portum missi forte in quinqueremi erant. Praemissa qua-
driremis, quum intrasset fauces portus, capitur: legati aegre
effugerunt. Et iam non modo pacis, sed ne belli quidem
iura relicta erant: quum Romanus exercitus ad Olympium
(Iovis id templum est) mille et quingentis passibus ab urbe 5

Mittunt le-
gatos Syra-
cusas.

castra posuit. Inde quoque legatos praemitti placuit: qui-
bus, ne intrarent urbem, extra portam Hippocrates atque
Epicydes obviam cum suis processerunt. Romanus orator
'non bellum se Syracusanis, sed opem auxiliumque afferre,'
ait, 'et iis, qui, ex media caede elapsi, perfugerint ad se, et
'iis, qui, metu oppressi, foediorum, non exsilio solum, sed
'etiam morte, servitutem patiantur. Nec eadem nefandam
'sociorum inultam Romanos passuros. Itaque si iis, qui ad
'se perfugerint, tutus in patriam reditus pateret, caedis 6
'auctores dedantur, et libertas legesque Syracusanis restitu-
'antur, nihil armis opus esse. Si ea non fiant, quicumque

Superbum
Epicydis
responsum.

'in mora sit, bello persecuturos.' Ad ea Epicydes, 'Si qua
'ad se mandata haberent, responsum iis,' ait, 'se daturus
'fuisse: quum in eorum, ad quos venerint, manu res Syra-
'cusana esset, tum reverterentur. Si bello lacescant, ipsa
're intellecturos, nequaquam idem esse Syracusas ac Leon-
'tinos oppugnare.' Ita legatis relictis, portas clausit. Inde
terra marique simul coeptae oppugnari Syracusae: terra ab
Hexapylo, mari ab Achradina, cuius murus fluctu alluitur.
Et, quia, sicut Leontinos terrore ac primo impetu ceperant,
non diffidebant, vastam disiectamque spatio urbem parte
aliqua se invasuros, omnem apparatus oppugnandarum
urbium muris admovent.

Oppugnan-
tur Syracu-
sae.

34. Et habuisset tanto impetu coepta res fortunam, nisi unus

Archime-
des conatus
Romano-
rum ludifi-
catur.

homo Syracusis ea tempestate fuisset. Archimedes is erat,
unicus spectator coeli siderumque; mirabilior tamen 7

4 *Reciderunt*] *Reciderant* Crev. et Bekker. reposuerunt.

5 *Mille et quingentis passibus*] *Mille et quingentos passus*, ut locutionem magis Livianam, receperunt Crev. et Bekker. De Olympio cf. Diod. Sic. xiii. 6. Huius templi locum columna unica superstes nunc indicat.

6 *Reditus pateret*] *Pateat*, quam vocem oratio videtur postulare. reposuerunt Crev. et Bekker. sed locutionem nostram retinendam censuit

Stroth. quoniam Livius nonnunquam tempora diversa iungit. cf. supr. xxii. 32. "Si omnes res Neapolitanorum suas duxissent, dignosque iudicaverint."

7 *Unicus spectator coeli siderumque*] Coeli siderumque spectandorum arte supra omnes excellens. Ceterum ita describit Archimedes Livius, ut se ipse parum omnino peritum rerum mathematicarum exhibeat, quarum sane studia nunquam apud Romanos magnopere viguerunt. Non astrorum cognitione praecipue claruit Archi-

inventor ac machinator bellicorum tormentorum operumque, U. C. 538.
 8 quibus ea, quae hostes ingenti mole agerent, ipse perlevi A. C. 214.
 momento ludificaretur. Murum per inaequales ductum
 colles, (pleraque alta et difficilia aditu, summissa quaedam,
 et quae planis vallibus adiri possent) ut cuique aptum visum
 est loco, ita omni genere tormentorum instruxit. Achra-
 dinae murum, qui, ut ante dictum est, mari alluitur, ex
 9 quinqueremibus Marcellus oppugnabat. Ex ceteris navibus
 sagittarii funditoresque, et velites etiam, quorum telum in-
 habile ad remittendum imperitis est, vix quemquam sine
 vulnere consistere in muro patiebantur. Hi, quia spatio
 1 missilibus opus est, procul muro tenebant naves. Iunctae
 2 aliae binae ad quinqueremes, demptis interioribus remis, ut
 latus lateri applicaretur, quum exteriore ordine remorum
 velut una navis agerentur, turres contabulatas machinamen-
 taque alia quatiendis muris portabant. Adversus hunc na-
 valem apparatus Archimedes variae magnitudinis tormenta
 in muris disposuit. In eas, quae procul erant, naves saxa
 ingenti pondere emittebat: propiores levioribus, eoque
 magis crebris, petebat telis: postremo, ut sui vulnere intacti
 3 tela in hostem ingererent, murum ab imo ad summum cre-
 bris cubitalibus fere cavis aperuit; per quae cava pars

medes: sed matheseos, quam puram
 vocant. Quin et parum decorum
 artis suae dignitati rebarur, eam ad
 res corporeas convertere: et machinas
 illas, quas Livius maxime miratur,
 inventor ipse haud magni faciebat, et
 pro quodam lascivientis Geometriae
 lusu habebat. Vid. Plut. in Marcello.
 CREV.

8 *Perlevi momento*] Levissima im-
 pulsione, parvo molimine, facile. cf.
 supr. xxi. 43. CREV.

9 *Velites . . . quorum telum*] Le-
 vis armaturae milites, quorum telum
 eiusmodi est, ut remitti non possit
 ab imperitis. Polyb. vi. 22. illud te-
 lum omnino remitti posse negat, et
 causam affert. "Ferrum," inquit, "teli
 velitaris adeo extenuatum est, et in
 aciem productum, ut necessario statim
 a primo iactu inflectatur, nec pos-
 sint hostes retorquere." Quod si eius-
 modi est, profecto illud telum non
 imperitis tantum, sed et peritis inha-
 bile fuit ad remittendum. Lipsius, de
 Mil. Rom. iii. 1. suspiciatur aut vo-
 cem *imperitis*, in hoc Livii loco red-
 undare; aut mutandam in *impeditis*,
 ut, nisi quis otiose mucronem refingat
 et erigat, neget Livius remitti posse;
 aut denique ideo etiam *imperitis* inha-
 bile, quia amento emittebatur, et

certo motu. CREV. Ceterum de ve-
 litibus nondum institutis cf. supr. xxi.
 55.

1 *Iunctae aliae binae ad quinque-
 remes*] Polybius, viii. 5. scribit octo
 quinqueremes fuisse simul iunctas,
 binas et binas. Plut. in Marcello
 eundem numerum octo quinque-
 remium habet. Inde Sigonius recte
 coniecit legendum: *iunctae aliae bi-
 nae ad octo quinqueremes*: id est,
 aliae quinqueremes ad octo, ad nu-
 merum octo, iunctae, binae et binae.
 CREV. Sigonio auctore octo in tex-
 tum recepit Bekker.

2 *Interioribus remis*] Remis eorum
 laterum quae ad sese mutuo applica-
 bantur. *Exterior* ordo remorum est
 is qui alterum navis latus, quod libe-
 rum relinquebatur, instruebat. CREV.

3 *Crebris cubitalibus fere cavis*] *Crebris*
 foraminibus, quorum magni-
 tudo, sive diameter esset unius cubi-
 ti: per quae foramina alii sagittis . . .
 Ceterum haec cava, si credimus Po-
 lybio viii. 6, quem hic vertit Livius,
 unius tantum palmi fuere. Quae qui-
 dem multum discrepant. Cubitus
 enim habet pedem unum et dimi-
 dium: palmus quattuor tantum digi-
 tos, et est sexta pars cubiti. CREV.
 Sed forsam utriusque narratio ita con-

U. C. 538. sagittis, pars scorpionibus modicis ex occulto petebant hos-⁴
 A. C. 214. tem. Quae propius quaedam subibant naves, quo interi-⁵
 ores ictibus tormentorum essent, in eas tollenone super⁷
 murum eminente ferrea manus firmae catenae illigata quum
 iniecta prorae esset, gravi libramento plumbi recellente ad
 solum, suspensa prora, navim in puppim statuebat: dein,
 remissa subito, velut ex muro cadentem navim cum ingenti
 trepidatione nautarum ita undae affligebat, ut, etiamsi recta
 reciderat, aliquantum aquae acciperet. Ita maritima op-
 pugnatio est elusa, omnisque vis est eo versa, ut totis viribus
 terra aggrederentur. Sed ea quoque pars eodem omni
 apparatu tormentorum instructa erat, Hieronis impensis
 curaque per multos annos, Archimedis mica arte. Natura
 etiam iuvabat loci, quod saxum, cui imposita muri funda-
 menta sunt, magna ex parte ita proclive est, ut non solum
 missa tormento, sed etiam quae pondere suo provoluta
 essent, graviter in hostem inciderent. Eadem causa ad
 subeundum arduum aditum instabilemque ingressum prae-
 bebat. Ita, consilio habito, quum omnis conatus ludibrio
 esset, absistere oppugnatione, atque obsidendo tantum ar-
 cere terra marique commeatibus hostem placuit.

Ab oppu-
 gnatione
 absistunt
 Romani.

35.

Marcellus
 alias urbes
 capit.

Interim Marcellus, cum tertia fere parte exercitus ad
 recipiendas urbes profectus, quae in motu rerum ad Car-

ciliari potest, ut dicas foramina ista
 seu *cava* intrinsecus cubitalia, extrin-
 secus vero palmaria, fuisse. SRRORI.

4 *Scorpionibus*] *Scorpiones* sunt ma-
 chinae bellicae ad vibranda missilia.
 De iis sic habet Vegetius: "Scor-
 piones dicebant, quas nunc manu-
 ballistas vocant. Ideo sic nuncupati,
 quod parvis subtilibusque spiculis
 mortem inferant." Vir unus eos di-
 rigere, iis uti poterat. Duplicis ge-
 neris fuere, maiores minoresque. Vid.
 Lips. Poliorc. iii. 4. CREV.

5 *Quae propius quaedam*] Sic Gronovius dedit ex tribus mss. quibus
 assentiuntur duo Hearnio inspecti:
 quum vulgati haberent, *quae propius*
quidem. Dispicet tamen τὸ *quae-*
dam: et ipse Gronovius illud mutan-
 dum censet in *moenia*. Nos illud
 omnino delere satius esse ducimus, eo
 quidem magis, quod abest a codice
 Victor. CREV.

6 *Interiores ictibus tormentorum*]
 Propiores, quam ut ictibus tormento-
 rum, quae in longinquum iaculaban-
 tur, feriri possent; tam propinquae,
 ut tela e tormentis emissae ultra eas
 ferrentur. Sic supr. vii. 10. T. Man-
 lius dicitur *interior periculo vulneris*

factus. CREV.

7 *In eas tollenone*] *Tolleno* est
 machinae genus, quum trabi in ter-
 ram praealte defixae in summo ver-
 tice alia transversa longior dimensa
 medietate connectitur eo libramento,
 ut, si unum caput depresseris, alte-
 rum erigatur. Igitur machina huius
 generis super murum eminente, ferrea
 manus firmae catenae illigata, quae
 quidem catena pendebat ex uno br-
 chio tollenonis, iniiciebatur prorae
 alicuius navis. Tum gravi libramento
 plumbi, quod alteri tollenonis brachio
 connexum erat, recellente, seu reci-
 dente ad solum, necesse erat cate-
 nam, et ferream manum, et proram
 navis sursum erigi, et, suspensa prora,
 navim in puppim statui. Dein eadem
 ferrea manus remissa, et exempta ma-
 chinae διὰ τῶς σχαστηπας, ut habet
 Polybius viii. 8. sinebat navem reci-
 dere, et eam ita affligebat undis, ut...
 CREV. cf. Vitruv. iv. 21. Haud ab-
 similis erat machinis, quas in agris et
 villis hodie passim videmus, ad aquas
 e puteis tollendas adhibitis, et quae
 apud Graecos κληωνία appellaban-
 tur. cf. Herod. i. 193. Plin. H. N.
 xix. 4.

thaginienses defecerant, Helorum atque Herbessum, dedentibus ipsis, recipit. Megara vi capta diruit ac diripuit ad reliquorum, ac maxime Syracusanorum, terrorem. Per idem fere tempus et Himileo, qui ad Pachyni promontorium classem diu tenuerat, ad Heracleam, quam vocant Minoam, quinque et viginti millia peditum, tria equitum, duodecim elephantos exposuit: nequaquam cum quantis copiis ante tenuerat ad Pachynum classem. Sed, postquam ab Hippocrate occupatae Syracusae erant, profectus Carthaginem, adiutusque ibi et ab legatis Hippocratis, literisque Hannibalis, qui venisse tempus aiebat Siciliae per summum decus repetendae, et ipse haud vanus praesens monitor facile perpulerat, ut, quantae maximae possent, peditum equitumque copiae in Siciliam traicerentur. Adveniens Heracleam, intra paucos dies inde Agrigentum recipit: aliarumque civitatum, quae partis Carthaginensium erant, adeo accensae sunt spes ad pellendos Sicilia Romanos, ut postremo etiam, qui obsidebantur Syracusis, animos sustulerint; et, parte copiarum satis defendi urbem posse rati, ita inter se munera belli partiti sint, ut Epicydes praecesset custodiae urbis, Hippocrates, Himileoni coniunctus, bellum adversus consulem Romanum gereret. Cum decem millibus peditum, quingentis equitibus nocte per intermissa custodiis loca profectus, castra circa Acrillas urbem ponebat. Munientibus supervenit Marcellus, ab Agrigento iam occupato, quum frustra eo praevenire hostem festinans tetendisset, rediens; nihil minus ratus, quam illo tempore ac loco Syracusanum sibi exercitum obviam fore; sed tamen metu Himileonis Poenorumque, ut quibus nequaquam iis copiis, quas habebat, par esset, quam poterat maxime intentus, atque agmine ad omnes casus composito ibat. Forte ea cura, quae erat adversus Poenos praeparata, adversus Siculos usui fuit. Castris ponendis incompositos ac dispersos nactus eos et plerosque inermes, quod peditum fuit, circumvenit: eques, levi certamine inito, cum Hippocrate Acras perfugit.

Ea pugna deficientes ab Romanis quum cohibuisset Siculos, Marcellus Syracusas rediit: et post paucos dies Himileo, adiuncto Hippocrate, ad flumen Anapum, octo ferme inde millia, castra posuit. Sub idem fere tempus et naves longae quinque et quinquaginta Carthaginensium cum Bomilcare classis praefecto in magnum portum Syra-

U. C. 538.

A. C. 214.

Himileo cum exercitu in Siciliam venit.

Hippocrates cum exercitu Syracusis egreditur.

36.

Vincitur a Marcello.

Auxilia Roma et Carthagine missa.

8 *Nequaquam cum quantis copiis*] Cum copiis, quae tantae erant, quantae non fuerant illae, cum quibus prius tenuerat ad Pachynum classem: sive, cum copiis maioribus, quam

quantae fuerant illae, cum quibus, etc. CREV.

9 *Acrillas*] Inter Agrigentum et Acras. RUP.

1 *Magnum portum*] Maiorem enim

U. C. 538. cusas ex alto decurrere; et Romana item classis, triginta
 A. C. 214. quinquereemes, legionem primam Panormi exposuere; ver-
 sumque ab Italia bellum (adeo uterque populus in Siciliam
 intentus) fuisse videri poterat. Legionem Romanam, quae
 exposita Panormi erat, venientem Syracusas, praedae haud
 dubie sibi futuram Himilco ratus, via decipitur. Mediter-
 raneo namque Poenus itinere duxit; legio maritimis locis,
 classe prosequente, ad Ap. Claudium, Pachynum cum parte
 copiarum obviam progressum, pervenit. Nec diutius Poeni
 ad Syracusas morati sunt. Et Bomilcar, simul parum fidens
 navibus suis, duplici facile numero classem habentibus Ro-²
 manis, simul inutili mora cernens nihil aliud ab suis quam
 inopiam aggravari sociorum, velis in altum datis, in Africam
 transmisit: et Himilco, secutus nequicquam Marcellum
 Syracusas, si qua, priusquam maioribus copiis iungeretur,
 occasio pugnandi esset, postquam ea nulla contigerat,
 tutumque ad Syracusas et munimento et viribus hostem
 cernebat, ne frustra assidendo spectandoque obsidionem
 sociorum tempus tereret, castra inde movit; ut, quocumque
 vocasset defectionis ab Romanis spes, admooveret exercitum,
 ac praesens suas res foventibus adderet animos. Murgan-
 tiam primum, prodito ab ipsis praesidio Romano, recepit;³
 ubi frumenti magna vis commeatusque omnis generis con-⁴
 vecti erant Romanis.

37.

Aliquot ur-
 bes ad Poe-
 nos defici-
 unt.
 Hennen-
 sium moli-
 tiones.

Ad hanc defectionem erecti sunt et aliarum civitatum
 anini: praesidiaque Romana aut pellebantur arcibus, aut
 prodita per fraudem opprimebantur. Henna, excelso loco
 ac praerupto undique sita, quum loco inexpugnabilis erat,
 tum praesidium in arce validum, praefectumque praesidii⁵
 haud sane opportunum insidiantibus habebat. L. Pinarius
 erat vir acer, et qui plus in eo, ne posset decipi, quam in
 fide Siculorum, reponeret: et tum intenderant eum ad
 cavendi omnia curam tot auditaeproditiones defectionesque
 urbium, et clades praesidorum. Itaque nocte dieque iuxta
 parata instructaque omnia custodiis ac vigiliis erant: nec
 ab armis aut loco suo miles abscedebat. Quod ubi Hen-
 nensium principes, iam pacti cum Himilcone de proditione
 praesidii, animadverterunt, nulli occasione fraudis Romanum

et minorem portum Syracusae habebant, inter quos Insula sita erat. STROTH.

² *Habentibus Romanis*] Classis Romana centum navium fuisse dicitur supr. 27: quare triginta quinquereemes aut pars classis Romanae erant, aut in supplementum eius missae sunt.

³ *Ab ipsis*] sc. Civibus urbis, ut supr. 35. *deditibus ipsis*.

⁴ *Convecti erant Romanis*] Displacet Fabro τὸ ubi, sed Drakenb. defendendum videtur, quippe quod magna vis frumenti, *ibi*, sc. Murgantiae, reposita erat, in usum Romanorum convecta.

⁵ *Haud . . . opportunum insidiantibus*] Qui se non facile captandum praeberet insidiantibus. Sic supr. vi. 24. *Opportunus eruptioni*. CREV.

patere, palam rentur agendum. ‘Urbem arcemque suae U. C. 538.
 ‘potestatis,’ aiunt, ‘debere esse, si liberi in societatem, non A. C. 214.
 ‘servi in custodiam, traditi essent Romanis. Itaque claves
 ‘portarum reddi sibi’ aequum censent. ‘Bonis sociis fidem
 ‘suam maximum vinculum esse: et ita sibi populum Ro-
 ‘manum senatumque gratias habiturum, si volentes, ac non
 ‘coacti, mansissent in amicitia.’ Ad ea Romanus, ‘Se in
 ‘praesidio impositum esse,’ dicere, ‘ab imperatore suo:
 ‘clavesque portarum et custodiam arcis ab eo accepisse,
 ‘quae nec suo nec Hennensium arbitrio haberet, sed eius,
 6 ‘qui commisisset. Praesidio decedere apud Romanos ca-
 7 ‘pital esse: et nece liberorum etiam suorum eam legem
 ‘parentes sanxisse. Consulem Marcellum haud procul
 8 ‘esse: ad eum mitterent legatos, cuius iuris atque arbitrii
 ‘esset.’ Se vero negare illi missuros: testarique, si verbis
 nihil agerent, vindictam aliquam libertatis suae quaesituros.
 Tum Pinarius: ‘At illi, si ad consulem gravarentur mittere,
 ‘sibi saltem darent populi concilium: ut sciretur, utrum
 ‘paucorum ea denuntiata, an universae civitatis, essent.’
 9 Consensu in posterum diem concio edicetur.

1 Postquam ab eo colloquio in arcem sese recepit, convo- 38.
 cati militibus, ‘Credo ego vos audisse, milites,’ inquit, Pinarii
 ‘quemadmodum praesidia Romana ab Siculis circumventa Hennae
 ‘et oppressa sint per hos dies. Eam vos fraudem, deuni praefecti
 ‘primo benignitate, dein vestra ipsi virtute, dies noctesque oratio ad
 ‘perstando ac pervigilando in armis, vitastis. Utinam reli-
 ‘quum tempus nec patiando infanda, nec faciendo, traduci
 2 ‘possit! Haec occulta in fraude cautio est, qua usi adhuc
 ‘sumus: cui quoniam parum succedit, aperte ac propalam
 ‘claves portarum reposcunt; quas simul tradiderimus,
 ‘Carthaginensium extemplo Henna erit, foediusque hic
 ‘trucidabimur, quam Murgantiae praesidium interfectum
 ‘est. Noctem unam aegre ad consultandum sumpsimus, qua
 ‘vos certiores periculi instantis facerem. Orta luce concii-

6 *Capital esse*] *Capitale* adiectivum praeferunt edd. ante Gronov. Festus, “capital, facinus quod capitis poena luitur.” Eadem vox ap. Silium xiii. 155. exstat, et ap. Sueton. Calig. 24. pro adiectivo a viris doctis recepta est.

7 *Et nece liberorum . . . suorum . . . sanxisse*] *Id nece liberorum suorum iam parentes sanxisse*, auctore Iac. Gronovio, reposuit Bekker.

8 *Arbitrii esset*] *Supple. res. Cr.*

9 *Consensu . . . edicetur*] Quum omnes mss. earent ultima voce, *edicitur*, Gronovius *consensu in posterum*

diem concio legendum putat, quem Bekker. secutus est.

1 *Convocatis militibus*] *Omnibus pro militibus* coniecit Gronov. et reposuit Bekker. Sed repetitionem vocum *militibus*, et *milites*, haud a more Liviano alienam esse animadvertit Drakenb. cf. supr. i. 3. ubi voces *colle* et *colli*, verbis admodum paucis interiectis, repetitae viris doctis displicuerunt.

2 *Haec occulta in fraude*] Ita ab occultis insidiis hactenus nobis cavimus, quibus quoniam parum succedit . . .

U. C. 538. 'onem habituri sunt ad criminandum me concitandunque
 A. C. 214. 'in vos populum. Itaque crastino die, aut vestro, aut
 'Hennensium sanguine Henna inundabitur. Nec praeoc-
 'cupati spem ullam, nec occupantes periculi quicquam ha-
 'bebitis. Qui prior strinxerit ferrum, eius victoria erit.
 'Intenti ergo omnes armatique signum exspectabitis. Ego
 'in concione ero: et tempus, quoad omnia instructa sint,
 'loquendo altercandoque traham. Quum toga signum
 'dederō, tum mihi undique clamore sublato turbam invadite,
 'ac sternite omnia ferro: et cavete, quisquam supersit, a
 'quibus aut vis, aut fraus timeri possit. Vos, Ceres mater ³
 'ac Proserpina, precor, ceteri superi infernique dii, qui
 'hanc urbem, hos sacratos lacus lucosque colitis, ut ita nobis
 'volentes propitii adsitis, si vitandae, non ferendae, fraudis
 'causa hoc consilii capimus. Pluribus vos, milites, hortarer,
 'si cum armatis dimicatio futura esset. Inermes, incautos
 'ad satietatem trucidabitis. Et consulis castra in propinquo
 'sunt, ne quid ab Himilcone et Carthaginiensibus timeri
 'possit.'

39. Ab hac adhortatione dimissi corpora curant. Postero
 die alii aliis locis, ad obsidenda itinera claudendosque oppo-
 siti exitus, pars maxima super theatrum circaque, assueti
 et ante spectaculis concionum, consistunt. Productus ad
 populum a magistratibus praefectus Romanus, quum con-
 sulis ea de re ius ac potestatem esse, non suam, et pleraque
 eadem, quae pridie, dixisset; primo sensim, ac plures, red-
 dere claves, dein iam una voce id omnes iuberent, cunctan-
 tique ac differenti ferociter minitarentur, nec viderentur
 ultra vim ultimam dilatari; tum praefectus toga signum, ut
 convenerat, dedit: militesque intenti dudum ac parati, alii
 superne in aversam concionem clamore sublato decurrunt, ⁵
 alii ad exitus theatri conferti obsistunt. Caeduntur Hen-
 nenses cavea inclusi, coacervanturque, non caede solum,
 sed etiam fuga; quum alii super aliorum capita ruerent,
 atque integri saucis, vivi mortuis incidentes, cumularentur.
 Inde passim discurritur, et urbis captae modo fugaque et
 caedes omnia tenet: nihilo remissiore militum ira, quod
 turbam inermem caedebant, quam si periculum par et ardor

Caeduntur
 Hennenses.

3. *Vos, Ceres mater ac Proserpina*] Quippe prope Hennam a Plutone raptā erat Proserpina, in prato nempe "lucis lacubusque" circumdato. cf. Diod. Sic. v. 3. Ceterum urbs ipsa prae reliquis Cereri et Proserpinae sacra erat. cf. Cic. in Verr. iv. 48. v. 72. STROTH.

4 *Claudendosque oppositi exitus*]

Ita Drakenb. pro vulg. *claudendosque oppidanis exitus*, quod ex coniectura Vallae provenerat.

5 *In aversam concionem*] Mss. et edd. *in aversam*. Correxit ex evidenti ratione Gronovius. Scilicet concio procul dubio erat a militibus in concionantem praefectum Romanum aversa. CREV.

6 certaminis eos irritaret. Ita Henna, aut malo, aut necessario facinore retenta. U. C. 538.
A. C. 214.

Marcellus nec factum improbavit, et praedam Hennesium militibus concessit, ratus, timore deterritos temperaturos prodilionibus praesidiorum Siculos. Atque ea elades, ut urbis in media Sicilia sitae, claraeque vel ob insignem munimento naturali locum, vel ob sacrata omnia vestigiis raptae quondam Proserpinae, prope uno die omnem Siciliam pervasit. Et quia caede infanda rebantur, non hominum tantum, sed etiam deorum sedem violatam esse, tum vero, qui etiam ante dubii fuerant, defecere ad Poenos. Hippocrates inde Murgantiam, Himilco Agrigentum sese recepit: quum acciti a proditoribus nequiequam ad Hennam exercitum admovissent. Marcellus retro in Leontinos redit: frumentoque et commeatibus aliis in castra convectis, praesidio modico ibi relicto, ad Syracusas obsidendas venit. Inde Ap. Claudio Romam ad consulatum petendum misso, 7 T. Quinctium Crispinum in eius locum classi castrisque praeficit veteribus. Ipse hibernacula quinque millia passuum Hexapylo (Leonta vocant locum) communiit, aedificavitque. Haec in Sicilia usque ad principium hiemis gesta.

Eadem aestate et cum Philippo rege, quod iam ante 40. suspectum fuerat, motum bellum est. Legati ab Orico ad 1 M. Valerium praetorem venerunt, praesidentem classi Brundisio Calabriaeque circa litoribus, nuntiantes, Philippum primum Apolloniam tentasse, lenibus biremibus centum Bellum cum Philippo.

6 Aut malo, aut necessario facinore] Aut malo facinore, aut eo quod necessitas colore aliquo defendat, ac proinde pro malo damnari vetet. CREV.

7 T. Quinctium Crispinum] Hunc infr. xxv. 18. cum Badio Campano strenue in Campania pugnanti, et infr. xxv. 26. iterum castris veteribus ad Syracusas praefectum videbimus, unde suspicatur Drakenb. aut Crispinum, qui Ap. Claudio suffectus est, diversum fuisse ab eo qui cum Badio pugnavit, aut Livium diversos auctores secutum esse.

8 Haec in Sicilia usque ad principium hiemis gesta] Suspiciamus hic Livium duorum annorum res gestas in unum miscuisse: idque, duabus maxime adducti rationibus. Una, quod nihil omnino sequente anno, quo Ti. Sempronius l. Q. Fabius consules fuere, in Sicilia gestum memoratur a Livio: quod sane verisimile non est, quum tanti exercitus in in-

sula essent. Solas Cannensis exercitus ad Marcellum preces, huiusque literas de iis ad senatum retulit eo anno noster. Deinde, Polybius viii. 9. testis est Marcellum per octo menses cum Appio assedissee Syracusis, antequam ab eo discederet ad prohibendas per Siciliam defectiones urbium, et obviam eundem Carthaginensibus. Octo autem illi menses facile profecto reliquum consulatus Marcelli tempus consumperunt. Unde sequitur expeditiones Marcelli adversus Siculos, Himilconemque et Hippocratem, in eum annum excurrisse, quo Ti. Sempronius alterum consulatum cum Q. Fabio gessit. CREV.

9 M. Valerium praetorem] Id est, propraetorem, ut dicitur supr. 20. Praeturam gesserat anno superiore, cf. supr. xxiii. 24. CREV.

1 Praesidentem classi] Classi in ablativo casu hic accipiendum esse, recte monet Duker. cf. infr. xxviii. 7. xxx. 19.

U. C. 538. viginti flumine adverso subvectum: deinde, ut ea res tardior spe fuerit, ad Oricum clam nocte exercitum admovisse: eamque urbem, sitam in plano, neque moenibus, neque viris atque armis validam, primo impetu oppressam esse. Haec nuntiantes orabant, ut opem ferret, hostemque haud dubium Romanis terra aut maritimis viribus arceret; qui ob nullam aliam causam, nisi quod imminerent Italiae, peterentur. M. Valerius, praesidio loci eius relicto P. Valerio legato, cum classe instructa parataque, et, quod longae naves militum capere non poterant, in onerarias impositis, altero die Oricum pervenit: urbemque eam, levi tenente praesidio, quod recedens inde reliquerat Philippus, haud magno certamine recepit. Legati eo ab Apollonia venerunt, nuntiantes, in obsidione sese, quod deficere ab Romanis nollent, esse: neque sustinere ultra vim Macedonum posse, nisi praesidium mittatur Romanum. Facturum se, quae vellent, pollicitus, duo millia delectorum militum navibus longis mittit ad ostium fluminis, cum praefecto socium, Q. Naevio Crista, viro impigro et perito militiae. Is, expositis in terram militibus, navibusque Oricum retro, unde venerat, ad ceteram classem remissis, milites procul a flumine per viam minime ab regis obsessam duxit, et nocte, ita ut nemo hostium sentiret, urbem est ingressus. Die insequenti quieverere, dum praefectus iuventutem Apolloniatum, armaque et urbis vires inspiceret. Ubi ea visa inspectaque satis animorum fecere, simulque ab exploratoribus comperit, quanta socordia ac negligentia apud hostes esset; silentio noctis ab

Apollonia
obsessa a
Philippo.

Castra Ma-
cedonum
invadun-
tur.

2 *Neque moenibus*] Put. codex *moeniis*. Sunt et aliae quoque voces, quae identidem in optimo libro non pervulgata forma scriptae reperiuntur: ut *obsidium* pro *obsidum*, bis xxii. 22. et contra *mensum* pro *mensum*, xxiii. 21. et xxiv. 11. et *passum* pro *passum*, xxvi. 13. et *poteretur* pro *potiretur*, xxiii. 43. *Oreretur* quidem semper exhibet idem liber, ut alibi notamus. Adde *traiciatur*, xxix. 24. et *traiceret*, xxx. 24. pro *traiciatur* et *traiceret*. Haec observare nobis operae pretium esse visum est, ob eximiam vetustissimi codicis auctoritatem. CREV.

3 *Terra aut maritimis viribus*] Haec procul dubio vitiosa sunt. Gronovius e mss. qui tamen hic corruptissimi sunt, suspicatur: *Hostemque haud dubium Romanis Macedonem Epiri maritimis urbibus arceret, quae* . . . Sed haec etsi aptissime omnino congruunt ad sensum, longius abeunt

tum a vulgata lectione, tum etiam a mss. quam ut admittere audeamus. CREV.

4 *Imminerent Italiae*] Italiae vicinae essent, ex adverso Italiae sitae essent. cf. infr. xxxvii. 26. DRAK.

5 *Praesidio loci eius*] Cuius loci, quaerit Crevier; haud dubie eius, cui praesidebat Valerius, Brundisii nempe et Calabriae.

6 *Et, quod longae naves militum . . . impositis*] sc. iis militibus quos . . . impositis.

7 *Quod recedens inde reliquerat Philippus*] *Quod recedens inde reliquerat*, ex coniectura Gronov. reposuit Bekker.

8 *Praefecto socium*] Vid. xxiii. 7. Ceterum magna pars scriptorum non agnoscit ultimam vocem: ut Naevius praefectus dicatur huic copiae, quocunque gradu militiae fuerit. CREV.

urbe sine ullo tumultu egressus, castra hostium adeo neglecta atque aperta intravit, ut satis constaret, prius mille hominum vallum intrasse, quam quisquam sentiret: ac, si caede abstinuissent, pervenire ab tabernaculum regium potuisse. Caedes proximorum portae excitavit hostes. Inde tantus terror pavorque omnes occupavit, ut non modo alius quisquam arma caperet, aut castris pellere hostem conaretur; sed etiam ipse rex, sicut somno excitus erat, prope semindus fugiens, militi quoque, nedum regi, vix decoro habitu, ad flumen navesque perfugerit. Eodem et alia turba effusa est. Paulo minus tria millia militum in castris aut capta, aut occisa: plus tamen hominum aliquanto captum, quam caesum, est. Castris direptis, Apolloniatae catapultas, ballistas, tormentaque alia, quae oppugnandae urbi comparata erant, ad tuenda moenia, si quando similis fortuna venisset, Apolloniam devexere: cetera omnis praeda castrorum Romanis concessa est. Haec quum Oricum essent nuntiata, M. Valerius classem extemplo ad ostium fluminis duxit, ne navibus capessere fugam rex posset. Itaque Philippus, neque terrestri, neque navali certamine satis fore parem se fidens, subductis aut incensis navibus, terra Macedoniam petiit, magna ex parte inermi exercitu spoliatoque. Romana classis cum M. Valerio Orici hibernavit.

Eodem anno in Hispania varie res gestae. Nam, priusquam Romani annem Iberum transirent, ingentes copias Hispanorum Mago et Hasdrubal fuderunt: defecissetque ab Romanis ulterior Hispania, ni P. Cornelius, raptim traducto exercitu Iberum, dubiis sociorum animis in tempore advenisset. Primo ad Castrum Album (locus est insignis caede magni Hamilcaris) castra Romani habuere. Arx erat munita, et convexerant ante frumentum. Tamen, quia omnia circa hostium plena erant, agmenque Romanum impune incursatum ab equitibus hostium fuerat, et ad duo millia, aut moratorum aut palantium per agros, interfecta, cessare inde Romani propius pacata loca, et ad montem Victoriae castra commuivere. Eo Cn. Scipio cum omnibus copiis, et Hasdrubal Gisgonis filius, tertius Carthagini-

U. C. 538.
A. C. 214.

Philippi
fuga.

41.

Res in Hispania gestae.

9 *Ut non modo*] Continet hic locus anacoluthon quoddam, cum *ne quidem*, quam negationem alteram post *non modo* expectamus, affirmative expressum sit per *sed etiam*. Ceterum si sententiam verborum spectamus, illud *perfugere ad flumen navesque* hanc comprehendit negationem, sc. ne regem quidem arma cepisse, aut suorum praesidio tectum esse. Similiter Cic. ad Att. ii. 1. *non modo excitatum esse ad scribendum*,

sed deterritum. Quo quidem in loco omissa negatio latet in voce *deterritum*. RASCH.

1 *Subductis aut incensis*] *Subductis atque incensis*, auctore Dukero, recepit Bekker.

2 *Convexerant ante frumentum*] Romanine an Carthaginienses arcem possederint, dubitat Glarean. Sed ex sequenti *tamen* colligendum videri, Romanos arcem possedissee, monet Drakenb.

U. C. 538. ensium dux, cum exercitu iusto advenit: contraque castra
 A. C. 214. Romana trans fluvium omnes consedere. P. Scipio, cum
 expeditis clam profectus ad loca circa visenda, haud fefellit
 hostes: oppressissentque eum in patentibus campis, ni
 tumultum in propinquo cepisset. Ibi quoque circumsessus
 adventu fratris obsidione eximitur. Castulo urbs Hispaniae
 valida ac nobilis, et adeo coniuncta societate Poenis, ut
 Illiturgin oppugnant Poeni.
 Illiturgin oppugnant Poeni.
 42. Proelium ad Mundam.
 Altera Rom. victoria.
 Tertia victoria.

Illiturgin oppugnant Poeni.
 42. Proelium ad Mundam.
 Altera Rom. victoria.
 Tertia victoria.

U. C. 538. ensium dux, cum exercitu iusto advenit: contraque castra
 A. C. 214. Romana trans fluvium omnes consedere. P. Scipio, cum
 expeditis clam profectus ad loca circa visenda, haud fefellit
 hostes: oppressissentque eum in patentibus campis, ni
 tumultum in propinquo cepisset. Ibi quoque circumsessus
 adventu fratris obsidione eximitur. Castulo urbs Hispaniae
 valida ac nobilis, et adeo coniuncta societate Poenis, ut
 Illiturgin oppugnant Poeni.
 Illiturgin oppugnant Poeni.
 42. Proelium ad Mundam.
 Altera Rom. victoria.
 Tertia victoria.

U. C. 538. ensium dux, cum exercitu iusto advenit: contraque castra
 A. C. 214. Romana trans fluvium omnes consedere. P. Scipio, cum
 expeditis clam profectus ad loca circa visenda, haud fefellit
 hostes: oppressissentque eum in patentibus campis, ni
 tumultum in propinquo cepisset. Ibi quoque circumsessus
 adventu fratris obsidione eximitur. Castulo urbs Hispaniae
 valida ac nobilis, et adeo coniuncta societate Poenis, ut
 Illiturgin oppugnant Poeni.
 Illiturgin oppugnant Poeni.
 42. Proelium ad Mundam.
 Altera Rom. victoria.
 Tertia victoria.

3 *Tragula*] Teli genus, a *traiciendo* dictum, ut ait Varro de L. L. cf. supr. xxi. 7.

4 *Sed gens nata*] Intellige gentem Barcinam, de qua supr. xxi. 10, non Punicam, STROTH. Sed alia aliis placuerint.

5 *A fratre misso*] Praepositionem *a* addidit Duker., sed Stroth. omit- tendam censet. *Fratre* sc. Hasdru-

bale, fratre Hannibalis et Magonis.

6 *Alii plerique milites*] Licet plerique milites, conquisiti et adducti recens a Magone, alii essent quam qui prioribus proeliis pugnaverant, tamen iisdem animis quibus prius, ut qui pugnant pro parte toties intra paucos dies victa, eodemque eventu pugnare. Videtur opponere inter se voluisse Livius, hinc alios milites,

sicut pro parte toties intra paucos dies victa, iisdem animis, U. C. 538.
 7 quibus prius, eodemque eventu pugnare. Plus octo A. C. 214.
 millia hominum caesa: haud multo minus quam mille cap-
 tum, et signa militaria quinquaginta octo; et spolia plurima
 Gallica fuere, aurei torques, armillaeque, magnus numerus.
 Duo etiam insignes reguli Gallorum (Moenicapto et Civi-
 maro nomina erant) eo proelio ceciderunt: octo elephanti
 capti, tres occisi.

Quum iam res prosperae in Hispania essent, verecundia Saguntum
 8 Romanos tandem cepit, Saguntum oppidum, quae causa receptum a
 9 belli esset, octavum iam annum sub hostium potestate esse. Rom.

Itaque id oppidum, vi pulso praesidio Punico, receperunt,
 cultoribusque antiquis, quos vis reliquerat belli, restituerunt:
 et Turdetanos, qui contraxerant iis cum Carthaginensibus
 bellum, in potestatem redactos sub corona vendiderunt,
 urbemque eorum delevere.

Haec in Hispania, Q. Fabio, M. Claudio consulibus, gesta. 43.
 Romae quum tribuni plebis novi magistratum inissent, ex-
 templo censoribus, P. Furio et M. Atilio, a L. Metello tri-
 buno plebis dies dicta ad populum est. Quae storem cum
 dies dicta ad popu-
 lum.

1 proximo anno, adempto equo, tribu moverant, atque aera-
 rium fecerant, propter coniurationem deserendae Italiae ad
 Cannas factam. Sed novem tribunorum auxilio vetiti
 causam in magistratu dicere, dimissique fuerant. Ne lus-
 trum perficerent, mors prohibuit P. Furii. M. Atilius
 2 magistratu se abdicavit.

Consularia comitia habita a Q. Fabio Maximo consule.
 Creati consules ambo absentes, Q. Fabius Maximus consulis
 filius, et Ti. Sempronius Gracchus iterum. Praetores fiunt
 M. Atilius, et, qui tum aediles curules erant, P. Sempronius
 Tuditanus, et Cn. Fulvius Centumalus, et M. Aemilius
 3 Lepidus. Ludos scenicos per quatrimum eo anno primum

illinc eosdem animos eundemque
 eventum. Recte tamen videtur Val-
 la emendare: *Galli plerique milites*,
 id est, milites, qui magna ex parte
 Galli erant. Vox *alii* parum clari
 hic sensus est: et Vallae coniecturam
 firmare videntur ea, quae de spoliis
 Gallicis et regulis Gallorum infra me-
 morantur. Emendationem Vallae ex-
 pressit Campanus. CREV.

7 *Quibus prius*] *Quibus priores* ex
 emendatione Vallae recepit Bekker.

8 *Saguntum oppidum, quae causa
 belli esset*] Hic restituimus Livio
 amatam loquendi figuram, ut relati-
 vum inter duo nomina positum ad
 posterius referatur. Id monuerat Iac.
 Gronovius, auctore optima fidei scri-
 pto, cui consentit Put. cum fidissimo

e regis. Vulgo quod. CREV.

9 *Octavum iam annum*] Imo quin-
 tum, si Livius secum ipse consentiat.
 Hic enim quintus Punici belli annus
 agitur. Anno autem huius belli pri-
 mo captum esse Saguntum contendit
 Livius xxi. 15. Polybius autem anno
 ante bellum exortum, unde sextus hic
 annus conficeretur.

1 *Aerarium fecerant*] cf. Supr. 18.

2 *Se abdicavit*] Quippe in censoris
 demortui locum alium subrogari fas
 non erat. cf. supr. v. 31. ix. 34. CR.

3 *Ludos scenicos*] Quo tempore Ro-
 mae instituti, supr. vii. 2. narratur.
 Ante hoc bellum Ludi Romani, sive
 Magni, cf. Dion. vii. 71. et Ludi Sce-
 nici publico sumpta editi sunt, sed
 quum iam respublica bello gravata

U. C. 538. factos ab curulibus aedilibus, memoriae proditur. Aedilis
A. C. 214. Tuditanus hic erat, qui ad Cannas, pavore aliis in tanta
clade torpentibus, per medios hostes evasit.

U. C. 539. Comitii perfectis, auctore Q. Fabio consule, designati
A. C. 213. consules Romam arcessiti magistratum inierunt: senatum-
Q. Fabio, que de bello, ac provinciis suis praetorumque, et de exer-
Ti. Sem- citibus, quibus quique praessent, consuluerunt. Itaque 3
pronio II. provinciae atque exercitus divisi. Bellum cum Hannibale
Coss. consulibus mandatum, et exercituum unus, quem ipse Sem-
rum divi- pronius habuerat; alter, quem Fabius consul. Eae binae 4
sio. 44. erant legiones. M. Aemilius praetor, cuius peregrina sors 5
erat, iurisdictione M. Atilio collegae, praetori urbano, man-
data, Luceriam provinciam haberet, legionesque duas, qui- 6
bus Q. Fabius, qui tum consul erat, praetor praefuerat. P.
Sempronio provincia Ariminum, Cn. Fulvio Suessula, cum
binis item legionibus, evenerunt: ut Fulvius urbanas legi-
ones duceret, Tuditanus a M. Pomponio acciperet. Pro-
rogata imperia provinciaeque, M. Claudio Sicilia finibus iis,
quibus regnum Hieronis fuisset: Lentulo propraetori pro-
vincia vetus: T. Otacilio classis. Exercitus nulli additi
novi. M. Valerio Graccia Macedoniaque cum legione et
classe, quam haberet: Q. Mucio cum vetere exercitu (duae
autem legiones erant) Sardinia: C. Terentio legio una, cui
iam praeerat, et Picenum. Scribi praeterea duae legiones
urbanae iussae, et viginti millia sociorum. His ducibus,
his copiis, adversus multa simul, aut mota aut suspecta, bella
munierunt Romanum imperium.

Prodigia. Consules, duabus urbanis legionibus scriptis, supplemen-
toque in alias lecto, priusquam ab urbe moverent, prodigia
procurarunt, quae nuntiata erant. Murus ac portae tactae:
et Ariciae etiam Iovis aedes de coelo tacta fuerat. Et alia
ludibria oculorum auriumque credita pro veris. Navium
longarum species in flumine Tarracinae, quae nullae erant,
visae; et in Iovis Vicilini templo, quod in Compsano agro 7
est, arma concrepuisse: et flumen Amiterni cruentum flux-
isse. His procuratis ex decreto pontificum, profecti cons-
ules, Sempronius in Lucanos, in Apuliam Fabius. Pater
filio legatus ad Suessulam in castra venit. Quum obviam

Fabius pater a filio
descendere
equo ius-
sus.

oneri ferendo non esset, ex hoc tem-
pore munus horum ludorum appa-
randorum, tanquam Graece *λειτροπυγία*,
aedilibus curulibus deferebatur. cf.
Niebhr. iii. n. 48.

3 *Itaque*] se. *Et ita*, atque hoc
modo, quo statim narrabitur.

4 *Eae binae erant*] Singuli exer-
citus duas legiones habebant.

5 *Peregrina sors*] se. Qui praetor

peregrinus esset, qui ius inter pere-
grinos, vel inter peregrinos et cives
diceret. cf. supr. xxii. 35.

6 *Provinciam haberet*] Sub. pla-
cuit, seu iussum est. DOER.

7 *Iovis Vicilini*] Cognomen *Vici-
linus* a loco hodie inognito ductum
videtur. STROTH. Nisi malis *Viscil-
linus*, aut Vescellinus. cf. supr. xxiii.
37.

filii progredieretur, lictoresque verecundia maiestatis eius U. C. 539.
 8 taciti anteirent; praeter undecim fascies equo praevectus A. C. 213.
 9 senex, ut consul animadvertere proximum lictorem iussit,
 1 et is, ut descenderet ex equo, inclamavit; tum demum desiliens, ‘Experiri,’ inquit, ‘volui, fili, satim’ scires, consulem
 ‘te esse.’

‘In ea castra Dasius Altinius Arpinus clam nocte cum 45.
 tribus servis venit, promittens, si sibi praemio foret, se Ar- Altinius
 pos proditurum esse. Quum eam rem ad consilium retu- Arpinus ve-
 lisset Fabius, aliis ‘pro transfuga verberandus necandusque’ nit ad Cos.
 2 videri, ‘ancipitis animi communis hostis: qui post Can-
 ‘nensem cladem, tanquam cum fortuna fidem stare oporteret,
 3 ‘ad Hannibalem discessisset, traxissetque ad defectionem
 ‘Arpos; quumque res Romana contra spem votaue eius
 4 ‘velut resurgeret, turpius videatur novam referre proditio-
 5 ‘nem proditis olim; qui aliunde stet semper, aliunde sen-
 6 ‘tiat, infidus socius, vanus hostis; ad Faleriorum Pyrrhive
 7 ‘proditorem tertium transfugis documentum esset.’ Contra
 ea consulis pater Fabius, ‘Temporum oblitos homines in
 ‘medio ardore belli, tanquam in pace, libera de quoque
 ‘arbitria agere,’ aiebat: ‘qui, quum illud potius agendum
 ‘atque iis cogitandum sit, si quo modo fieri possit, ne qui
 8 ‘socii a populo Romano desciscant, id non cogitent; docu-
 ‘mentum autem dicant statui oportere, si quis respiscat, et

8 *Praeter undecim fascies*] Hinc apparet, quod et aliunde constat, lictores ire solitos ante magistratum, non gregatim, non binos ternosve, sed singulos, et in lineam. CREV.

9 *Animadvertere*] Verbum proprium de lictoris officio. Videntur hoc verbo comprehendisse quicquid honoris lictor venienti magistratui exhibendum curaret, ut assurgere, via decedere, equo aut curru descendere. CREV.

1 *Proximum lictorem*] *Proximus* lictor is erat, qui proxime aberat a magistratu. *Primus*, is qui anteibat, et quasi ducebat agmen. CREV.

2 *Ancipitis animi communis hostis*] Communis hostis et Romanorum et Poenorum, cuius animus inter utrosque anceps fluctuaret. CREV.

3 *Discessisset*] *Discessit*, ex Mureti libris, legendum monet Gronov. quem Bekker, secutus est; sed Drakenb. nihil mutandum censet.

4 *Referre proditionem*] Quemadmodum *gratiam referre* is dicitur qui, quod ipsi gratum est factum, id vicissim aliquo modo rependit, ita proditis olim *prodicionem refert*, qui

pristinæ proditionis damnum nova proditione resarcit. RASCH.

5 *Qui aliunde stet semper, aliunde sentiat*] Qui semper alii faveat, quam cuius in partibus stet eius corpus. Nempe ille, dum numerabatur in sociis Romanorum, faverat Poenis; nunc quum habetur socius Poenorum, favet Romanis. CREV.

6 *Vanus hostis*] Levis, inconstans hostis, et facile transiturus in eius partes, cuius se hostem ferat. CREV.

7 *Faleriorum Pyrrhive proditorem*] De ludimagistro Falisco cf. supr. v. 27. De Nicia, vel Timochare, Pyrrhi medico, qui regem veneno se sublaturum esse C. Fabricio consuli pollicitus est, cf. Liv. Epit. xiii. A. Gell. iii. 8. Cic. Off. iii. 86. Val. Max. vi. 5.

8 *Documentum autem dicant*] Libri veteres ita habent, *Documentum autem ducant statui oportere non nocitivum*; Muretus vero emendavit, *documentum statui oportere non nociturum*: et Thueyd. iii. 46. eandem sententiam recitat, οὔτε ἀνέλπιστον καρασπῆσαι τοῖς ἀποστάσιν, ὥς οὐκ ἔσται μεταγνώσαι. cf. Muret. Var. Lect. xv. 16.

U. C. 539. 'antiquam societatem respiciat. Quod si abire ab Romanis
 A. C. 213. 'liceat, redire ad eos non liceat; cui dubium esse, quin
 'brevis deserta ab sociis Romana res foederibus Punicis
 'omnia in Italia iuncta visura sit? Se tamen non eum esse,
 'qui Altinio fidei quicquam censeat habendum, sed mediam
 'consecuturum consilii viam. Neque eum pro hoste, neque
 'pro socio in praesentia habitum, libera custodia haud pro-
 'cul a castris placere in aliqua fida civitate servari per belli
 'tempus: perpetrato bello, tum consultandum, utrum de-
 'fectio prior plus merita sit poenae, an hic reditus veniae.'
 Fabio assensum est; catenisque ligatus traditur et ipse et
 comites: et auri satis magnum pondus, quod secum tum
 attulerat, ei servari iussum. Calibus eum interdium solum
 custodes sequebantur: nocte clausum asservabant. Arpis
 domi primum desiderari quaerique est coeptus: dein fama,
 per totam urbem vulgata, tumultum, ut principe amisso,
 fecit: metuque rerum novarum extemplo nuntii ad Hanni-
 balem missi. Quibus nequaquam offensus Poenus, quia et
 ipsum, ut ambiguae fidei virum, suspectum iam pridem
 habebat, et causam nactus erat tam ditis hominis bona pos-
 sidendi vendendique; ceterum ut irae magis, quam avari-
 tia, datum crederent homines, crudelitatem quoque gravi-
 tati addidit, coniugemque eius ac liberos in castra accitos,
 quaestione prius habita, primum de fuga Altinii, dein
 quantum auri argentique domi relictum esset, satis cognitis
 omnibus, vivos combussit.

Coniux
 eius et li-
 beri com-
 busti ab
 Hannibale.

46.

Arpos ag-
 greditur
 Fabius.

Fabius, ab Suessula profectus, Arpos primum institit
 oppugnare. Ubi quum a quingentis fere passibus castra
 posuisset, contemplatus ex propinquo situm urbis moenia-
 que, quae pars tutissima moenibus erat, qua maxime neg-
 lectam custodiam vidit, ea potissimum aggredi statuit.
 Comparatis omnibus, quae ad urbes oppugnandas usui sunt,
 centurionum robora ex toto exercitu delegit, tribunosque
 viros fortes iis praefecit, et milites sexcentos, quantum satis
 visum est, attribuit: eosque, ubi quartae vigiliae signum
 cecinisset, ad eum locum scalas iussit ferre. Porta ibi hu-
 milis et angusta erat, via infrequenti per desertam partem
 urbis: eam portam scalis prius transgressos ad murum²

¹ *Libera custodia*] Quid sit libera
 custodia sequentia declarant: *Calibus*
eum interdium solum custodes seque-
bantur.

² *Crudelitatem quoque gravitati*] Ita pro vulg. *crudelitate quoque gra-*
vitatem, receperunt Stroth. et Bekker.
 Sed Stroth. *gravitati* vix locum hic
 esse putat, quum de duobus Hanni-
 balis vitiis, sc. avaritia et ira, sermo

sit; quare legendum *aviditati*, aut
 cum Gronov. *rapacitate* censet.

² *Eam portam . . . transgressos ad*
murum pergere] Qui portam scalis
 transgressi sunt, eos necesse non est
 ad murum pergere, quum in ipso
 muro sint. Quare ex vestigiis opti-
 mi codicis emendandum videtur, *eam*
portam, scalis prius transgressos mu-
rum, aperire. CREV. Contra unam

pergere, et ex interiore parte vi claustra refringere iubet, U. C. 539.
 et tenentes partem urbis cornu signum dare, ut ceterae A. C. 213.
 copiae admoventur: parata omnia atque instructa sese
 habiturum. Ea impigre facta: et, quod impedimentum
 agentibus fore videbatur, id maxime ad fallendum adiuvit.

Imber, ab nocte media coortus, custodes vigilesque, dilapsos
 e stationibus, suffugere in tecta coegit: sonituque primo
 largioris procellae strepitum molientium portam exaudiri
 prohibuit; lentior deinde aequaliorque accidens auribus
 magnam partem hominum sopivit. Postquam portam te- Et capit.

nuerunt, cornicines in via paribus intervallis dispositos
 canere iubent, ut consulem excirent. Id ubi factum ex
 composito est, signa efferri consul iubet, ac paullo ante
 lucem per effractam portam urbem ingreditur. Tum de- 47.

num hostes excitati sunt, iam et imbre conquiescente, et
 propinqua luce. Praesidium in urbe erat Hannibalis,
 quinque millia ferme armatorum: et ipsi Arpini tria millia
 hominum armabant. Eos primos Poeni, ne quid ab tergo
 fraudis esset, hosti opposuerunt. Pugnatum primo in te-
 nebris angustisque viis est. Quum Romani non vias tan-

tum, sed tecta etiam proxima portae, occupassent, ne peti
 superne ac vulnerari possent: cogniti inter se quidam Ar- Arpinis ip-
 pinique et Romani; atque inde colloquia coepta fieri, per- sis adiu-
 cunctantibus Romanis, quid sibi vellent Arpini? quam ob vantibus.

3 noxam Romanorum, quod aut meritum Poenorum, pro
 alienigenis ac barbaris, Italici adversus veteres socios Ro-
 4 manos bellum gererent, et vectigalem ac stipendiariam
 Italiam Africae facerent? Arpinis purgantibus, ignaros
 omnium se venum a principibus datos Poeno, captos op-
 pressosque a paucis esse. Initio orto, plures cum pluribus
 colloqui. Postremo praetor Arpinus ab suis ad consulem
 deductus; fideque data inter signa aciesque, Arpini re-
 pente pro Romanis adversus Carthaginiensem arma ver-
 terunt. Hispani quoque, paullo minus mille homines,
 nihil praetera cum consule pacti, quam ut sine fraude
 Punicum emitteretur praesidium, ad consulem transtule-
 runt signa. Carthaginiensibus portae patefactae, emissique
 cum fide incolumes ad Hannibalem Salapiam venerunt.

vocem transponens, loco male affecto
 succurrere conatur Roellius, legendo,
ad eam portam scalis prius trans-
gressos murum pergere: non enim
 prius portam aperiebant, dein claustra
 refringebant. DRAK.

3 *Quod aut meritum*] *Quod autem*
ob meritum ex cod. Pal. 2. recepit
 Stroth., probante Dukero. *Quodve ob*
meritum Doer. legendum mavult.
 Durior quidem videtur lectio *quod*

aut, sed in mss. optimis exstat.

4 *Vectigalem ac stipendiariam*] Sae-
 pe hae duae voces eodem sensu usur-
 pantur, ut infr. xxxvii. 55. Tamen
 si accuratam proprietatem quaerimus,
 eo differunt, quod *stipendiarii* sunt ii
 qui certum pecuniae frumentive aut
 cuiuslibet rei modum pendere debent:
vectigales qui incertum, e. g. decumas
 fructuum. cf. supr. xxi. 41. CREV.

U. C. 539. Arpi sine clade ullius, praeterquam unius veteris proditoris,
 A. C. 213. novi perfugae, restituti ad Romanos. Hispanis duplicia⁵
 cibaria dari iussa: operaque eorum forti ac fideli persaepe
 respublica usa est.

Quum consul alter in Apulia, alter in Lucanis esset;
 Campani equites centum duodecim nobiles Campani, per speciem
 praedandi ex hostium agro, permissu magistratuum ab
 112. ad
 castra
 Rom. ve-
 niunt.
 Aternum
 captum.
 Romae in-
 cendium.
 equis centum duodecim nobiles Campani, per speciem
 praedandi ex hostium agro, permissu magistratuum ab
 Capua profecti, ad castra Romana, quae super Suessulam
 erant, venerunt. Stationi militum, qui essent, dixerunt;
 colloqui sese cum praetore velle. Cn. Fulvius castris
 praecerat: cui ubi nuntiatum est, decem ex eo numero
 iussis inermibus deduci ad se, ubi, quae postularent, au-
 divit, (nihil autem aliud petebant, quam ut, Capua recepta,
 bona sibi restituerentur) in fidem omnes accepti. Et ab
 altero praetore Sempronio Tuditano oppidum Aternum
 expugnatum. Amplius septem millia hominum capta, et
 aeris argentique signati aliquantum. Romae foedum in-
 cendium per duas noctes ac diem unum tenuit: solo
 aequata omnia inter Salinas ac portam Carmentalem cum
 Aequimaelio Iugarioque vico. In templis Fortunae ac 7
 matris Matutae et Spei extra portam late vagatus ignis 8
 sacra profanaque multa absumpsit.

48. Eodem anno P. et Cn. Cornelii, quum in Hispania res
 Res in His- prosperae essent, multosque et veteres reciperent socios, et
 pania ges- novos adiicerent, in Africam quoque spem extenderunt.
 tae. Syphax erat rex Numidarum, subito Carthaginensibus
 Legati ad hostis factus. Ad eum centuriones tres legatos miserunt,
 Syphacem missi a Sci- qui cum eo amicitiam societatemque facerent; et pollice-
 pionibus. rentur, si perseveraret urgere bello Carthaginenses, gratam
 eam rem fore senatui populoque Romano, et annisuros, ut
 in tempore, et bene cumulatam gratiam referant. Grata
 ea legatio barbaro fuit: collocutusque cum legatis de
 ratione belli gerundi, ut veterum militum verba audivit,
 quam multarum rerum ipse ignarus esset, ex comparatione
 tam ordinatae disciplinae, animum advertit. Tum, primum 9
 ut pro bonis ac fidelibus sociis facerent, oravit, 'ut duo le-
 gationem referrent ad imperatores suos; unus apud sese

5 *Restituti ad Romanos*] cf. Supr. ii. 13. et 49. ubi similiter *restituo* cum accusativo casu iungitur.

6 *Duplicia cibaria*] Usitatum fuit apud Romanos hoc modo virtutem militarem remunerare, unde *duplicarii* dicebantur, qui duplex frumentum ob virtutem acciperent. cf. supr. ii. 59.

7 *Aequimaelio*] cf. Supr. iv. 16.

8 *Spei extra portam*] Fortunae et Matris Matutae aedes intra Portam

Carmentalem erant, sola Spei extra portam. cf. infr. xxv. 7. Aedes Matris Matutae, ita enim Ino, Semeles soror, apud Italos vocabatur, a Servio Tulio primo dedicata erat, postea refecta et a Camillo dedicata. supr. v. 21. Aedes quoque Fortunae a Servio Tulio dedicata erat. supr. x. 46.

9 *Animum advertit*] Sic saepe antiqui, quod postea per elisionem frequentius pronuntiatum est *animadvertit*. CREV.

‘magister rei militaris remaneret. Rudem ad pedestria U. C. 539.
 ‘bella Numidarum gentem esse, equis tantum habilem. A. C. 213.
 ‘Ita iam inde a principiis gentis maiores suos bella gessisse. Unus apud
 ‘ita se a pueris insuetos. Sed habere hostem pedestri eum rema-
 ‘fidentem Marte: cui si aequari robore virium velit, et net militiae
 ‘sibi pedites comparandos esse; et ad id multitudine ho-
 ‘minum regnum abundare: sed armandi, ornandique, et
 ‘instruendi eos artem ignorare. Omnia, velut forte con-
 ‘gregata turba, vasta ac temeraria esse.’ Facturos se in
 praesentia, quod vellet, legati responderunt: fide accepta,
 ut remitteret extemplo eum, si imperatores sui non com-
 probassent factum. Q. Statorio nomen fuit, qui ad regem
 remansit. Cum duobus Romanis reliquis Numida legatos
 in Hispaniam misit ad accipiendam fidem ab imperatoribus
 Romanis. Iisdem mandavit, ut protinus Numidas, qui
 intra praesidia Carthaginiensium auxiliares essent, ad
 transitionem pellicerent. Et Statorius ex multa iuventute
 regi pedites conscripsit: ordinatosque proxime morem Ro-
 manum, instruendo et decurrendo signa sequi, et servare
 ordines docuit: et operi aliisque iustis militaribus ita as-
 suefecit, ut brevi rex non equiti magis fideret, quam pediti;
 collatisque aequo campo signis, iusto proelio Carthagini-
 ensem hostem superaret. Romanis quoque in Hispania
 legatorum regis adventus magno emolumento fuit. Namque
 ad famam eorum transitiones crebrae ab Numidis coeptae
 fieri. Ita cum Syphace Romanis iuncta amicitia est.

Quod ubi Carthaginienses acceperunt, extemplo ad
 Galam, in parte altera Numidia (Massyli ea gens vocatur)
 regnantem, legatos mittunt. Filium Gala Masinissam ha-
 bebat, septem et decem annos natum, ceterum invenem ea
 indole, ut iam tum appareret, latius regnum opulentiusque,
 quam quod accepisset, facturum. Legati, ‘quoniam Sy-
 phax se Romanis iunxisset, ut potentior societate eorum
 ‘adversus reges populosque Africae esset,’ docent; ‘melius
 ‘fore Galae quoque, Carthaginiensibus iungi quam primum,
 ‘antequam Syphax in Hispaniam, aut Romani in African
 ‘traseant; opprimi Syphacem, nihildum praeter nomen
 ‘ex foedere Romano habentem, posse.’ Facile persuasum
 Galae, filio deposcente id bellum, ut exercitum mitteret:

49.

Carthagin.
 cum Gala
 foedus fa-
 ciunt.

1 *Insuetos*] Non adiectivum, sed participium verbi *insuescere* esse patet. STROTH.

2 *Vasta*] Incondita, incomposita. Emendatio Rubenii. Olim editi *sua inscia*: scripti *suaisca*, vel *suasca*. CREV.

3 *Instruendo*] Dum instruuntur. Notum est illud Virgilii, *Uritque vi-*

dendo Femina. Et eodem modo Livius, supr. xxiii. 37. *promovendo adiunctam . . . turrem*. CREV.

4 *Iustis militaribus*] Muniis militaribus. Sic dicuntur *iusta funebria*. *Iusta* sunt quodvis pensum, officium, munus. Sic supr. ix. 8. *quam omnia iusta in deditionem nostram perfecta erunt*. CREV.

Masinissa
 Galae F.
 Syphacem
 vincit.

U. C. 539. qui, Carthaginiensium legionibus coniunctis, magno proelio
 A. C. 213. Syphacem devicit. Triginta millia eo proelio hominum
 caesa dicuntur. Syphax cum paucis equitibus in Mauru- 5
 sios ex acie Numidas (extremi prope Oceanum adversus
 Gades colunt) refugit: affluentibusque ad famam eius un-
 dique barbaris, ingentes brevi copias armavit. Cum quibus
 antequam in Hispaniam angusto diremptam freto traiceret,
 Masinissa cum victore exercitu advenit: isque ibi cum Sy-
 phace ingenti gloria per se, sine ullis Carthaginiensium
 opibus, gessit bellum. In Hispania nihil memorabile ges-
 tum, praeterquam quod Celtiberum iuventutem eadem
 mercede, qua pacta cum Carthaginiensibus erat, impera-
 tores Romani ad se perduxerunt: et nobilissimos Hispanos
 supra trecentos in Italiam ad sollicitandos populares, qui
 inter auxilia Hannibalis erant, miserunt. Id modo eius
 Celtiberi primi mer-
 cede mili-
 tant apud
 Rom. anni in Hispania ad memoriam insigne est, quod merce- 6
 narium militem in castris neminem ante, quam tum Celti-
 beros, Romani habuerunt.

5 *In Maurusios ex acie Numidas*] Incommodum est hoc loco vocabu-
 lum *Numidas*. Sigonius *Numidis* le-
 gere, alii delere plane malebant. For-
 san legendum; *in Maurusios ex acie*
(Numidarum extremi . . .) refugit.
 STROTH.

6 *Mercenarium militem in castris*
neminem ante] Gallos transfugas pri-
 mo Punico bello a Romanis in com-
 militum adseitos esse referunt Poly-
 bius et Zonaras. Quod si ita est, non
 primi Celtiberi in Romanis castris
 mercede militarunt. CREV.

EPITOME LIBRI XXV.

P. CORNELIUS SCIPIO, postea *Africanus*, ante annos aedilis factus est. *Hannibal* urbem *Tarentum*, praeter urbem, in quam praesidium Romanorum fugerat, per *Tarentinos iuvenes*, qui se noctu venatum ire simularerunt, cepit. *Ludi Apollinares* ex *Marcii* carminibus, quibus *Cannensis* clades praedicta fuerat, instituti sunt. A *Q. Fulvio* et *Ap. Claudio* consulibus adversus *Hannonem* *Poenorum* ducem prospere pugnatum est. *Ti. Seupronius Gracchus* proconsul, ab hospite suo *Lucano* in insidias deductus, a *Magone* interfectus est. *Centenius Penula*, qui centurio militaverat, quum petisset a senatu, ut sibi exercitus daretur, pollicitusque esset, si hoc inpetrasset, de *Hannibule* victoriam, octo millibus acceptis, militum dux factus, conflictu acie cum *Hannibule*, et cum exercitu cesus est. *Cn. Fulvius* praetor male adversus *Hannibule* pugnavit. In quo proelio hominum sexdecim millia ceciderunt: ipse cum equitibus ducentis effugit. *Cupua* obsessa est a *Q. Fulvio* et *Ap. Claudio* consulibus. *Claudius Marcellus* *Syracusas* expugnavit anno tertio, et ingentem se virum gessit. In eo tumultu urbis captae *Archimedes*, intentus formis, quas in pulvere descripserat, interfectus est. *P.* et *Cn. Scipiones* in *Hispania* tot tantarumque rerum feliciter gestarum tristem exitum tulerunt; prope cum totis exercitibus caesi anno octavo, quum in *Hispaniam* iverant: amissaeque eius provinciae possessio foret, nisi *L. Marcii* equitis *Romani* virtute et industria, contractis exercituum reliquiis, eiusdem hortatu, bina castra hostium expugnata essent. Ad triginta septem millia caesa, ad mille octingentos triginta capti, praeda ingens parta. Dux *Marcus* appellatus est.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXV.

U. C. 539.
A. C. 213.
Hannibal
ad Taren-
tum.

DUM haec in Africa atque in Hispania geruntur, Hannibal in agro Tarentino aestatem consumpsit, spe per prodicionem urbis Tarentinorum potiundae. Ipsorum interim et Sallentinorum ignobiles urbes ad cum defecerunt. Eodem tempore in Brutiis ex duodecim populis, qui anno priore ad Poenos desciverant, Consentini et Thurini in fidem populi Romani redierunt. Et plures rediissent, ni T. Pomponius Veientanus praefectus socium, prosperis aliquot populationibus in agro Bruttio iusti ducis speciem nactus, tumultuario exercitu coacto, cum Hannone conflisset. Magna ibi vis hominum, sed inconditae turbae agrestium servorumque, caesa aut capta est: minimumque iacturae fuit, quod praefectus inter ceteros est captus, et tum temerariae pugnae auctor, et ante publicanus, omnibus malis artibus et reipublicae et societatibus infidus damnosusque. Sempronius consul in Lucanis multa proelia parva, haud ullum dignum memoratu, fecit: et ignobilia oppida Lucanorum aliquot expugnavit.

Superstitiones Romanae exortae.

Quo diutius trahebatur bellum, et variabant secundae adversaeque res non fortunam magis, quam animos, hominum; tanta religio, et ea magna ex parte externa, civitatem incescit, ut aut homines, aut dii repente alii viderentur facti. Nec iam in secreto modo atque intra parietes abolebantur Romani ritus; sed in publico etiam ac foro Capitolioque mulierum turba erat, nec sacrificantium, nec precantium deos patrio more. Sacrificuli ac vates ceperant hominum mentes: quorum numerum auxit rustica plebs, ex incultis diutino bello infestisque agris egestate et metu

¹ *Ipsorum interim et Sallentinorum*] Particulam et addidit Rubinius. *Ipsos* intellige Tarentinos, ut Gronov. monet.

² *Anno priore*] Duobus ante annis, aut etiam amplius, supr. xxiv. 1. xxiii. 30. Sed haec minuta negligit

ferre Livius. CREV.

³ *Societatibus*] Publicanorum, de quibus haec vox sollemniter adhibetur. supr. xxiii. 49.

⁴ *Sacrificuli ac vates*] Eadem fere res narratur supr. iv. 30. Similis quoque infr. xxxix. 8. et 14. STROTH.

5 in urbem compulsa; et quaestus ex alieno errore facilis, U. C. 539.
 quem velut ex concessae artis usu exercebant. Primo se- A. C. 213.
 6 cretae bonorum indignationes exaudiebantur, deinde ad
 Patres etiam et ad publicam querimoniam excessit res.
 7 Incensati graviter ab senatu aediles triumvirique capitales,
 8 quod non prohiberent, quum emovere eam multitudinem e
 foro, ac disicere apparatus sacrorum conati essent, haud
 procul auit, quin violarentur. Ubi potentius iam esse id
 malum apparuit, quam ut minores per magistratus sedaretur,
 M. Atilio praetori urbis negotium ab senatu datum est,
 ut his religionibus populum liberaret. Is et in concione
 senatusconsultum recitavit, et edixit, ‘Ut, quicumque libros Coercitae
 ‘vaticinos precationesve, aut artem sacrificandi conscriptam a senatu.
 ‘haberet, eos libros omnes literasque ad se ante Kalendas
 ‘Apriles deferret: neu quis, in publico sacrove loco, novo
 ‘aut externo ritu sacrificaret.’

Et aliquot publici sacerdotes mortui eo anno sunt: L. 2.
 Cornelius Lentulus pontifex maximus, et C. Papirius C. Sacerdotes
 F. Maso pontifex, et P. Furius Philus augur, et C. Papirius mortui et
 L. F. Maso decemvir sacrorum. In Lentuli locum M. suffecti.
 Cornelius Cethegus, in Papirii Cn. Servilius Caepio, pon-
 tifices suffecti sunt. Augur creatus L. Quinctius Flamini-
 nus, decemvir sacrorum L. Cornelius Lentulus.

Comitiorum consularium iam appetebat tempus; sed, Dictator
 quia consules a bello intentos advocare non placebat, Ti. comitiorum
 Sempronius consul comitiorum causa dictatorem dixit C. causa.
 Claudium Centlionem: ab eo magister equitum est dictus
 9 Q. Fulvius Flaccus. Dictator primo comitiali die creavit
 consules Q. Fulvium Flaccum, magistrum equitum, et Ap.
 Claudium Pulchrum, cui Sicilia provincia in praetura fue-
 rat. Tum praetores creati Cn. Fulvius Flaccus, C. Clau-
 dius Nero, M. Iunius Silanus, P. Cornelius Sulla. Comitiiis

5 *Quaestus ex alieno errore*] sc. Quaestus ex aliorum superstitione et stultitia facile capiendus. RUP.

6 *Ad Patres etiam et ad publicam querimoniam excessit res*] Eo excessit res, ut iam Patres in eam inquirere se debere existimarent, quererenturque de ea tanquam ad rempublicam pertinente. Haec querimonia vocatur *publica*, tum quia non iam a privatis, sed a toto senatu proficiscebatur; tum quia ad reipublicae decus tranquillitatemque spectabat. CREV.

7 *Aediles*] sc. Plebis, quibus idem negotium supr. iv. 30. datum est. DUK.

8 *Triumvirique capitales*] Ili ma-

gistratus erant suffragiis populi creati, qui de maleficiis et sceleribus cognoscerent. Multum de eorum potestate detractum est, constitutis circa annum U. C. 608. quaestionibus perpetuis. Tum enim de vilissimis fere hominibus, furibus servisque, iudicare ad columnam Maeniam, de qua frequens occurrit apud scriptores mentio. Iidem carceri praeerant, et supplicia de noxiis sumenda curabant. Vid. Ascon. Paed. in Cic. Divin. et Pompon. de Orig. Iuris. CREV. Quo tempore primum creati essent, Liv. in Epit. xi. narrat.

9 *Primo comitiali die*] cf. Supr. xxiv. 7.

U. C. 539. perfectis, dictator magistratu abiit. Aedilis curulis fuit eo
 A. C. 213. anno cum M. Cornelio Cethego P. Cornelius Scipio, cui
 P. Corne- post Africano fuit cognomen. Huic petenti aedilitatem
 lius Scipio quum obsisterent tribuni plebis, negantes rationem eius ha-
 aedilis. bendam esse, quod nondum ad petendum legitima aetas²
 esset: 'Si me,' inquit, 'omnes Quirites aedilem facere
 'volunt, satis annorum habeo.' Tanto inde favore ad suf-³
 fragium ferendum in tribus discursum est, ut tribuni re-
 pente incepto destiterint. Aedilicia largitio haec fuit: ludi⁴
 Romani pro temporis illius copiis magnifice facti, et diem⁵
 unum instaurati, et congii olei in vicos singulos dati. L. 6
 Villius Tappulus et M. Fundanius Fundulus, aediles plebei,
 aliquot matronas apud populum probri accusarunt: quas-
 dam ex iis damnatas in exsilium egerunt. Ludi plebei⁷
 per biduum instaurati: et Iovis epulum fuit ludorum⁸
 causa.

3.

Q. Fulvius Flaccus tertium, Ap. Claudius consulatum
 ineunt. Et praetores provincias sortiti sunt; P. Cornelius
 U. C. 540. Sulla urbanam et peregrinam, quae duorum ante sors fue-
 A. C. 212. rat, Cn. Fulvius Flaccus Apuliam, C. Claudius Nero Sues-
 Q. Fulvio sulam, M. Iunius Silanus Tuscos. Consulibus bellum cum
 III. Ap. Hannibale et binae legiones decretae: alter a Q. Fabio
 Claudio Coss. et exercitus
 Provinciae divisi.

¹ *Aedilis curulis* . . . cum M. Cor-
 nelio Cethego] At, si Polybio x. 4. et
 5. atque Velleio Patereulo ii. 8. fides
 habenda sit, cum L. Cornelio Scipione
 fratre germano. Itaque Livius alios
 auctores secutus est, nisi legendum sit,
 cum L. Cornelio fratre germano. RUP.

² *Quod nondum ad petendum legi-
 tima aetas esset*] Nondum quidem
 leges Annales latae erant. Sed nimi-
 rum iam tum sancitum fuerat, ne quis
 ullum urbanum magistratum caperet,
 antequam dena stipendia emerita ha-
 beret: quod suo aevo servari docet
 Polybius, vi. 17. Porro decimo-septi-
 mo demum aetatis anno militiae no-
 men dabant Romani. Itaque nullum
 poterant magistratum urbanum ge-
 nere ante annum aetatis vigesimum-
 septimum. At Scipio tertio abhinc
 anno quattuor et viginti tantum an-
 nos natus esse dicitur, infr. xxvi. 18.
 CREV.

³ *Satis annorum*] Rogationem de-
 mum, anno U. C. 572. ab L. Villio
 tribuno plebis latam fuisse scribit Li-
 vius xl. 44. qua definiretur, quot an-
 nos nati quemque magistratum pete-
 rent caperentque cives Romani, atque
 inde cognomen familiae inditum ut

Annales appellarentur. Hac lege
 Villia anni videntur constituti Quae-
 sturae 31, vel si alios audiamus, 27.
 Aedilitati curuli 37, Praeturae 40,
 Consulatus 43, nam his annis eos ma-
 gistratus gessit Cicero, qui suo quem-
 que anno se gessisse gloriatur; quem
 cf. in Or. De Leg. Agrar. ii. 2. Fuss.
 R. Ant. § 184.

⁴ *Aedilicia largitio*] De largitioni-
 bus aedilium cf. Cic. de Off. ii. 16.

⁵ *Diem unum instaurati*] sc. Dies
 unus pro hac vice ludis adiectus est.
 cf. Niebhr. ii. n. 68.

⁶ *Congii olei*] Congiaria hinc dicta
 ea dona, quae ab Imperatoribus po-
 pulo distributa sunt. cf. infr. xxxvii. 57.
 Tac. Ann. xiii. 31.

⁷ *Ludi plebei*] Quemadmodum
 ludi Romani ab Aedilibus curulibus,
 ita plebei ab Aedilibus plebeis fie-
 bant. cf. Cic. in Verr. v. 14.

⁸ *Iovis epulum*] Epulae Iovi, In-
 noni et Minervae in Capitolio appa-
 rantur: ad quas curandas *Triumviri
 Epulones* U. C. 556 creati, infr. xxxiii.
 42. qui postea ad septem a Sylla
 aucti, et Septemviri Epulonum vo-
 cati sunt.

superioris anni consule, alter a Fulvio Centumalo acciperet. U. C. 540.
 Praetorum, Fulvii Flacci, quae Luceriae sub Aemilio prae- A. C. 212.
 tore; Neronis Claudii, quae in Piceno sub C. Terentio
 fuissent, legiones essent: supplementum in eas quisque scri-
 beret sibi. M. Junio in Tuscos legiones urbanae prioris
 anni datae. Ti. Sempronio Graccho et P. Sempronio
 9 Tuditano imperium provinciaeque Lucani et Gallia cum
 suis exercitibus prorogatae: item P. Lentulo, qua vetus
 provincia in Sicilia esset; M. Marcello Syracusae, et qua
 Hieronis regnum fuisset: T. Otacilio classis: Graecia M.
 1 Valerio: Sardinia Q. Mucio Scaevolae; Hispaniae P. et
 Cn. Corneliis. Ad veteres exercitus duae urbanae legiones 23. legioni-
 a consulibus scriptae, summaque trium et viginti legionum bus bellum
 eo anno effecta est. gestum.

Delectum consulum M. Postumii Pyrgensis cum magno
 prope motu rerum factum impediit. Publicanus erat Po-
 stumius, qui multis annis parem fraude avaritiaeque nevinem
 in civitate habuerat, praeter T. Pomponium Veientanum,
 quem, populantem temere agros in Lucanis, ductu Hanno-
 nis priore anno ceperant Carthaginenses. Hi, quia publi- Postumii
 cum periculum erat a vi tempestatis in iis, quae portarentur publicani
 ad exercitus, et ementiti erant falsa naufragia, et ea ipsa, fraus.
 quae vera renuntiaverant, fraude ipsorum facta erant, non
 casu. In veteres quassasque naves paucis et parvi pretii
 rebus impositis, quum mersissent eas in alto, exceptis in
 praeparatas scaphas nautis, multiplices fuisse merces emen-
 tiebantur. Ea fraus indicata M. Atilio praetori priore anno
 fuerat, ac per eum ad senatum delata, nec tamen ullo sena-
 tusconsulto notata: quia Patres ordinem publicanorum in
 tali tempore offensum nolebant. Populus severior vindex
 fraudis erat; excitatique tandem duo tribuni plebis Sp. et
 L. Carvili, quum rem invisam infamemque cernerent, du-
 2 centum millium aeris multam M. Postumio dixerunt. Cui Multam ei
 certandae quum dies advenisset, conciliumque tam frequens dicunt duo
 plebis adesset, ut multitudinem area Capitolii vix caperet; Tr. Pl.
 perorata causa, spes una videbatur esse, si C. Servilius Casca
 tribunus plebis, qui propinquus cognatusque Postumio erat,
 prius, quam ad suffragium tribus vocarentur, intercessisset.
 Testibus datis, tribuni populum summovent; sitellaque

9 *Et Gallia*] sc. Cisalpina. In al-
 teram nondum Romani transcende-
 rant. CREV.

1 *Hispaniae*] sc. Citerior et ulte-
 rior. At Cn. Scipio, tanquam legatus
 fratris, bellum in Hispania gesserat,
 nisi Livius memorare omiserit a po-
 pulo extra ordinem, quum privatus

esset, imperium datum fuisse. DEK.

2 *Cui certandae*] Magistratus mul-
 tare quempiam non poterat, sed mul-
 tam pronuntiare, quam deinde popu-
 lus aut iuberet, aut remitteret. Illud
 erat *multam dicere*, hoc *multam cer-
 tare*. cf. Cic. de Legg. iii. 3. Philipp.
 xi. 8. SIGON.

U. C. 540. allata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragium ferrent. In-
 A. C. 212. terim publicani Cascae instare, ut concilio diem eximeret. 4
 Populus reclamare: et forte in cornu primus sedebat Casca, 5
 Publicano- cui simul metus pudorque animum versabat. Quum in eo
 rum auda- parum praesidii esset, turbandae rei causa publicani per 6
 cia. vacuum in summoto locum cuneo irruerunt, iurgantes simul
 cum populo tribunisque. Nec procul dimicatione res erat,
 quum Fulvius consul tribunis, 'Nonne videtis,' inquit, 'vos 7
 4. 'in ordinem coactos esse, et rem ad seditionem spectare, ni
 'propere dimittitis plebis concilium?' Plebe dimissa, se-
 natus vocatur, et consules referunt de concilio plebis tur-
 bato vi atque audacia publicanorum. 'M. Furium Camil-
 'lum, cuius exsilium ruina urbis secuta fuerit, damnari se ab
 'iratis civibus passum esse. Decemviros ante eum, quorum
 'legibus ad eam diem viverent, multos postea principes civi-
 'tatis, iudicium de se populi passos. Postumium Pyrgensem
 'suffragium populo Romano extorsisse, concilium plebis
 'sustulisse, tribunos in ordinem coegisse, contra populum
 'Romanum aciem instruxisse, locum occupasse, ut tribunos
 'a plebe intercluderet, tribus in suffragium vocari prohibe-
 'ret. Nihil aliud a caede ac dimicatione continuasse ho-
 'mines, nisi patientiam magistratum, quod cesserint in
 'praesentia furori atque audaciae paucorum, vinciue se ac
 'populum Romanum passi sint: et comitia, quae reus vi
 'atque armis prohibitus erat, ne causa quaerentibus dimi-
 'cationem daretur, voluntate ipsius sustulerint.' Haec 8
 quum ab optimo quoque pro atrocitate rei acta essent, vim-
 que eam contra rempublicam et pernicioso exemplo factam,
 senatus decreasset; confestim Carvili tribuni plebis, ommissa
 multae certatione, rei capitalis diem Postumio dixerunt: ac,

Rei capi-
 talis dies
 Postumio
 dicitur a
 Tr. Pl.

3 *Ubi Latini suffragium ferrent*] Corruptum hunc locum tantum non omnes critici habent, et Gronov. e-
 mendare tentat, *ut sortirentur tribus,*
ac dein suffragium ferrent. Sed Nie-
 buhrus *ubi Latini* probat, censetque,
 quando a censoribus Q. Fabio et P.
 Decio vetus classium in centurias
 divisio ex instituto Servii Tullii mu-
 tata est, municipalibus qui Romae
 habitabant iura aliqua imminuta fu-
 isse, et quo magis illam iacturam
 aequo animo ferrent, Latinis concess-
 sam esse, ut, qui Romam venissent,
 sortirentur tribum, in qua suffragium
 ferrent.

4 *Ut concilio diem eximeret*] Ut
 hunc diem concilio impendi vetaret,
 nempe intercedendo. *Diem* quoque
 saepe aliquis dicendo *eximebat*, sive
tollebat, (utroque enim verbo uteban-

tur) si perpetua oratione diem consu-
 meret. CREV.

5 *In cornu*] In extrema aut pri-
 more subselliorum, in arcum aut se-
 micirculi formam collocatorum, parte.
 STROTH.

6 *Publicani per vacuum*] Publici-
 cani conglobati et cuneo facto irrupe-
 runt per locum, in ea parte unde po-
 pulus summotus erat, vacuum. Tri-
 buni populum summovent, ut supra
 memoratum est. Itaque aliquid erat
 vacui intervalli tribunos inter et ple-
 bem. Eo publicani irruerunt. CR.

7 *Vos in ordinem coactos esse*] Vestram auctoritatem minui. cf. supr.
 iii. 35. vi. 38.

8 *Haec quum . . . acta essent*] Gronovius contra fidem mss. et edd. legi
 iussit *iactu*, quem auctorem secutus
 est Bekker.

ni vades daret, prehendi a viatore, atque in carcerem duci U. C. 540.
iusserunt. Postumius, vadibus datis, non affuit. Tribuni A. C. 212.
plebem rogaverunt, plebesque ita scivit: ‘Si M. Postumius
‘ante Kalendas Maias non prodisset, citatusque eo die non
9 ‘respondisset, neque excusatus esset, videri eum in exsilio
1 ‘esse: bonaque eius venire, ipsi aqua et igni placere inter-
‘dici.’ Singulis deinde eorum, qui turbac ac tumultus
concitatores fuerant, rei capitalis diem dicere, ac vades
poscere coeperunt. Primo non dantes, deinde etiam eos, In exsiliū
qui dare possent, in carcerem coniciebant: cuius rei peri- ipse et alii
culum vitantes plerique in exsiliū abierunt. aliquot ab-
eunt.

Hunc fraus publicanorum, deinde fraudem audacia pro- 5.
2 tegens, exitum habuit. Comititia inde pontifici maximo
3 creando sunt habita. Ea comitia novus pontifex M. Cor-
4 nelius Cethegus habuit. Tres ingenti certamine petierunt:
Q. Fulvius Flaccus consul, qui et ante bis consul et censor
fuerat: et T. Manlius Torquatus, et ipse duobus consulati-
bus et censura insignis: et P. Licinius Crassus, qui et P. Licinius
aedilitatem curulem petiturus erat. Illic senes honoratos Pont. Max.
que iuvenis in eo certamine vicit. Ante hunc, intra cen- ante aedi-
tum annos et viginti, nemo, praeter P. Cornelium Calussam, litem.
pontifex maximus creatus fuerat, qui sella curuli non se-
disset.

Consules quum aegre delectum conficere, quod inopia Delectuum
iuniorum non facile in utrumque, ut et novae urbanae le- difficultas.
giones, et supplementum veteribus scriberetur, sufficiebat;
5 senatus ‘absistere eos incepto’ vetuit, ‘et triumviros binos

9 *Videri*] Haec erat apud Romanos formula ferendae in reum sententiae. Cic. in Verr. v. 14. *Fecisse videri pronuntiavit.* cf. infr. xxxiv. 44. CREV.

1 *Aqua et igni placere interdici*] cf. Supr. i. 60. Nulla lege apud Romanos ante Calpurniam illam de ambitu latum maleficium exsilio mul- tabatur. cf. Cic. pro A. Caecin. 100. Sed mos erat sentibus, qui in exsiliū si recepissent et se sistere noluissent, aqua et igni publice interdici, unde fiebat, ut, nisi sublato interdico, in civitatem redire iis non liceret.

2 *Comitia inde pontifici maximo cre- ando*] L. Lentulus duobus sacerdotiis praeditus fuerat, pontificatu, et pontificatu maximo. In eius mortui lo- cum Cethegus pontifex factus fuerat supr. 2. P. vero Crassus pontifex maxi- mus. SIGON.

3 *Ea comitiū novus pontifex*] Ad- miratio quibusdam movetur, quo- modo haec comitia pontifex maximus habuisse dictus sit, quum tot in aliis

locis commemoretur consules illa ha- buisse. Sed quum post pontificatum plebi communicatum ann. U. C. 452, supr. x. 9. pontifex maximus usque ad ann. U. C. 510. e patribus creatus esset, fieri potest, ut in illis comitiis, quae pontifici maximo creando habe- rentur, proprium esset aliquod pon- tificum munus, sc. aliquid ab ipsis per- agendum, ut, etiam si minus proprie, aliquo tamen modo, sicut Crevier. monet, comitia illa habuisse dici pos- sent. Quum vero antiquitus ponti- fices comitiis curiatis crearentur, at- que ea comitia arbitris pontificibus praeberentur, cf. A. Gell. v. 19. simil- limum quidem veri videtur, pon- tificem, ut supr. iii. 54. *auctoritatem patrum*, quae lege curiata olim daba- tur, prae se tulisse.

4 *Tres ingenti certamine petierunt*] Qui ipsi ex numero octo pontificum erant, quippe ex his octo unus pon- tifex maximus creabatur.

5 *Triumviros binos*] Duplex colle- gium triumvirorum. CREV.

U. C. 540. 'creari' iussit: 'alteros, qui citra, alteros, qui ultra quinqua-
 A. C. 212. 'gesimum lapidem in pagis, forisque, et conciliabulis omnem 7
 'copiam ingenuorum inspicerent: et, si qui roboris satis ad
 'ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum militari
 'aetate essent, milites facerent. Tribuni plebis, si iis vide-
 'retur, ad populum ferrent, ut, qui minores septem et decem
 'annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia proce- 8
 'derent, ac si septem et decem annorum, aut maiores, mili-
 'tes facti essent.' Ex hoc senatusconsulto creati triumviri
 bini conquisitionem ingenuorum per agros habuerunt.

Legati
 Cannensis
 exercitus
 ad Marcel-
 lum.

6.

Forum
 oratio.

Eodem tempore ex Sicilia literae M. Marcelli de postu-
 latis militum, qui cum P. Lentulo militabant, in senatu re-
 citatae sunt. Cannensis reliquiae cladis hic exercitus erat,
 relegatus in Siciliam, sicut ante dictum est, ne ante Punici
 belli finem in Italiam reportaretur. Hi permissu Lentuli
 primores equitum centurionumque, et robora ex legionibus
 peditum, legatos in hiberna ad M. Marcellum miserunt, e
 quibus unus, potestate dicendi facta, 'Consulem,' inquit,
 'te, M. Marcelle, in Italiam adissemus, quum primum de
 'nobis, etsi non iniquum, certe triste senatusconsultum fac-
 'tum est; nisi hoc sperassemus, in provinciam nos morte 9
 'regum turbatam ad grave bellum adversus Siculos simul
 'Poenosque mitti: et sanguine nostro vulneribusque nos
 'senatui satisfacturos esse: sicut patrum memoria, qui capti 1
 'a Pyrrho ad Heracleam erant, adversus Pyrrhum ipsum
 'pugnantes satisfecerunt. Quanquam quod ob meritum
 'nostrum succensuistis, Patres conscripti, nobis, aut succen-
 'setis? Ambo mihi consules et universum senatum intueri
 'videor, quum te, M. Marcelle, intueor: quem si ad Cannas
 'consulem habuissemus, melior et reipublicae et nostra for-
 'tuna esset. Sine, quaeso, priusquam de conditione nostra
 'queror, noxam, cuius arguimur, nos purgare. Si non
 'deum ira, nec fato, cuius lege immobilis rerum humana-
 'rum ordo seritur, sed culpa perimus ad Cannas, cuius 2
 'tandem ea culpa fuit? militum, an imperatorum? Equi-

6 *Quinquagesimum lapidem*] Quin-
 quagesimum ab urbe miliarium.

7 *Forisque, et conciliabulis*] *Fora*
 sunt oppidula, in quibus conventus
 negotiandi et nundinandi causa habe-
 bantur, ubi etiam ius dicebatur. In
conciliabulis quoque ius dicebatur; at
 ea tamen *foris* inferiora erant. Vid.
 Turneb. Advers. i. 11. CREV.

8 *Stipendia procederent*] cf. Supr.
 v. 7. *Procedere* autem *stipendia* di-
 cuntur, quum anni, per quos quis sti-
 pendia facit, numerantur, et de sum-
 ma annorum, quibus legitima implen-

tur stipendia, deducuntur. RASCH.

9 *In provinciam*] Siciliam morte
 Hieronis et Hieronymi turbatam.

1 *Capti a Pyrrho*] cf. Flor. i. 18.
 7. Plut. in Pyrrh. In hac pugna P.
 Valerius Laevinus consul victus est,
 quum elephanti maxime odore et visu
 insolito equos Romanorum turbassent.
 CREV.

2 *Seritur*] Connectitur, catenam
 quandam efficiens a principiis re-
 rum causisque ad exitus pertinentem.
 Hoc verbum a *scro*, *serui*, ut supr.
 vii. 2. CREV.

'dem miles nihil unquam dicam de imperatore meo, cui U. C. 540.
 'praesertim gratias sciam ab senatu actas, quod non despe- A. C. 212.
 'raverit de republica; cui post fugam ab Cannis per omnes
 'annos prorogatum imperium. Ceteros item ex reliquiis
 'cladis eius, quos tribunos militum habuimus, honores pe-
 'tere et gerere, et provincias obtinere audivimus. An vobis
 'vestrisque liberis ignoscitis facile, Patres conscripti, in
 'hacc vilia capita saevitis? Et consuli primoribusque aliis
 'civitatis fugere, quum spes alia nulla esset, turpe non fuit;
 'milites utique morituros in aciem misistis? Ad Alliam
 'prope omnis exercitus fugit: ad Furculas Caudinas, ne
 'expertus quidem certamen, arma tradidit hosti, ut alias
 'pudendas clades exercituum taceam: tamen tantum afuit
 'ab eo, ut ulla ignominia iis exercitibus quaereretur,
 'ut et urbs Roma per eum exercitum, qui ab Allia Veios
 'transfugerat, recuperaretur; et Caudinae legiones, quae
 'sine armis redierant Romam, armatae remissae in Sam-
 'nium, eundem illum hostem sub iugum miserint, qui hac
 'sua ignominia lactatus fuerat. Cannensem vero quisquam
 'exercitum fugae aut pavoris insimulare potest, ubi plus
 'quingenta millia hominum ceciderunt? unde consul
 'cum equitibus septuaginta fugit? unde nemo superest,
 'nisi quem hostis caedendo fessus reliquit? Quum captivis
 'redemptio negabatur, nos vulgo homines laudabant, quod
 'reipublicae nos reservassemus: quod ad consulem Venu-
 'siam redissemus, et speciem iusti exercitus fecissemus.
 'Nunc deteriore conditione sumus, quam apud patres no-
 'stros fuerant captivi. Quippe illis arma tantum atque ordo
 3 'militandi, locusque, in quo tenderent in castris, est muta-
 'tus: quae tamen, semel navata reipublicae opera, et uno
 'felici proelio, recuperarunt. Nemo eorum relegatus in
 'exsilium est: nemini spes emerendi stipendia adempta:
 'hostis denique est datus, cum quo dimicantes, aut vitam
 'semel, aut ignominiam finirent. Nos, quibus, nisi quod
 'commisimus, ut quisquam ex Cannensi acie miles Roma-
 'nus superesset, nihil obici potest, non solum a patria pro-
 'cul Italiaque, sed ab hoste etiam, relegati sumus: ubi se-
 'nescamus in exsilio, ne qua spes, ne qua occasio abolendae
 'ignominiae, ne qua placandae civium irae, ne qua denique
 'bene moriendi sit. Neque ignominiae finem, nec virtutis
 'praemium petimus; modo experiri animum, et virtutem
 'exercere liceat. Laborem et periculum petimus, ut viro-

3 *In quo tenderent*] Tentoria po-
 nerent, nempe extra vallum tendere
 eos oportebat. "Decreverunt," in-
 quit Val. Max. ii. 7, "ut . . . qui equo
 meruerant, peditum numero milita-

rent; qui pedites fuerant, in fundito-
 rum auxilia transcriberentur." Haec
 de captivis, quos Pyrrhus reddiderat,
 a senatu decreta sunt.

U. C. 540. 'rum, ut militum officio fungamur. Bellum in Sicilia iam
 A. C. 212. 'alterum annum ingenti dimicatione geritur: urbes alias
 'Poenus, alias Romanus expugnat: peditum, equitum alias
 'concurrunt: ad Syracusas terra marique res geritur: cla-
 'morem pugnantium crepitumque armorum exaudimus re-
 'sides ipsi ac segnes, tanquam nec manus, nec arma habea-
 'mus. Servorum legionibus Ti. Sempronius consul toties
 'iam cum hoste signis collatis pugnavit. Operae pretium
 'habent, libertatem civitatemque. Pro servis saltem ad
 'hoc bellum emptis vobis simus: congregari cum hoste liceat,
 'et pugnando quaerere libertatem. Vis tu mari, vis terra,
 'vis acie, vis urbibus oppugnandis experiri virtutem? As-
 'perrima quaeque ad laborem periculumque deposcimus, ut,
 'quod ad Cannas faciendum fuit, quam primum fiat; quo-
 'niam, quicquid postea viximus, id omne destinatum igno-
 'miniae est.' Sub haec dicta ad genua Marcelli procubue-
 runt. Marcellus id nec iuris, nec potestatis suae esse
 dixit. Senatui scripturum se, omniaque de sententia Pa-
 trum facturum esse. Hae literae ad novos consules allatae,
 ac per eos in senatu recitatae sunt: consultusque de his
 literis ita decrevit senatus: 'Militibus, qui ad Cannas com-
 'mitones suos pugnantes deseruissent, senatum nihil
 'videre, cur respublica committenda sit. Si M. Claudio
 'proconsuli aliter videretur, faccret, quod e republica fide-
 'que sua duceret: dum ne quis eorum munere vacaret, neu 4
 'dono militari virtutis ergo donaretur, neu in Italiam repor-
 'taretur, donec hostis in terra Italia esset.'

7.
 Ad sena-
 tum relaci-
 untur.

Senatus se-
 veritas.

Comitia deinde a praetore urbano de senatus sententia
 plebisque scitu sunt habita: quibus creati sunt quinque-
 viri muris turribusque reficiendis: et triumviri bini; uni
 sacris conquirendis donisque persignandis; alteri reficiendis 5
 aedibus Fortunae et matris Matutae intra portam Carmen-
 talem, sed et Spei extra portam, quae priore anno incendio
 consumptae fuerant.

Tempestates foedae fuere. In Albano monte biduum
 continenter lapidibus pluit. Tacta de coelo multa: duae
 in Capitolio aedes: vallum in castris multis locis supra
 Suessulam, et duo vigiles exanimati. Murus turresque

4 *Dum ne quis eorum munere va-
 caret*] *Munus* hic est onus militare,
 quale est, lignum, foenum, stramen,
 aquam in castra portare, etc. His
 autem oneribus vacare quibusdam mi-
 litibus virtutis ergo dabatur. Has
 etiam vacationes interdum pecunia a
 centurionibus redimere solitos esse
 milites docet Tac. Ann. i. 17. et alibi
 saepius. CREV.

5 *Sacris conquirendis donisque per-
 signandis*] Conquirendis sacris, quae
 fuerant in aedibus de quibus infra,
 priore anno incendio absumptis. *Do-
 nis persignandis*, id est, recognoscen-
 dis et in tabulas publicas referendis
 donis, quae eorundem templorum fo-
 rent. CREV.

6 *Consumptae fuerant*] cf. Supr.
 xxiv. 47.

quaedam Cumis non ictae modo fulminibus, sed etiam de- U. C. 540.
 cussae. Reate saxum ingens visum volitare: sol rubere A. C. 212.
 solito magis, sanguineoque similis. Horum prodigiorum
 causa diem unum supplicatio fuit, et per aliquot dies con-
 sules rebus divinis operam dederunt: et per eosdem dies
 sacrum novendiale fuit. Quum Tarentinorum defectio
 iam diu et in spe Hannibali, et in suspitione Romanis
 esset, causa forte extrinsecus maturandae eius intervenit.
 Philcas Tarentinus, diu iam per speciem legationis Romae
 quum esset, vir inquieti animi, et minime otium, quo tum
 7 diutino senescere videbatur, patientis, aditum sibi ad ob-
 sides Tarentinos invenit. Custodiebantur in atrio Liber-
 tatis minore cura, quia nec ipsis, nec civitati eorum fallere
 Romanos expediebat. Hos, crebris colloquiis sollicitatos,
 corruptis aedituis duobus, quum primis tenebris custodia
 eduxisset, ipse comes occulti itineris factus profugit. Luce
 prima vulgata per urbem fuga est: missique, qui sequerentur,
 8 ab Tarracina comprehensos omnes retraxerunt. De-
 ducti in comitio, virisque, approbante populo, caesi de
 9 saxo deiiciuntur. Huius atrocitas poenae duarum nobi-
 lissimarum in Italia Graccarum civitatum animos irritavit,
 quum publice, tum etiam singulos privatim, ut quisque
 tam foede interemptos aut propinquitatem, aut amicitiam con-
 1 tingeat. Ex iis tredecim fere nobiles iuvenes Tarentini
 coniuraverunt, quorum principes Nico et Philemenus erant. Coniuratio
 Tarenti.
 Hi, prius, quam aliquid moverent, colloquendum cum Han-
 nibale rati, nocte per speciem venandi urbem egressi, ad
 eum proficiscuntur. Et, quum haud procul castris abes-
 sent, ceteri silva prope viam sese occuluerunt: Nico et
 Philemenus, progressi ad stationes comprehensique, ultro
 id petentes, ad Hannibalem deducti sunt. Qui quum
 et causas consilii sui, et quid pararent, exposuissent;
 collaudati, oneratique promissis, iubentur, ut fidem popu-
 2 laribus facerent, praedandi causa se urbe egressos, pecora
 Carthaginiensium, quae pastum propulsa essent, ad urbem
 agere. Tuto ac sine certamine id facturos, promissum est.
 Conspecta ea praeda iuvenum est: minusque, iterum ac
 saepius id eos audere, miraculo fuit. Congressi cum Han-
 nibale rursus, fide sanxerunt, liberos Tarentinos leges

7 *Ad obsides Tarentinos*] *Et Thurios* addit Heusinger.

8 *Deducti in comitio*] *Reducti in comitio* virgis legendum censet Gronov.; *deducti in comitium* Stroth.

9 *Duarum*] Tarenti scilicet, et Thuriolorum de quibus *infr.* 15. Imo tertiae, nempe Metaponti, ut Gronov. monet.

1 *Ex iis tredecim*] Ex numero illorum, quorum propinqui vel amici interempti essent. DRK.

2 *Praedandi causa se urbe egressos*] cf. Thueyd. iv. 67. ubi simili fraude Nisaea, Megarorum portus, Atheniensibus prodita narratur. Ceterum de hac narratione cf. Polyb. viii. 26.

U. C. 540. suaque omnia habituros, neque ullum vectigal Poeno pen-
 A. C. 212. suros, praesidiūve invitos recepturos: prodita praesidia
 Carthaginiensium fore. Haec ubi convenerunt, tunc vero
 Philemenus consuetudinē nocte egrediundi redeundique
 in urbem frequentiore facere. Et erat venandi studio
 insignis, canesque et alius apparatus sequebatur; captum-
 que ferme aliquid, aut ab hoste ex praeparato ablatum re-
 portando, donabat aut praefecto, aut custodibus portarum.
 Nocte maxime commēare propter metum hostium, crede-
 bant. Ubi iam eo consuetudinis adducta res est, ut, quo-
 cunque noctis tempore sibilo dedisset signum, porta aperi-
 retur, tempus agenda rei Hannibali visum est. Tridui
 viam aberat: ubi, quo minus mirum esset, uno eodemque
 loco stativa eum tam diu habere, aegrum simulabat. Ro-
 manis quoque, qui in praesidio Tarenti erant, suspecta
 esse iam segnis mora eius desierat. Ceterum postquam
 Tarentum ire constituit, decem millibus peditum atque
 equitum, quos in expeditione velocitate corporum ac le-
 vitate armorum aptissimos esse ratus est, electis, quarta
 vigilia noctis signa movit: praemissisque octoginta fere
 Numidis equitibus praecepit, ut discurrerent circa vias,
 perlustrarentque omnia oculis, ne quis agrestium procul
 spectator agminis falleret; praegressos retraherent, obvios
 occiderent, ut praedonum magis, quam exercitus, accolis
 species esset. Ipse, raptim agmine acto, quindecim ferme
 millium spatio castra ab Tarento posuit: et, ne ibi quidem
 nuntiatio, quo pergerent, tantum convocatos milites monuit,
 via omnes irent; nec deverti quemquam, aut excedere
 ordinem agminis paterentur, et in primis intenti ad imperia
 accipienda essent; neu quid nisi ducum iussu facerent: se
 in tempore editurum, quae vellet agi. Eadem ferme hora
 Tarentum fama pervenerat, Numidas equites paucos popu-
 lari agros, terroremque late agrestibus iniectisse. Ad quem
 nuntium nihil ultra motus praefectus Romanus, quam ut
 partem equitum postero die luce prima iuberet exire ad
 arcendum populationibus hostem. In cetera adeo nihil ob
 id intenta cura est, ut contra pro argumento fuerit illa pro-
 cursatio Numidarum, Hannibalem exercitumque castris non
 movisse. Hannibal concubia nocte movit. Dux Phile-

3 *In expeditione*] Magis placeret, in expeditionem ... aptissimos. CR.

4 *Raptim agmine acto*] Olim facto. Sigonius correxit. CREY.

5 *Nuntiatio, quo pergerent*] Primo melius videretur *pergeret*. Deinde nuntiamus ea fere quae vidimus, audimus, aut aliunde didicimus. Enuntiamus quum cetera arcana, tum animi nostri consilia. Videtur igitur

legendum, *enuntiatio quo pergeret*. Haec fere Perizonius. *Enuntiatio* reposuit Bekker.

6 *Concubia nocte*] *Concubium*, sive *concubia nox*, est illud noctis tempus, quum primum omnes fere cubile ac somnus habet. Vid. Macrob. Sat. i. 3. Polybius, cuius e libro viii. totam hanc Tarentinae defectionis narrationem sumpsit Livius, Hannibalem mo-

9.
 Hannibal
 it Taren-
 tum versus.

menus erat, cum solito captae venationis onere: ceteri pro-
 ditores ea, quae composita erant, expectabant. Convenerat
 autem, ut Philemenus, portula assueta venationem inferens,
 armatos induceret: parte alia portam Temenida adiret
 7 Hannibal. Ea mediterranea regione orientem spectabat:
 aliquantum intra moenia includuntur. Quum portae ap-
 propinquaret, editus ex composito ignis ab Hannibale est,
 refulsitque. Idem redditum ab Nicone signum: extinctae
 deinde utrinque flammae sunt. Hannibal silentio ducebat
 ad portam. Nico ex improvise adortus sopitos vigiles in
 cubilibus suis obtruncat, portamque aperit. Hannibal cum
 peditum agmine ingreditur, equites subsistere iubet: ut,
 quo res postulet, occurrere libero campo possent. Et Phi-
 lemenus portulae parte alia, qua commere assuerat, appro-
 pinquabat. Nota vox eius et familiare iam signum quum
 excitasset vigilem, dicenti, vix sustinere grandis bestiae onus,
 portula aperitur. Inferentes aprum duos iuvenes secutus
 ipse cum expedito venatore, vigilem, incautius miraculo
 magnitudinis in eos, qui ferebant, versum, venabulo traiecit.
 Ingressi deinde triginta fere armati, ceteros vigiles obtrun-
 cant, refringuntque portam proximam: et agmen sub signis
 confestim irrupit. Inde cum silentio in forum ducti, Han-
 nibali sese coniunxerunt. Cum duobus millibus Gallorum
 Poenus, in tres divisas partes, per urbem dimittit Tarenti-
 nos, et itinera quam maxime frequentia occupare iubet:
 tumultu orto, Romanos passim caedi, oppidanis parci.
 8 Sed, ut fieri id posset, praecipit iuvenibus Tarentinis, ut,
 ubi quem suorum procul vidissent, quiescere et silere, ac
 bono animo esse inberent. Iam tumultus erat clamorque,
 qualis esse in capta urbe solet: sed, quid rei esset, nemo
 satis pro certo scire. Tarentini Romanos ad diripiendam
 urbem credere coortos: Romanis seditio aliqua cum fraude
 9 videri ab oppidanis mota. Praefectus, primo excitatus
 tumultu, in portum effugit: inde, acceptus scapha, in arcem

Tarentum
 ingreditur
 Hannibal.

10.

visse dicit κνέφατος ἄρτι γενομένου, quod quidem potuisset verti, primis intendentibus se tenebris. CREV.

7 *Ea mediterranea . . . aliquantum*] Locus corruptus. Polybius auctor est, ad eam portam de qua hic agitur, intra moenia fuisse sepulcra Tarentinorum, ad quae Nico sedere debebat Hannibalem expectans. De iis sepulcris hic mentionem fecisse Livium, probabiliter omnino suspicantur Sigonius et uterque Gronovius, qui varie hunc locum refinxerunt. Nihil melius videtur, quam si legas:

Ea mediterranea regione Orientem spectat, ad busta quae intra moenia includuntur. CREV.

8 *Tarentinis*] Intellige quosdam ex coniuratis, ut disertis verbis docet Polybius. CREV.

9 *Praefectus, primo excitatus tumultu*] *M. Livius*, ut supr. xxiv. 20. legitur. Sed Polyb. in praenomine dissentit, eumque appellat *C. Livium*. Idem narrat eum hesterno gravatum mero tum maxime crapulam edormisse.

U. C. 540. circumvehitur. Errorem et tuba audita ex theatro faciebat. ¹
 A. C. 212. Nam et Romana erat, a proditoribus ad hoc ipsum praepara-
 rata: et inscietier a Graeco inflata, quis, aut quibus signum
 daret, incertum efficiebat. Ubi illuxit, et Romanis Punica
 et Gallica arma cognita tum dubitationem exemerunt; et
 Graeci, Romanos passim caede stratos cernentes, ab Han-
 nibale captam urbem senserunt. Postquam lux certior erat,
 et Romani, qui caedibus superfuerant, in arcem confugerant,
 conticescebatque paullatim tumultus; tum Hannibal Tar-
 rentinos sine armis convocare iubet. Convenere omnes, ²
 praeterquam qui cedentes in arcem Romanos ad omnem
 adeundam simul fortunam persecuti fuerant. Ibi Hannibal,
 benigne allocutus Tarentinos, testatusque, quae praestitisset
 civibus eorum, quos ad Trasimenum aut ad Cannas cepisset,
 simul in dominationem superbam Romanorum invecus,
 recipere se in domos suas quemque iussit, et foribus nomen
 suum inscribere: se domos eas, quae inscriptae non essent,
 signo extemplo dato, diripi iussurum. Si quis in hospitio
 civis Romani (vacuas autem tenebant domos) nomen inscri- ³
 psisset, cum se pro hoste habiturum. Concione dimissa,
 quum titulis notatae fores discrimen pacatae ab hostili domo
 fecissent, signo dato, ad diripienda hospitia Romana passim
 discursus est: et fuit praedae aliquantum.

11. Postero die ad oppugnandam arcem ducit: quam quum
 et a mari, quo in paeninsulae modum pars maior circum- ⁴
 huitur, praealtis rupibus, et ab ipsa urbe muro et fossa in-
 genti saeptam videret, eoque nec vi, nec operibus expugna-
 bilem esse; ne aut se ipsum cura tuendi Tarentinos a ma-
 ioribus rebus moraretur; aut in relictos sine valido praesidio
 Tarentinos impetum ex arce, quum vellent, Romani face-
 rent, vallo urbem ab arce intersaeptare statuit: non sine illa
 etiam spe, cum prohibentibus opus Romanis manum posse
 conseri; et, si ferocius procucurrissent, magna caede ita
 attenuari praesidii vires, ut facile per se ipsi Tarentini
 urbem ab iis tueri possent. Ubi coeptum opus est, pate-
 facta repente porta, in munientes impetum fecerunt Ro-
 mani: pellique se statio passa est, quae pro opere erat, ut ⁵

Romani in
arcem con-
fugiunt.

Hannibal
benigne
Tarentinos
alloquitur.

Arx ab urbe
vallo inter-
saeptur.

¹ *Errorem et tuba audita*] Ita Lipsius pro vulg. *terrorem*.

² *Convocare iubet*] Legendum cum vetere Mureti libro *convocari* monet Crevier, quem Bekker, secutus est.

³ *Vacuas autem tenebant domos*] *Vacuas domos*, id est, proprias, in quibus soli habitarent, non permisti cum Tarentinis civibus. Ceterum scripti

habuere *tenebat*. Emendavit Lipsius. CREV. cf. supr. xxiv. 7.

⁴ *A mari*] Praepositionem *a* addidit Gronov. Intelligendum est, arcem ab ea parte qua mari alluebatur, rupibus septam fuisse; ab urbe, muro et fossa.

⁵ *Quae pro opere erat*] Quae ad opus tuendum collocata erat.

6 *successu cresceret audacia, pluresque et longius pulsos per-* U. C. 540.
sequerentur. Tum signo dato coorti undique Poeni sunt, A. C. 212.
 quos instructos ad hoc Hannibal tenuerat; nec sustinere
 impetum Romani, sed ab effusa fuga loci angustiae eos,
 impeditaque alia opere iam coepto, alia apparatu operis,
 morabantur. Plurimi in fossam praecepitavere, occisique
 sunt plures in fuga, quam in pugna. Inde et opus nullo
 prohibente fieri coeptum. Fossa ingens ducta, et vallum
 intra eam erigitur: modicoque post intervallo murum etiam
 eadem regione addere parat, ut vel sine praesidio tueri se
 adversus Romanos possent. Reliquit tamen modicum prae-
 sidium, ut simul in faciendo muro adiuveret: ipse, profec-
 tus cum ceteris copiis, ad Galaesum flumen (quinque millia
 ab urbe abest) posuit castra. Ex iis stativis regressus ad
 inspicendum opus, quod aliquantum opinione eius celerius
 creverat, spem cepit, etiam arcem expugnari posse. Et
 7 *est non altitudine, ut cetera, tuta, sed loco plano posita, et* Hannibal
ab urbe muro tantum ac fossa divisa. Quum iam machina- arcem op-
tionum omni genere et operibus oppugnaretur, missum a pugnat.
 Metaponto praesidium Romanis fecit animum, ut nocte ex
 improvviso opera hostium invaderent. Alia disiecerunt, alia
 igni corruerunt: isque finis Hannibali fuit ea parte arcem
 oppugnandi. Reliqua erat in obsidione spes, nec ea satis
 efficax, quia arcem tenentes, quae in paeninsula posita im-
 minet faucibus portus, mare liberum habebant: urbs contra
 exclusa maritimis comitatibus, propiusque inopiam erant
 obsidentes, quam obsessi. Hannibal, convocatis princi-
 pibus Tarentinorum, omnes praesentes difficultates ex-
 posuit: 'neque arcis tam munitae expugnandae viam cer-
 'nere, neque in obsidione quicquam habere spei, donec
 'mari potiantur hostes. Quod si naves sint, quibus com-
 'meatus invehi prohibeant, extemplo aut abscessuros, aut
 'dedituros se hostes.' Assentiebantur Tarentini; ce-
 terum ei, qui consilium afferret, opem quoque in eam
 rem afferendam esse, censebant. 'Punicas enim naves
 'ex Sicilia accitas id posse facere: suas, quae sinu
 'exiguo intus inclusae essent, quum claustra portus hos-
 'tis haberet, equem ad modum inde in apertum mare
 'evasuras? Evadent,' inquit Hannibal. 'Multa, quae
 'impedita natura sunt, consilio expediuntur. Urbem in
 'campo sitam habetis: planae et satis latae viae patent in
 8 'omnes partes. Via, quae in portum per mediam urbem

6 *Pluresque et longius pulsos per-*
sequerentur] Maiorque numerus Ro-
 manorum prosequerentur pulsos Poe-
 nos, et longius ab arce excurrerent.
 CREV.

7 *Ut cetera, tuta]* sc. *Ut cetera*
 pars, quae a mari erat et quae prae-
 altis rupibus septa est. DRAK.

8 *Via, quae in portum]* *In portu,*
 ut plures mss. habent, reposuit Beck-

U. C. 540. 'ad mare transmissa est, plaustis transveham naves haud
 A. C. 212. 'magna mole. Et mare nostrum erit, quo nunc hostes
 Plaustis 'potiuntur: et illinc mari, hinc terra circumsidebimus
 navestrans- 'arcem. Imo brevi, aut relictam ab hostibus, aut cum
 feruntur in 'ipsis hostibus capiemus.' Haec oratio non spem modo
 mare. effectus, sed ingentem etiam ducis admirationem fecit.
 Contracta extemplo undique plaustra, iunctaque inter se:
 et machinae ad subducendas naves admotae, munitumque
 iter, quo faciliora plaustra minorque moles in transitu esset.
 Iumenta inde et homines contracti, et opus impigre coe-
 ptum: paucosque post dies classis instructa ac parata cir-
 cumvehitur arcem, et ante os ipsum portus ancoras iacit.
 Hunc statum rerum Hannibal Tarenti reliquit, regressus
 ipse in hiberna. Ceterum, defectio Tarentinorum utrum
 priore anno, an hoc, facta sit, in diversum auctores tra-
 hunt: plures propioresque actate memoriae rerum hoc
 anno tradunt factam.

12. Romae consules praetoresque usque ante diem quin-
 tum Kalendas Maias Latinae tenuerunt. Eo die per-9
 petrato sacro in monte, in suas quisque provincias profici-
 scuntur. Religio deinde nova obiecta est ex carminibus
 Marcianis. Vates hic Marcius illustris fuerat, et quum
 Marcus vates. conquisitio priore anno ex senatusconsulto talium librorum 2
 fieret, in M. Atilii praetoris urbani, qui eam rem agebat,
 manus venerant. Is protinus novo praetori Sullae tradide-
 rat. Ex huius Marcii duobus carminibus, alterius post rem 3
 actam editi cum rato auctoritas eventu, alteri quoque, cuius
 Cannensem nondum tempus venerat, afferebat fidem. Priore carmine
 cladem Cannensis praedicta clades in haec ferme verba erat: 'Am-4
 'nem Troiugena Cannam Romane fuge: ne te alienigenae
 'cogant in campo Diomedis conserere manus. Sed neque 5
 'credes tu mihi, donec compleris sanguine campum; mul-

ker. Sigonii emendationem *ex portu* probat Crevier. Id enim agebatur, ut naves Tarentinorum, quae in portu erant, at eum egredi nequibant, quod claustra portus hostis haberet, ex eo in apertum mare transmitterentur. Et ita habet Polybius, ἐκ τοῦ λυμένους εἰς τὴν ἕω θάλατταν.

9 *Latinae*] Feriae, de quibus cf. supr. v. 17.

1 *In monte*] sc. Albano, ubi Iovis Latiaris aedes erat.

2 *Talium librorum*] sc. Vaticino-
 rum, quippe in Capitolino templo postea asservabantur plures libri fa-
 tales, sc. Sibyllae Erythraeae, ut dice-
 batur, Bygoes nymphae Etruscae,
 Albunae Sibyllae Tiburtinae, atque
 huius Marcii vatis Romani. Sed sui

cuique urbi Etruscae erant libri fa-
 tales, quemadmodum Veiis, supr. v.
 15. cf. Niebhr. i. n. 1125.

3 *Alterius post rem actam*] Alte-
 rius carminis post rem actam editi
 auctoritas, quam ratam fecerat et
 comprobat eventus. *Cum rato even-*
tu, est, cum eventu congruente, vero.
 CREV.

4 *Amnem ... Cannam*] Quis sit
 iste amnis Canna, parum liquet. Alii
 Aufidum ipsum esse volunt; alii ali-
 quem ignobilem rivulum, qui Cannas
 praeterfluat. CREV.

5 *In campo Diomedis*] "Diomedis
 campi in Apulia appellantur, qui ei
 in divisione regni, quam cum Dauno
 fecit, cesserant." FESTUS. Hic de-
 signantur Cannenses campi. CREV.

‘taque millia occisa tua deferat amuis in pontum magnum U. C. 540.
 ‘ex terra frugifera; piscibus atque avibus ferisque, quae A. C. 212.
 6 ‘incolunt terras, iis fiat esca caro tua: nam mihi ita Iupiter
 ‘fatus est.’ Et Diomedis Argivi campos et Cannam flumen,
 qui militaverant in iis locis, iuxta atque ipsam eladem
 agnoscebant. Tum alterum carmen recitatum, non eo
 tantum obscurius, quia incertiora futura praeteritis sunt, sed
 7 perplexius etiam scripturae genere. ‘Hostem, Romani, si Alterum
 8 ‘expellere vultis, vomiceamque, quae gentium venit longe, eius vati-
 ‘Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter cinium.
 ‘Apollini fiant: quum populus dederit ex publico partem,
 ‘privati uti conferant pro se suisque. Iis ludis faciendis
 9 ‘praeerit praetor is, qui ius populo plebeique dabit summum.
 ‘Decemviri Graeco ritu hostiis sacra faciant. Haec si recte
 ‘faxitis, gaudebitis semper, fietque res vestra melior. Nam
 ‘is divus exstinguet perduelles vestros, qui vestros campos
 ‘pascunt placide.’ Ad id carmen explanandum diem unum
 sumpserunt. Postero die senatusconsultum factum est, ut
 1 decemviri libros, de ludis Apollini reque divina faciunda,
 inspicerent. Ea quum inspecta relataque ad senatum
 essent, censuerunt Patres: ‘Apollini ludos vovendos faci-
 ‘undosque: et, quando ludi facti essent, duodecim millia
 ‘aeris praetori ad rem divinam et duas hostias maiores
 ‘dandas.’ Alterum senatusconsultum factum est, ‘Ut de-
 2 ‘cemviri sacra Graeco ritu facerent, hisque hostiis: Apollini
 ‘bove aurato et capris duabus albis auratis, Latonae bove
 ‘femina aurata.’ Ludos praetor in circo maximo quum fac-
 turnus esset, edixit, ut populus per eos ludos stipem Apollini,
 quantam commodum esset, conferret. Haec est origo lu- Origo
 dorum Apollinarium, victoriae, non valetudinis, ergo, ut Apollina-
 3 plerique rentur, votorum factorumque. Populus coronatus rium lu-
 spectavit: matronae supplicavere: vulgo apertis ianuis in dorum.
 propatulo epulati sunt, celeberraque dies omni caerimoniarum
 genere fuit.

Quum Hannibal circa Tarentum, consules ambo in Sam- 13.

6 *Fuat*] Antiquè, pro *sit*. *Tros Rutubusve fuat* apud Virgilium. Cr.

7 *Hostem, Romani*] Totum hoc carmen Macrob. Saturn. i. 17. refert.

8 *Vomiceamque, quae gentium venit longe*] Duriorem hanc vocem *vomiceam* iudicat Quinct. Inst. viii. 6. Perplexior haud dubie haec oratio, et sensu et structura. *Longe gentium*, ut *ubi*, vel *nusquam*, *gentium*, sc. quae venit a longinquis gentibus.

9 *Qui ius populo plebeique*] Hoc exemplo inter alia confirmat Niebhr. vocem *populum* antiquitus ad patricios spectasse, quem cf. i. n. 984.

1 *Libros*] Sibyllinos, quorum auctoritas maxima erat. Ceterum vocem *libros* omittit Bekker., auctore Gronovio, qui verbum *inspicerent* ad libros Marcianos spectare censet.

2 *Apollini bove aurato et capris duabus*] Recte suspicatur Iac. Gronovius excidisse hic nomen Dianae. Quid enim caprae ad Apollinem? Et Dianam cum fratre iungi solenne erat. Bos auratus est bos cuius cornua aurata fuere. CREV. De bove aurato cf. supr. iv. 16.

3 *Coronatus spectavit*] Haec res Graeci moris erat. cf. supr. xxiii. 11.

U. C. 540. nio essent, sed circumsessuri Capuam viderentur; quod
 A. C. 212. malum diuturnae obsidionis esse solet, iam famem Campani
 Capuae sentiebant; quia sementem facere prohibuerant eos Romani
 inopia. exercitus. Itaque legatos ad Hannibalem miserunt, orantes,
 ut prius, quam consules in agros suos educerent legiones,
 viaeque omnes hostium praesidiis insiderentur, frumentum
 ex propinquis locis convehi iuberet Capuam. Hannibal,
 Hannonem ex Brutiis cum exercitu in Campaniam transire,
 et dare operam, ut frumenti copia fieret Campanis, iussit.
 Hanno in Campaniam cum exercitu venit. Hanno, ex Brutiis profectus cum exercitu, vitabundus
 castra hostium consulesque, qui in Samnio erant, quum
 Benevento iam appropinquaret, tria passuum millia ab ipsa
 urbe loco edito castra posuit. Inde ex sociis circa populis,
 quo aestate comportatum erat, devehi frumentum in castra
 iussit; praesidiis datis, quae commeatus cos prosequerentur.
 Capuam inde nuntium misit, qua die in castris ad accipien-
 dum frumentum praesto essent, omni undique genere vehicu-
 lorum iumentorumque ex agris contracto. Id pro cetera so-
 cordia negligentiaque a Campanis actum. Paulo plus qua-
 dringenta vehicula missa, et pauca praeterea iumenta. Ob id
 castigatis ab Hannone, quod ne fames quidem, quae mutas
 accenderet bestias, curam eorum stimulare posset, alia pro-
 dicta dies ad frumentum maiore apparatu petendum. Ea
 omnia, sicut acta erant, quum enuntiata Beneventanis essent,
 legatos decem extemplo ad consules (circa Bovianum castra
 Romanorum erant) miserunt. Qui quum, auditis, quae ad
 Capuam agerentur, inter se comparassent, ut alter in Cam-
 paniam exercitum duceret; Fulvius, cui ea provincia ob-
 venerat, profectus, nocte Beneventi moenia est ingressus.
 Ex propinquo cognoscit, Hannonem cum exercitus parte
 profectum frumentatum: per quaestorem Campanis datum
 frumentum: duo millia plaustrorum, inconditam inermem-
 que aliam turbam, advenisse: per tumultum ac trepida-
 tionem omnia agi, castrorumque formam et militarem or-
 dinem, immixtis agrestibus iis ex terris, sublatum. His
 satis compertis, consul militibus edicit, signa tantum arma-
 que in proximam noctem expedirent: castra Punica oppu-
 gnanda esse. Quarta vigilia profecti, sarcinis omnibus im-
 pedimentisque Beneventi relictis, paullo ante lucem quum
 ad castra pervenissent, tantum pavoris iniecerunt, ut, si in
 plano castra posita essent, haud dubie primo impetu capi
 potuerint. Altitudo loci et munimenta defenderunt, quae
 nulla ex parte adiri, nisi arduo ac difficili ascensu, poterant.
 Luce prima proelium ingens accensum est: nec vallum

4 *Alia prodicta dies*] *Prodicere* ii. 61. iii. 57. Vulg. *prodicta* hic legi-
 diem est diem dictam proferre, cf. sup. tur.

modo tutantur Poeni, sed, ut quibus locus aequior esset, U. C. 540.
deturbant nitentes per ardua hostes. Vicit tamen omnia A. C. 212.
pertinax virtus, et aliquot simul partibus ad vallum ac fossas 14.
perventum est; sed cum multis vulneribus ac militum per- Hannonis
nicie. Itaque convocatis tribunis militum consul, 'absi- castra ca-
'endum temerario incepto,' ait: 'tutius sibi videri, reduci piuntur a
5 'eo die exercitum Beneventum: dein postero castris se hos- Romanis.
'tium iungi, ne exire inde Campani, neve Hanno regredi
'posset. Id quo facilius obtineatur, collegam quoque et
'exercitum eius se acciturum, totumque eo versuros bellum.'
Haec consilia ducis, quum iam receptui caneret, clamor
militum aspernantium tam segne imperium disiecit. Pro-
xima portae hostium erat cohors Peligna: cuius praefectus
Vibius Accuacus arreptum vexillum trans vallum hostium
6 traiecit. Exsecratus inde seque et cohortem, si eius vexilli
hostes potiti essent, princeps ipse per fossam vallumque in
castra irrumpit. Iamque intra vallum Peligni pugnabant,
quum altera parte, Valerio Flacco tribuno militum tertiae
legionis exprobrante Romanis ignaviam, qui sociis captorum
7 castrorum concederent decus, T. Pedanius, princeps primus
centurio, quum signifero signum ademisset, 'Iam hoc sig-
'num, et hic centurio,' inquit, 'intra vallum hostium erit.
'Sequantur, qui capi signum ab hoste prohibitori sunt.'
Manipulares sui primum transcendentem fossam, dein legio
tota secuta est. Iam et consul, ad conspectum transgredi-
entium vallum mutato consilio, ab revocando ad incitandos

5 *Dein postero castris*] Haec pa-
rum clara sunt. Romano enim ex-
ercitu Beneventum reducto, quis ve-
tare poterat, aut Campanos exire,
aut Hannonem regredi. Adde quod
in his vocibus *castris se hostium iungi*
aliquid est inconcinnum, quod vix a
manu Livii proficisci potuisse vidca-
tur. Huic posteriori incommodo me-
deri aliquatenus possumus, si detracta
una voce, adiecta alia, rescribamus:
castra castris hostium iungi. Put. li-
ber ignorat τὸ se. CREV. Pronomen
se delevit Bekker.

6 *Traiecit*] Signum in castra hos-
tium iniectum etiam supr. iv. 29.
narratur. *Accuacus* ab oppido *Ac-
cua*, ut videtur. *Accua* supr. xxiv. 20,
urbs Apuliae, memoratur, sed quum
socios militibus suis praefectos de-
disse scribat Polyb. vi. 19, minime
verisimile est Apulum Pelignis praefec-
tum fuisse. *Accuacus* legendum con-
ficit Douiatius, ab oppido *Accue* supr.
xxiv. 20. sed quum neque *Accua*,
neque *Accae* in Pelignis sint, cogno-

men illud Vibii aliunde esse posse
agnoscit.

7 *Princeps primus centurio*] Quem-
admodum qui primi ordinis *pili*, sive
triariorum centurio est, et *primi pili*
centurio et ipse *primus pilus* dicitur,
ita quoque *primi hastati centurio* et
primus hastatus, item *primi princi-
pis centurio*, et *primus princeps*. Or-
do centurionum in legione hic erat,
ut *decimi hastati* infimus, *primi pili*
summus esset, qui inde et olim *pri-
mus centurio* vocabatur. supr. vii.
41. Graduum ratio inter centuriones
optime cognoscitur infr. xlii. 34.
STROTH. Sed Lipsius emendat: *Prin-
ceps primae*, sive *prioris centuriae*.
In unoquoque enim manipulo duo
erant ordines, sive centuriae. Ordo
autem dexter sinistro dignitate praefec-
tabat. Sic apud Caesarem Civil. iii.
64. *praeter Principem priorem*. *Prin-
ceps* igitur *prior*, sive, *prioris centu-
riae*, est is centurio qui in primo ma-
nipulo Principum priorem ordinem
ducit. CREV.

U. C. 540. hortandosque versus milites, ostendere, in quanto discrimine
 A. C. 212. ac periculo fortissima cohors sociorum et civium legio esset. Itaque pro se quisque omnes per aequa atque iniqua loca, quum undique tela conicerentur, armaque et corpora hostes obicerent, pervadunt, irrumpuntque. Multi vulnerati, etiam quos vires sanguisque desereret, ut intra vallum hostium caderent, nitebantur. Capta itaque momento temporis, velut in plano sita, nec permunita castra. Caedes inde, non iam pugna erat, omnibus intra vallum permixtis. Supra sex millia hostium occisa, supra septem millia capitum, cum frumentatoribus Campanis omnique plaustorum et iumentorum apparatu, capta. Et alia ingens praeda fuit, quam Hanno, populabundus passim quum isset, ex sociorum populi Romani agris traxerat. Inde, deiectis hostium castris, Beneventum reditum est, praedamque ibi ambo consules (nam et Ap. Claudius eo post paucos dies venit) vendiderunt, diviseruntque. Et donati, quorum opera castra hostium capta erant: ante alios Accuaeus Pelignus, et T. Pedanius princeps tertiae legionis. Hanno ab Cominio 8 Cerito, quo nuntiata castrorum clades est, cum paucis frumentatoribus, quos forte secum habuerat, fugae magis, quam itineris, modo in Bruttios rediit. Et Campani, audita sua pariter sociorumque clade, legatos ad Hannibalem miserunt, qui nuntiarent, 'duos consules ad Beneventum esse, diei 15. iter a Capua; tantum non ad portas et muros bellum esse: 'ni propere subveniat, celerius Capuam, quam Arpos, in 'potestatem hostium venturam. Ne Tarentum quidem, 'non modo arcem, tanti debere esse, ut Capuam, quam 9 'Carthagini acquare sit solitus, desertam indefensamque 'populo Romano tradat.' Hannibal, curae sibi fore rem Campanam pollicitus, in praesentia duo millia equitum cum legatis mittit, quo praesidio agros populationibus possent prohibere.

Hanno
redit in
Bruttios.

15.
Campani
Hannibalem
vocat.

Arcem Ta-
rentinam
frumento
et milite
instruunt
Romani.

Romanis interim, sicut aliarum rerum, arcis Tarentinae, praesidiique, quod ibi obsideretur, cura esse. C. Servilius legatus, ex auctoritate Patrum a P. Cornelio praetore in Etruriam ad frumentum coemendum missus, cum aliquot navibus onustis in portum Tarentinum inter hostium custodias pervenit. Cuius adventu, qui ante, in exigua spe, vocati saepe ad transitionem ab hostibus per colloquia erant, ultro ad transeundum hostes vocabant sollicitabantque. Et erat satis validum praesidium, traductis ad arcem Tarenti tuendam, qui Metaponti erant, militibus. Itaque Metapon-

8 *Princeps tertiae legionis*] E principibus, h. e. ex eorum militum ordine, qui *principes* vocantur. STROTH.

9 *Non modo arcem*] Id est, nedum, multo minus arcem, ut Cic. de Div. ii. 55. et passim. DUK.

tini extemplo, metu, quo tenebantur, liberati, ad Hannibalem defecere. U. C. 540.
A. C. 212.

Hoc idem eadem ora maris et Thurini fecerunt. Movit Metapontini
Thurini-
que ad
Hanniba-
lam defi-
ciunt. eos non Tarentinorum magis defectio Metapontinorumque, quibus, indidem ex Achaia oriundi, etiam cognatione iuncti erant, quam ira in Romanos propter obsides nuper interceptos. Eorum amici cognatique literas ac nuntios ad Hannonem Magonemque, qui in propinquo in Bruttis erant, miserunt, ‘si exercitum ad moenia admovissent, se in potestatem eorum urbem tradituros esse.’ M. Atinius Thurinis cum modico praesidio praecerat: quem facile elici ad certamen temere incundum rebantur posse; non militum, quos perpaucos habebat, fiducia, quam iuventutis Thurinae. Eam ex industria centuriaverat armaveratque ad tales casus. Divisis copiis inter se, duces Poeni quum agrum Thurinum ingressi essent, Hanno cum peditum agmine infestis signis ire ad urbem pergit. Mago cum equitatu, tectus collibus, ad tegendas insidias oppositis, subsistit. Atinius, peditum tantum agmine per exploratores comperto, in aciem copias educit, et fraudis intestinae, et hostium insidiarum ignarus. Pedestre proelium fuit persegne, paucis in prima acie pugnantibus Romanis; Thurinis expectantibus magis, quam adiuvantibus, eventum: et Carthaginensium acies de industria pedem referebat, ut ad terga collis ab equite suo insessi hostem incautum pertraheret. Quo ubi ventum est, coorti cum clamore equites, prope inconditam Thurinorum turbam, nec satis fido animo, unde pugnabat, stantem, extemplo in fugam averterunt. Romani, quanquam circumventos hinc pedes, hinc eques urgebat, tamen aliquamdiu pugnam traxere. Postremo et ipsi terga vertunt, atque ad urbem fugiunt. Ibi proditores conglobati, quum popularium agmen patentibus portis accepissent, ubi Romanos fusos ad urbem ferri viderunt, conclamant, ‘instare Poenum, permixtosque et hostes urbem invasuros, ni propere portas claudant.’ Ita exclusos Romanos praebuere hosti ad caedem. Atinius tamen cum paucis receptus. Seditio inde paullisper tenuit; quum alii urbem tuendam, inde alii

1 *Indidem ex Achaia*] Similiter infr. xxviii. 1. *Indidem ex Celtiberia*. xxxix. 12. *indidem ex Aventino*. sc. ex eadem inde regione. cf. Cic. pro Sext. Rosc. 27. *Indidemne America?* Amabat autem hoc vocabulum Livius. supr. xxiii. 46. infr. xxvii. 12.

2 *Non militum*] Similiter supr. ii. 56, tam ante quam omittitur. RASCH.

3 *Prope ineonditam*] Ita malebat Crevier, ex codd. duobus pro vulg. *propere ineonditam*. Non enim om-

nino incondita haec turba, ut quam armaverat centuriaveratque Atinius, sed parum assuefacta disciplinae militari erat.

4 *Permixtosque*] sc. Cum Romanis. CREV.

5 *Alii urbem tuendam*] Haec verba ab omnibus scriptis abesse Gronovius affirmat. Sed nobis sensus non videtur sine his constare posse. CREV. Ea omittit Bekker.

6 *Inde alii cedendum*] Suspectum

U. C. 540. cedendum fortunae, et tradendam urbem victoribus cense-
A. C. 212. rent. Ceterum, ut plerumque, fortuna et consilia mala
vicerunt: Atinio cum suis ad mare ac naves deducto, magis
quia ipsi, ob imperium in se mite ac iustum, consultum
volebant, quam respectu Romanorum, Carthaginenses in
urbem accipiunt.

Coss. in
Camp-
num agrum
legiones
ducunt.

Consules a Benevento in Campanum agrum legiones
ducunt, non ad frumenta modo, quae iam in herbis erant, 7
corrumpenda, sed ad Capuam oppugnandam; nobilem se
consulatum tam opulentae urbis excidio rati facturos, simul
et ingens flagitium imperio dempturos, quod urbi tam pro-
pinquae tertium annum impunita defectio esset. Ceterum, 8
ne Beneventum sine praesidio esset, et ut ad subita belli, si 9
Hannibal (quod facturum haud dubitabant) ad opem feren-
dam sociis Capuam venisset, equites vim sustinere possent, 1
Ti. Gracchum ex Lucanis cum equitatu ac levi armatura
Beneventum venire iubent: legionibus stativisque ad obti- 2
nendas res in Lucanis aliquem praeficeret. Graccho,
priusquam ex Lucanis moveret, sacrificanti triste prodigium
factum est. Ad exta, sacrificio perpetrato, angues duo ex
occulto allapsi, edere iecur, conspectique repente ex oculis
abierunt. Id quum haruspicum monitu sacrificium instau-
raretur, atque intentius exta resecta servarentur: iterum ac 3
tertium venisse tradunt, libatoque iecinore intactos angues
abiisse. Quum haruspices, ad imperatorem id pertinere
prodigium, praemonuissent, et ab occultis cavendum homini-
bus consultisque; nulla tamen providentia fatum imminens
moveri potuit. Flavius Lucanus fuit, caput partis eius Lu-
canorum, quum pars ad Hannibalem defecisset, quae cum
Romanis stabat: et iam anno in magistratu erat; ab iisdem 4
illis creatus praetor. Is, mutata repente voluntate, locum

16.
Prodigium
Graccho
factum.

Flavius
Lucanus
proditor.

est τὸ *inde*, quod et redundat, et ex
superiore versu temere huc immi-
grasse potuit. CREV. *Inde* Gronovius
vertit, nunc demum, post talem ca-
sum.

7 *Quae iam in herbis erant*] Ita
Iac. Gronov. pro vulg. *hibernis*, cf.
Ovid. Met. v. 482. viii. 290. supr.
xxiii. 48.

8 *Tertium annum*] Capua defecit
anno ipso Cannensis cladis. Ex quo
apparet Livium, quum *tertium annum*
dixit, annos medios intelligere, im-
perfectos non numerare. Alioquin
quintum erat scribendum. Sigon.

9 *Ad subita belli*] cf. Supr. iv. 27.
ad subita belli ministeria.

1 *Equites vim sustinere possent*]
Ut equitatu possent sustinere vim

Hannibalis, qui equestribus copiis
praecellebat. CREV.

2 *Ad obtinendas res*] Ad tuendas
res, ad tenendos in officio Lucanos.
CREV.

3 *Extā resecta servarentur*] Lo-
cus vexatus. *Extā reservarentur*,
Stroth. *extā servarentur*, Bekker.
extā reserata servarentur, Drakenb.
legit, qui tamen *extā prosecta serva-
rentur* mavult. Equidem Kreyssigii
lectionem, quae ad scripturam Put.
cod. *extā resereservarentur* proxime
accedit, maxime probandam existi-
mo.

4 *Et iam anno*] Et iam annus erat
ex quo magistratum Flavius gerebat.
Expediit est Vict. codicis scriptura,
et eo anno. CREV.

gratiae apud Poenum quaerens, neque transire ipse, neque U. C. 540.
 trahere ad defectionem Lucanos satis habuit, nisi imperatoris A. C. 212.
 et eiusdem hospitis proditi capite ac sanguine foedus cum
 hostibus sanxisset. Ad Magonem, qui in Brutiis praeerat,
 5 clam in colloquium venit: fideque ab eo accepta, si Romanum
 iis imperatorem tradidisset, liberos cum suis legibus venturos
 6 in amicitiam Lucanos; deducit Poenum in locum, quo erat
 cum paucis Gracchum adducturus. Magonem ibi pedites
 equitesque armare, et capere eas latebras, ubi ingentem
 numerum occuleret, iubet. Loco satis inspecto atque un-
 dique explorato, dies composita gerendae rei est. Flavius
 ad Romanum imperatorem venit: ‘Rem se,’ ait, ‘magnam
 ‘inchoasse, ad quam perficiendam ipsius Gracchi opera
 7 ‘opus esse. Omnium populorum praetoribus, qui ad Poe-
 ‘num in illo communi Italiae motu descissent, persuasisse,
 ‘ut redirent in amicitiam Romanorum: quando res quoque
 Romana, quae prope exitium clade Cannensi venisset, in
 ‘dies melior atque auctior fieret; Hannibalis vis senesceret,
 ‘ac prope ad nihilum venisset. Veteri delicto laud impla-
 ‘cabiles fore Romanos: nullam unquam gentem magis ex-
 ‘orabilem, promptioremque veniae dandae fuisse. Quoties
 ‘rebellioni etiam maiorum suorum ignotum? Haec ab se,’
 ait, ‘dicta: ceterum ab ipso Graccho eadem haec audire
 ‘malle eos, praesentisque contingere dextram: id pignus
 ‘fidei secum ferre. Locum se consiliis dixisse a conspectu
 ‘amotum, haud procul a castris Romanis. Ibi paucis verbis
 ‘transigi rem posse, ut omne nomen Lucanum in fide ac
 ‘societate Romana sit.’ Gracchus, fraudem et sermoni et
 rei abesse ratus, ac similitudine veri captus, cum lictoribus
 ac turma equitum e castris profectus, duce hospite in insidias
 praecipitatur. Hostes subito exorti: et, ne dubia proditio
 esset, Flavius his se adiungit. Tela undique in Gracchum
 atque equites coniiciuntur. Gracchus ex equo desilit: idem
 ceteros facere iubet, hortaturque, ‘Ut, quod unum reliquum
 fortuna fecerit, id cohonestent virtute. Reliquum autem
 ‘quid esse paucis, a multitudine in valle silva ac montibus
 8 ‘saepta circumventis, praeter mortem? Id referre, utrum

Gracchus
 proditioe
 circumven-
 tus.

5 *Si Romanum iis imperatorem]*
 Sic scripti: nisi quod quidam pro *iis*
 habent *is*, quod idem est. Sigonius
 dederat ex coniectura parum prospera
sibi. Iis, nempe Carthaginensibus,
 qui facile ex sensu intelliguntur. CR.

6 *Deducit Poenum in locum]* Hunc
 locum sic refingit adintus optimo co-
 dice Gronovius: “deducit Poenum,
 quo cum paucis Gracchum ait ductu-
 rum. Mago ubi pedites equitesque
 armasset, caperet eas latebras, quae

ingentem numerum occulerent. Lo-
 co . . .” Ipsa Put. codicis scriptura,
 ex qua haec eruta est emendatio, ta-
 lis est: “Deducit Poenum in locum
 paucis Gracchum adducturum mago
 ibi pedites equitesque armares et ca-
 pere eos latebras ubi ingentem nume-
 rum occuleret.” CREV. Gronovium se-
 cutus est Bekker.

7 *Omnium populorum]* Lucanae
 gentis, CREV.

8 *Id referre]* Id unum interesse.

U. C. 540. 'praebentes corpora pecorum modo inulti trucidentur, an,
 A. C. 212. 'toto animo a patiendo expectandoque eventu in impetum
 'atque iram verso, agentes audentesque, perfusi hostium
 'cruore, inter exspirantium inimicorum cumulata armaque
 'et corpora cadant. Lucanum proditorem ac transfugam
 'omnes peterent. Qui eam victimam prae se ad inferos
 'misisset, eum decus eximium egregiumque solatium suae
 'morti inventurum.' Inter haec dicta, paludamento circum
 laevum brachium intorto, (nam ne scuta quidem secum ex-
 tulerant) in hostes impetum fecit. Maior, quam pro nu-
 mero hominum, editur pugna. Iaculis maxime aperta cor-
 pora Romanorum, et quum undique ex altioribus locis in
 cavam vallem coniectus esset, transfiguntur. Gracchum,
 iam nudatum praesidio, vivum capere Poeni nituntur.
 Ceterum ille, conspicatus Lucanum hospitem inter hostes,
 adeo infestus confertos invasit, ut parci ei sine multorum
 pernicie non posset. Exanimem eum Mago extemplo ad
 Hannibalem misit, ponique cum captis simul fascibus ante
 tribunal imperatoris iussit.

17. Haec vera fama est. Gracchus in Lucanis ad campos,
 qui Veteres vocantur, periit. Sunt, qui in agro Beneven-
 tano, prope Calorem fluvium, ostendant a castris cum li-
 ctoribus ac tribus servis lavandi causa progressum, quum
 forte inter salicta innata ripis laterent hostes, nudum atque
 inermem, saxisque, quae volvit annis, propugnantem, inter-
 fectum. Sunt, qui haruspicum monitu quingentos passus a
 castris progressum, uti loco puro ea, quae ante dicta pro-
 digia sunt, procuraret, ab insidentibus forte locum duabus
 turmis Numidarum circumventum scribant. Adeo nec
 locus, nec ratio mortis in viro tam claro et insigni constat.
 Funeris quoque Gracchi varia est fama. Alii in castris
 Romanis sepultum ab suis, alii ab Hannibale (et ea vulga-
 tior fama est) tradunt in vestibulo Punicorum castrorum
 rogam exstructum esse: armatum exercitum decucurrisse
 cum tripudiis Hispanorum, motibusque armorum et corpo-
 rum suae cuique genti assuetis, ipso Hannibale omni rerum
 verborumque honore exsequias celebrante. Haec tradunt,
 qui in Lucanis rei gestae auctores sunt. Si illis, qui ad

9 *Periit*] Loquitur de hac re Po-
 lybius in Excerpt. Vatican. viii. 1. ubi
 in eiusmodi infortuniis, utrum victos
 obiurgare, an iis potius compati oport-
 eat, disserit.

1 *Loco puro*] Quia ipsa castra, mul-
 tiplici illo ac saepius repetito in-
 fausto anguium omine, quasi polluta
 et incesta erant. Simili fere sensu
locus purus infr. xxxi. 44. DRAK.

2 *Decucurrisse*] Solebant milites
 non solum exercitationis causa, sed
 etiam in quibusdam sollennibus mili-
 taribus decurrere. cf. supr. xxiii. 35.
 xxiv. 48. Tac. Ann. ii. 7.

3 *Suae cuique genti assuetis*] Pro
suae cuique legendum *univaeque* iu-
 bet Gronov. *Suae quibusque genti*,
 mavult Crevier.

Calorem fluvium interfectum memorant, credere velis, ca- U. C. 540.
pitis tantum Gracchi hostes potiti sunt. Eo delato ad A. C. 212.
Hannibalem, missus ab eo confestim Carthalo, qui in castra
Romana ad Cn. Cornelium quaestorem deferret. Is funus
imperatoris in castris, celebrantibus cum exercitu Beneven-
tanis, fecit.

Consules, agrum Campanum ingressi, quum passim po- 18.
4 pularentur, eruptione oppidanorum et Magonis cum equi- Coss. ad
tatu territi et trepidi, ad signa milites palatos passim revo- Capuam
carunt: et, vixdum instructa acie fusi, supra mille et quin- fusi.
gentos milites amiserunt. Inde ingens ferocia superbae
snopte ingenio genti crevit, multisque proeliis lacescebant
Romanos: sed intentiores ad cavendum consules una pugna
fecerat, incaute atque inconsulte inita. Restituit tamen
his animos, et illis minuit audaciam, parva una res. Sed in
bello nihil tam leve est, quod non magnae interdum rei
momentum faciat. T. Quinctio Crispino Badius Campanus Badius
hospes erat, perfamiliari hospitio iunctus. Creverat con- Camp. pro-
suetudo, quod aeger Romae apud Crispinum Badius ante vocat ad
defectionem Campanam liberaliter comiterque curatus fue- pugnam
rat. Tum Badius, progressus ante stationes, quae pro Rom. Cris-
porta stabant, vocari Crispinum iussit. Quod ubi est pinum.
Crispino nuntiatum, ratus colloquium amicum ac familiare
quaeri, manente memoria, etiam in discidio publicorum
foederum, privati iuris, paullum a ceteris processit. Post-
quam in conspectum venire, 'Provoco te,' inquit, 'ad pu-
'gnam, Crispine,' Badius: 'conscendamus equos, summotis-
'que aliis, uter bello melior sit, decernamus.' Ad ea Cris-
pinus, 'Nec sibi, nec illi,' ait, 'hostes deesse, in quibus vir-
'tutem ostendant: se, etiamsi in acie occurrat, declinatu-
'rum, ne hospitali caede dextram violet;' conversusque
abibat. Enimvero ferocius tum Campanus increpare mol-
5 litiem ignavianque, et se digna probra in insontem iacere,
'hospitalem hostem' appellans, 'simulantemque parcere,
'cui sciat parem se non esse. Si parum publicis foederibus
'ruptis dirempta simul et privata iura esse putet, Badium
'Campanum T. Quinctio Crispino Romano palam, dnobis
6 'exercitibus audientibus, renuntiare hospitium. Nihil sibi
'cum eo consociatum, nihil foederatum hosti cum hoste,
'cuius patriam ac penates publicos privatosque oppugnatum
'venisset. Si vir esset, congredetur.' Diu cunctantem

4 *Magonis*] Hic locus suspectus est Iac. Gronovio et Dukero, quum infr. xxvi. 5, et 12. Hanno praefectus praesidii Punici dicatur, Mago autem supr. 15, et 16. Bruttis praeesse memoretur.

5 *Se digna probra*] Probra quibus

ipse dignus erat.

6 *Renuntiare hospitium*] Decla-
rare nullum iam esse hospitium; ir-
ritum facere et rescindere hospitii
ius. Eodem modo et sensu dicitur *re-
nuntiare societatem, renuntiare ami-
citiam*. CREV.

U. C. 540. Crispinum perpulere turmales, ne impune insultare Campanum pateretur. Itaque tantum moratus, dum imperatores consuleret, permitterentne sibi extra ordinem in provocantem hostem pugnare, permissu eorum arma cepit, equumque conscendit, et Badium, nomine compellans, ad pugnam evocavit. Nulla mora a Campano facta est: infestis equis concurrerunt. Crispinus supra scutum sinistrum humerum Badio hasta transfixit, superque delapsus cum vulnere ex equo desiluit, ut pedes iacentem conficeret. Badius, priusquam opprimeretur, parma atque equo relicto, ad suos an fugit. Crispinus, equum, armaque capta, et cruentam cuspidem insignis spoliis ostentans, cum magna laude et gratulatione militum, ad consules est deductus, laudatusque ibi magnifice, et donis donatus.

Singulare eorum certamen.

19.

Coss. pugnant cum Hannibale, aequo Marte.

Hannibal ex agro Beneventano castra ad Capuam quum movisset, tertio post die, quam venit, copias in aciem eduxit: haudquaquam dubius, quod Campanis, absente se, paucos ante dies secunda fuisset pugna, quin multo minus se suumque toties victorem exercitum sustinere Romani possent. Ceterum, postquam pugnari coeptum est, equitum maxime incursu, quum iaculis obrueretur, laborabat Romana acies: donec signum equitibus datum est, ut in hostem admitterent equos. Ita equestre proelium erat; quum procul visus Sempronianus exercitus, cui Cn. Cornelius quaestor praeerat, utrique parti parem metum praebeuit, ne hostes novi adventarent. Velut ex composito utrimque signum receptui datum: reductique in castra prope aequo Marte discesserunt. Plures tamen ab Romanis primo incursu equitum ceciderunt.

Inde consules, ut averterent Capua Hannibalem, nocte, quae secuta est, diversi, Fulvius in agrum Cumanum, Claudius in Lucanos abiit. Postero die, quum vacua castra 7 esse Romanorum nuntiatum Hannibali esset, et duobus agminibus diversos abiisse; incertus primo, utrum sequeretur, Appium institit sequi. Ille, circumducto hoste, qua voluit, alio itinere ad Capuam rediit. Hannibali alia in his locis bene gerendae rei fortuna oblata est. M. Centenius fuit cognomine Penula, insignis inter primi pili centuriones et magnitudine corporis et animo. Is, perfunctus militia, per P. Cornelium Sullam praectorem in senatum introductus, petit a Patribus, uti sibi quinque millia militum darentur. ‘Se, peritum et hostis et regionum, brevi operae pretium facturum; et, quibus artibus ad id locorum nostri 8

M. Centenius.

7 *In Lucanos abiit*] Haud raro ad ultimum duntaxat nomen verbum ap. Livium refertur. cf. supr. x. 44. 8 *Ad id locorum*] Ad id usque tempus. cf. supr. xxii. 38. ix. 45.

‘et duces et exercitus capti forent, iis adversus inventorem U. C. 540.
 ‘usurum.’ Id non promissum magis stolide, quam stolide A. C. 212.
 creditum: tanquam eadem militares et imperatoriae artes
 essent. Data, pro quinque, octo millia militum; pars
 dimidia cives, pars socii: et ipse aliquantum voluntariorum
 itinere in agris concivit, ac, prope duplicato exercitu, in
 Lucanos pervenit; ubi Hannibal, nequiequam secutus
 Claudium, substiterat. Haud dubia res est, quippe inter
 Hannibalem ducem et centurionem, exercitusque, alterum
 vincendo veteranum, alterum novum totum, magna ex parte
 etiam tumultuarium ac semiermem. Ut conspecta inter se
 agmina sunt, et neutra pars detrectavit pugnam, extemplo
 9 instructae acies. Pugnatum tamen, ut in nulla pari re,
 1 duas amplius horas, concitata et, donec dux stetisset, Ro-
 mana acie. Postquam is, non pro vetere fama solum, sed
 etiam metu futuri dedecoris, si sua temeritate contractae
 cladis superesset, obiectans se hostium telis, cecidit: fusa
 extemplo est Romana acies. Sed adeo ne fugae quidem
 iter patuit, omnibus viis ab equite insessis, ut ex tanta mul-
 titudine vix mille evaserint; ceteri passim, alii alia peste,
 absumpti sint.

Capua a consulibus iterum summa vi obsideri coepta est: 20.
 quaeque in eam rem opus erant, comportabantur paraban- Capua ob-
 turque. Casilinum frumentum convectum: ad Vulturni sessa.
 2 ostium, ubi nunc urbs est, castellum communitum: (ante
 Fabius Maximus munierat) praesidium impositum, ut mare
 proximum et flumen in potestate essent. In ea duo mari-
 tima castella frumentum, quod ex Sardinia nuper missum
 erat, quodque M. Iunius praetor ex Etruria coemerat, ab
 Ostia convectum est, ut exercitui per hiemem copia esset.
 Ceterum super eam cladem, quae in Lucanis accepta erat,
 volonum quoque exercitus, qui, vivo Graccho, summa fide
 stipendia fecerat, velut exauctoratus morte ducis, ab signis
 discessit.

3 Hannibal non Capuam neglectam, neque, ut tanto dis-

9 *Ut in nulla pari re*] Ut pugnari
 potuit, ubi nulla res erat par; ubi
 neque dux duci, neque exercitus exer-
 citui ullo modo comparandus. CR.

1 *Concitata et*] sc. In hostes. *Con-*
citata etiam Bekker. reponit.

2 *Ante Fabius Maximus munie-*
rat] Non castellum ad Vulturni
 ostium, sed Puteolos Fabius munie-
 rat. Vid. supr. xxiv. 7. Ac de Pu-
 teolis mentionem hoc loco fecisse Li-
 vium patet, tum ex eo quod infra *duo*
maritima castella appellat, tum ex c.
 22. huius libri, in quo Puteoli diserte
 nominantur. “App. Claudius consul,

D. Iunio ad ostium Vulturni, M. Au-
 relio Cotta Puteolis praeposito, qui”
 etc. Vult igitur Livius, praeter Pu-
 teolos, quos aliquanto ante Fabius
 munierat, etiam aliud castellum in
 eadem ora maris ad Vulturni ostium
 hoc anno fuisse communitum. Unde
 legendum videtur: “ad Vulturni os-
 tium . . . castellum communitum:
 Puteolis (ante Fabius Maximus munie-
 rat) praesidium impositum: ut,”
 etc. CREV.

3 *Ut tanto discrimine*] Utpote qui in
 tanto discrimine versarentur. RASCU.

U. C. 540. crimine, desertos volebat socios: sed, prospero ex temeritate unius Romani ducis successu, in alterius ducis exercitusque opprimendi occasionem imminerebat. Cn. Fulvius in Apulia. praetorem Apuli legati nuntiabant, primo, dum urbes quasdam Apulorum, quae ad Hannibalem descivissent, oppugnaret, intentius rem egisse: postea nimio successu et ipsum et milites, praeda impletos, in tantam licentiam socordiamque effusos, ut nulla disciplina militiae esset. Quum saepe alias, tum paucis diebus ante expertus, qualis sub inscio duce exercitus esset, in Apuliam castra movit. Circa 21. Herdoneam Romanae legiones et praetor Fulvius erant. Quo ubi allatum est, hostes adventare, prope est factum, ut iniussu praetoris signis convulsis in aciem exirent. Nec res ulla magis tenuit, quam spes haud dubia, suo id arbitrio, ubi vellent, acturos. Nocte insequenti Hannibal, quum tumultuatum in castris, et plerosque ferociter, signum ut daret, instituisse duci ad arma vocantes sciret, haud dubius prosperae pugnae occasionem dari, tria millia expeditorum militum in villis circa, vepribusque et silvis disponit, qui, signo dato, simul omnes e latebris existerent: et Magonem ac duo ferme millia equitum, qua fugam inclinaturam credebatur, omnia itinera insidere iubet. His nocte praeparatis, prima luce in aciem copias educit. Nec Fulvius est cunctatus, non tam sua ulla spe, quam militum impetu fortuito tractus. Itaque eadem temeritate, qua processum in aciem est, instruitur ipsa acies ad libidinem militum forte procurrentium consistentiumque, quo loco ipsorum tulisset animus, deinde per libidinem aut metum deserentium locum. Prima legio et sinistra ala in primo instructae, et in longitudinem porrecta acies. Clamantibus tribunis, 'nihil intorsus roboris ac virium esse, et, quacunque impetum fecisset hostis, 'perrupturos:' nihil, quod salutare esset, non modo ad animum, sed ne ad aures quidem admittebant. Et Hannibal, haudquaquam similis dux, neque simili exercitu, neque ita instructo aderat. Ergo ne clamorem quidem atque impetum primum eorum Romani sustinere. Dux, stultitia et temeritate Centenio par, animo nequaquam comparandus, ubi rem inclinatam ac trepidantes suos vidit, equo arrepto cum ducentis ferme equitibus effugit: cetera a fronte pulsa, a tergo atque alis circumventa acies, eo usque est caesa, ut 4

Ab Hannibale vincitur.

3 *Sinistra ala*] Socialis exercitus a Romanis dividebatur in duo corpora: alterum appellabant *dexteram alam*, alterum *sinistram*. Itaque id fere erat *ala* in sociali exercitu, quod legio in Romano. Hinc prima legio et sinistra ala hoc loco iunguntur,

tanquam corpora eiusdem generis atque ordinis. Cave igitur hic equites intelligas. Fuere pedites socii. Vid. Lips. de Mil. Rom. ii. 7. CREV.

4 *A tergo atque alis*] *Alae* hic sunt latera aciei. CREV.

ex duodeviginti millibus hominum, duo millia haud amplius U. C. 540.
evaserint. Castris hostes potiti sunt. A. C. 212.

Hae elades, super aliam alia, Romam quum essent nuntiatae, ingens quidem et luctus et pavor civitatem cepit: 22.
sed tamen, quia consules, ubi summa rerum esset, ad id locorum prospere rem gererent, minus his cladibus commovebantur. Legatos ad consules mittunt C. Laetorium, M. Metilium, qui nuntiarent, ut reliquias duorum exercituum cum cura colligerent: darentque operam, ne per metum ac desperationem hosti se dederent, id quod post Cannensem accidisset eladem, et ut desertores de exercitu volonum conquirent. Idem negotii P. Cornelio datum, cui et delectus mandatus erat: isque per fora conciliabulaque edixit, ut conquisitio volonum fieret, iique ad signa reducerentur. Haec omnia intentissima cura acta.

Ap. Claudius consul, D. Iunio ad ostium Vulturni, M. Aurelio Cotta Puteolis praeposito, qui, ut quaeque naves ex Etruria ac Sardinia accessissent, extemplo in castra mitterent frumentum; ipse ad Capuam regressus Q. Fulvium collegam invenit Casilini, omnia inde portantem molientemque ad oppugnandam Capuam. Tum ambo circumsederunt urbem, et Claudium Neronem praectorem ab Sues-
6sula ex Claudianis castris exciverunt. Is quoque, modico ibi praesidio ad tenendum locum relicto, ceteris omnibus copiis ad Capuam descendit. Ita tria praectoria circa Capuam Capua ope-
erecta, tres et exercitus, diversis partibus opus aggressi, ribus cin-
fossa valloque circumdare urbem parant, et castella excitant gitur.
modicis intervallis: multisque simul locis cum prohibentibus opera Campanis eo eventu pugnant, ut postremo portis muroque se contineret Campanus. Prius tamen, quam haec continuarentur opera, legati ad Hannibalem missi, qui quererentur, desertam ab eo Capuam, ac prope redditam Romanis: obtestarenturque, ut tunc saltem opem non circumsessis modo, sed etiam circumvallatis, ferret. Consuli-
7bus literae a P. Cornelio praetore missae, ‘Ut, priusquam clauderent Capuam operibus, potestatem Campanis facerent, ut, qui eorum vellent, exirent ab Capua, suasque res secum auferrent. Liberos fore suaque omnia habituros, qui ante Idus Martias exissent: post eam diem quique exissent, quique ibi mansissent, hostium futuros numero.’ Ea pronuntiata Campanis, atque ita spreta, ut ultro dicerent contumelias, minarenturque. Hannibal ab Herdonea Ta-

5 *Ad id locorum*] cf. Supr. 19.

6 *Claudianis castris*] Castris a Claudio Marcello primum communitis, quaeque, quum per aliquot iam annos starent, auctoris semper nomen

servabant. Vid. supr. xxiii. 17. et 31. CREV.

7 *Praetore missae*] Nempe ex senatusconsulto. DOER. cf. supr. xxii. 33.

U. C. 540. rentum duxerat legiones; spe, aut vi, aut dolo, arcis
 A. C. 212. Tarentinac potiundae. Quod ubi parum processit, ad
 Brundisium flexit iter, prodi id oppidum ratus. Ibi quo-
 que quum frustra tereret tempus, legati Campani ad eum
 Hannibal
 auxilium
 promittit
 Campanis. venerunt, querentes simul, orantesque: quibus Hannibal
 magnifice respondit, et antea solvisse obsidionem, et nunc
 adventum suum consules non laturos. Cum hac spe dimissi
 legati, vix regredi Capuam, iam duplici fossa valloque cin-
 ctam, potuerunt.

23. Quum maxime Capua circumvallaretur, Syracusarum
 oppugnatio ad finem venit, praeterquam vi ac virtute ducis
 exercitusque, intestina etiam prodicione adiuta. Namque
 Marcellus initio veris incertus, utrum Agrigentum ad
 Himilconem et Hippocratem verteret bellum, an obsidione 8
 Syracusas premeret, quanquam nec vi capi videbat posse
 inexpugnabilem terrestri ac maritimo situ urbem, nec fame,
 quam prope liberi ab Carthagine commeatus alerent, tamen,
 ne quid inexpertum relinqueret, transfugas Syracusanos
 (erant autem apud Romanos aliqui nobilissimi viri, inter
 defectionem ab Romanis, quia ab novis consiliis abhorrebant,
 Colloquia
 de proden-
 dis Marcel-
 lo Syracu-
 sis. pulsi) colloquiis suae partis tentare hominum animos iussit,
 et fidem dare, si traditae forent Syracusae, liberos eos ac
 suis legibus victuros esse. Non erat colloquii copia, quia
 multorum animi suspecti omnium curam oculosque conver-
 terant, ne quid falleret tale admissum. Servus unus exsu-
 lum, pro transfuga intromissus in urbem, conventis paucis,
 initium colloquendi de tali re fecit. Deinde in piscatoria
 quidam navi, retibus operi, circumvectique ita ad castra
 Romana, collocutique cum transfugis: et idem saepius
 eodem modo alii atque alii. Postremo ad octoginta facti.
 Et, quum iam composita omnia ad prodicionem essent, in-
 Res defer-
 tur ad Epi-
 cyden. dicio delato ad Epicydem per Attalum quendam, indignan-
 tem sibi rem creditam non esse, necati omnes cum cruciatu
 sunt. Alia subinde spes, postquam haec vana evaserat,
 excepit. Damippus quidam Lacedaemonius, missus ab
 Syracusis ad Philippum regem, captus ab Romanis navibus
 erat. Huius utique redimendi et Epicydae cura erat
 ingens; nec abnuvit Marcellus, iam tum Aetolcrum, cuius
 gentis socii Lacedaemonii erant, amicitiam affectantibus
 Romanis. Ad colloquium de redemptione eius missis,
 medius maxime atque utrisque opportunus locus, ad portum
 Trogiliorum, propter turrin, quam vocant Galeagram, est
 visus. Quo quum saepius commearent, unus ex Romanis,
 ex propinquo murum contemplatus, numerando lapides,

8 *Verteret bellum*] Quemadmo- tempore Appius Syracusas obsidebat.
 dum priore anno, supr. xxiv. 39. quo

9 aestimandoque ipse secum, quid in fronte paterent singuli, U. C. 540.
 altitudinem muri, quantum proxime coniectura poterat, A. C. 212.
 permensus, humilioremque aliquanto pristina opinione sua
 et ceterorum omnium ratus esse, et vel mediocribus scalis
 superabilem, ad Marcellum rem defert. Haud spernenda
 visa. Sed, quum adiri locus, qui ob id ipsum intentius
 custodiebatur, non posset, occasio quaerebatur: quam ob-
 1 tulit transfuga, nuntians, diem festum Dianae per triduum
 agi, et, quia alia in obsidione desint, vino largius epulas
 celebrari, et ab Epicyde praebito universae plebei, et per
 tribus a principibus diviso. Id ubi accepit Marcellus, cum
 paucis tribunorum militum collocutus, electisque per eos
 ad rem tantam agendam audendamque idoneis centurioni-
 bus militibusque, et scalis in occulto comparatis, ceteris
 2 signum dari iubet, ut mature corpora curarent, quietique
 darent: nocte in expeditionem eundum esse. Inde ubi id
 3 temporis visum, quo de die epulatis iam vini satias prin-
 4 cipiumque somni esset, signi unius milites ferre scalas
 iussit; et ad mille fere armati tenui agmine per silentium
 eo deducti. Ubi sine strepitu ac tumultu primi evaserunt
 in murum, secuti ordine alii; quum priorum audacia
 5 dubiis etiam animum faceret. Iam mille armatorum cepe-
 rant partem, quum ceterae admotae, pluribusque scalis in
 murum evadebant, signo ab Hexapylo dato; quo per in-
 gentem solitudinem erat perventum, quia magna pars, in
 turribus epulati, aut sopiti vino erant, aut semigraves po-
 tabant. Paucos tamen eorum oppressos in cubilibus inter-
 fecerunt. Prope Hexapylon est portula magna vi refringi
 coepta; et e muro ex composito tuba datum signum erat.
 Et iam undique, non furtim, sed vi aperta, gerebatur res:
 6 quippe ad Epipolas, frequentem custodiis locum, perventum
 erat, terrendique magis hostes erant, quam fallendi; sicut
 territi sunt. Nam simul ac tubarum est auditus cantus,

Murum ur-
 bis supe-
 rant scalis
 Romani.

24.

9 *Quid in fronte paterent singuli*] Quam ampli essent singuli lapides in fronte, DOER. cf. Thuc. iii. 20. ubi simili arte Plataeenses Lacedaemoniorum munimenta scalis admotis superant.

1 *Diem festum*] Latini fortassis etiam plurium dierum sollennia *diem festum* dicunt, ut unius diei plurali numero *dies festos*. DUK.

2 *Signum dari*] Nempe per tesse-
 ram. CREV.

3 *De die epulatis*] cf. Supr. xxiii.
 8. Debetur particula *de* coniecturae
 Lipsii. CREV.

4 *Signi unius*] Unius manipuli.

5 *Iam mille armatorum*] Iam mille

armati transcenderant murum, et ce-
 perant partem urbis, quum ceterae
 scalae admotae. Clarius foret, quod
 suggerit Muretus: *quum ceteri ad-*
motis pluribus scalis in murum eva-
debant. Sane unus e nostris eodd.
 praefert *pluribus scalis sine τῷ que*.
 CREV. Emendationem Mureti rece-
 pit Bekker., quam Stroth. reponen-
 dam censet. Hic vero post *ceterae*
 vocem *cohortes* intelligendam putat.

6 *Ad Epipolas*] Epipolarum, loci
 muniti extra Syracusas, urbi tamen
 imminenti, et ut videtur, posteriore
 aevo cum ea muro coniuncti, frequens
 mentio est ap. Diod. Sic. xiii. 7. seqq.

U. C. 540. clamorque tenentium muros partemque urbis; omnia teneri 7
 A. C. 212. custodes rati, alii per murum fugere, alii salire de muro,
 praeceperatque turba paventium. Magna pars tamen
 ignara tanti mali erat, et gravatis omnibus vino somnoque,
 et, in vastae magnitudinis urbe, partium sensu non satis
 pertinente in omnia. Sub luce, Hexapylo effracto, Mar-
 cellus, omnibus copiis urbem ingressus, excitavit convertit-
 que omnes ad arma capienda, opemque, si quam possent,
 iam captae prope urbi ferendam. Epicydes, ab Insula, 9
 quam ipsi Nason vocant, citato profectus agmine, haud
 dubius, quin paucos, per negligentiam custodum trans-
 gressos murum, expulsurus foret, occurrentibus pavidis, tu-
 multum augere eos, dictitans, et maiora ac terribiora vero
 afferre, postquam conspexit omnia circa Epipolas armis
 completa, lacessito tantum hoste paucis missilibus, retro in
 Achradinam agmen convertit, non tam vim multitudinem-
 que hostium metuens, quam ne qua intestina fraus per oc-
 casionem oriretur, clausasque inter tumultum Achradinae
 atque Insulae inveniret portas. Marcellus, ut, moenia in-
 gressus, ex superioribus locis urbem, omnium ferme illa
 tempestate pulcherrimam, subiectam oculis vidit, illacri-
 masse dicitur, partim gaudio tantae perpetratae rei, partim
 vetusta gloria urbis. Atheniensium classes demersae, et
 duo ingentes exercitus cum duobus clarissimis ducibus 1
 deleti, occurrebant, et tot bella cum Carthaginiensibus
 tanto cum discrimine gesta; tot tam opulenti tyranni re-
 gesque; praeter ceteros Hiero, quum recentissimae me-
 moriae rex, tum ante omnia, quae virtus ei fortunaque sua
 dederat, beneficiis in populum Romanum insignis. Ea
 quum universa occurrerent animo, subiretque cogitatio,
 iam illa momento horae arsura omnia, et ad cineres redi-
 tura; priusquam signa Achradinam admooveret, praemittit
 Syracusanos, qui intra praesidia Romana, ut ante dictum 2

Marcelli
 lacrimae.

7 *Omnia teneri custodes rati, alii*] Quamplurimi scripti carent voce *rati*, quae tamen necessaria est. Recte suspicatur Iac. Gronovius delendum τὸ *alii*, male additum ut respondeat alteri quod sequitur, quum saepe soleat Livius in partitionibus alterum suppressere. Sic supr. iii. 37. *virgis caedi, alii securi subiici*. CREV.

8 *Et, in vastae magnitudinis urbe*] Similem, Babylone capta, narrationem inveneris ap. Herodot. i. 191. Aristot. Pol. iii. 1.

9 *Ab Insula, quam ipsi Nason vocant*] Graece insula est νῆσος. At

Dores, quorum dialectus in Sicilia vigeat, dicunt νᾶσος, mutata pro suo more litera η in α. CREV.

1 *Cum duobus clarissimis ducibus*] Duo duces, quos hic indicat Livius, sunt Nicias et Demosthenes, qui in miserabili Atheniensium ab Syracusis fuga interierunt. Durante Syracusarum obsidione, duo iam alii Atheniensium duces occiderant, Lamachus et Eurymedon. cf. Thucyd. vii. Diod. Sic. xiii. CREV.

2 *Intra praesidia*] In exercitibus Romanis. Praesidia hic nihil aliud sunt, quam copiae, vel castra. CREV.

est, fuerant, ut alloquio leni pellicerent hostes ad dedendam urbem. U. C. 540.
A. C. 212.

Tenebant Achradinae portas murosque maxime transfugae, quibus nulla erat per conditiones veniae spes: ii nec adire muros, nec alloqui quenuquam passi. Itaque 25.
³ Marcellus, postquam id inceptum irritum fuit, ad Euryalum signa referri iussit. Tumulus est in extrema parte urbis
⁴ versus a mari, viacque immiuens ferenti in agros mediterraneaue insulae, percommode situs ad commeatus excipiendos. Præcerat huic arci Philodemus Argivus, ab Epiclyde impositus. Ad quem missus a Marcello Sosis, unus ex interfectoribus tyranni, quum, longo sermone habito, dilatus per frustrationem esset, retulit Marcello, tempus enim ad deliberandum sumpsisse. Quum is diem de die differret, dum Hippocrates atque Himilco admovent castra legionesque, haud dubius, si in arcem accepisset eos, deleri Romanum exercitum inclusum muris posse; Marcellus, ut
⁵ Euryalum neque tradi, neque capi vidit posse, inter Neapolim et Tycham (nomina partium urbis, et instar urbium sunt) posuit castra, timens, ne, si frequentia intrasset loca, contineri ab discursu miles avidus praedae non posset.
⁶ Legati eo ab Tycha et Neapoli cum infulis et velamentis venerunt, precantes, ut a caedibus et ab incendiis parceretur. De quorum precibus, quam postulatis, magis consilio habito, Marcellus ex omnium sententia edixit militibus, ‘ne quis liberum corpus violaret: cetera praedae
⁷ ‘futura.’ Castraque tectis parietum pro muro saepta.
⁸ Portis regione platearum patentibus stationes praesidiaque disposuit, ne quis in discursu militum impetus in castra fieri posset. Inde, signo dato, milites discurrerunt: refractisque foribus, quum omnia terrore ac tumultu streperent, a caedibus tamen temperatum est. Rapinis nullus ante modus fuit, quam omnia diuturna felicitate cumulata

³ *Ad Euryalum*] Euryalus arx in summa Epipolarum parte erat. cf. Thucyd. vi. 97.

⁴ *Versus a mari*] Aversus, remotus a mari, in mediterraneas insulae partes versus.

⁵ *Inter Neapolim et Tycham*] Neapolis sic dicta est, quia postrema aedificata fuerat: Tycha, quod in ea esset antiquissimum Fortunae fanum. Testis est Cic. in Verr. iv. 119. CREV. cf. supr. xxiv. 21.

⁶ *Cum infulis et velamentis*] Supplicum more. Infulis velati sacerdotes sacra faciebant. Hinc assumptae sunt a supplicibus, ut religiosae vestis obiectu ira mitesceret. *Vela-*

menta proprie et signate dicebantur, quaecunque supplices misericordiae movendae causa praeferebant, ut ramos oleae vittis obvolutos, etc. CR.

⁷ *Castraque tectis parietum*] Hoc dicit, castra Marcelli inter Neapolim ac Tycham posita, aedificiorum parietes pro muro aut vallo habuisse: sive *tecta parietum* dixit pro parietibus ipsis structis ad tegendas aedes; sive scripsit, *castraque tectorum parietibus*. GRONOV. Sententiam satis aperit haec explicatio, sed oratio scabra est; nam *edixit, castraque septa, et disposuit* non cohaerent. DUK.

⁸ *Regione platearum*] Plateas versus patentibus.

U. C. 540. bona egressere. Inter haec et Philodemus, quum spes
 A. C. 212. auxilii nulla esset, fide accepta, ut inviolatus ad Epicydem
 Tumulum rediret, deducto praesidio, tradidit tumultum Romanis.
 Eurylum Aversis omnibus ad tumultum ex parte captae urbis, Bo-
 recipit milcar, noctem eam nactus, qua propter vim tempestatis
 Marcellus. stare ad ancoram in salo Romana classis non posset, cum
 triginta quinque navibus ex portu Syracusano profectus,
 libero mari vela in altum dedit, quinque et quinquaginta
 navibus Epicydae et Syracusanis relictis: edoctisque Car-
 thaginiensibus, in quanto res Syracusana discrimine esset,
 cum centum navibus post paucos dies redit, multis, ut fama
 est, donis ex Hieronis gaza ab Epicyde donatus.

26. Marcellus, Euryalo recepto praesidioque addito, una
 cura erat liber, ne qua ab tergo vis hostium in arcem
 accepta inclusos impeditosque moenibus suos turbaret.
 Achradinam inde, trinis castris per idonea dispositis loca,
 spe ad inopiam omnium rerum inclusos redacturum, cir-
 cumsedit. Quum per aliquot dies quietae stationes utrim-
 que fuissent, repente adventus Hippocratis et Himilconis,
 ut ultro undique oppugnarentur Romani, fecit. Nam et
 Hippocrates, castris ad magnum portum communitis, signo-
 9 que iis dato, qui Achradinam tenebant, castra vetera Ro-
 manorum adortus est, quibus Crispinus praecerat; et Epi-
 cydes eruptionem in stationes Marcelli fecit: et classis
 Punica litori, quod inter urbem et castra Romana erat, ap-
 pulsa est; ne quid praesidii Crispino summitti a Marcello
 posset. Tumultum tamen maiorem hostes praebuerunt,
 quam certamen. Nam et Crispinus Hippocratem non re-
 pulit tantum munimentis, sed insecutus etiam est trepide
 fugientem; et Epicydem Marcellus in urbem compulit:
 satisque iam etiam in posterum videbatur provisum, ne
 quid ab repentinis eorum excursionibus periculi foret.

Pestilentia. Accessit et pestilentia, commune malum, quod facile utro-
 1 rumque animos averteret a belli consiliis. Nam tempore
 auctumni, et locis natura gravibus, multo tamen magis 2
 extra urbem, quam in urbe, intoleranda vis aestus per
 utraque castra omnium ferme corpora movit. Et primo
 temporis ac loci vitio et aegri erant, et moriebantur: postea 3
 curatio ipsa et contactus aegrorum vulgabat morbos: ut

9 *Magnum portum*] cf. Supr. xxiv.
 37. Huius portus circuitus octo mil-
 lia passuum efficiebat.

1 *Accessit et pestilentia*] Similiter
 exercitus Carthaginiensium, quum Hi-
 milcone duce Ol. xcvi. i. Syracusas
 obsideret, gravissima peste vexatus
 est. cf. Diod. Sic. xiv. 71. Niebhr. ii.
 n. 1126.

2 *Locis natura gravibus*] Quippe
 paludosa et insalubris regio inter
 Anapum fluvium atque urbem Syra-
 cusas iacebat.

3 *Postea curatio ipsa et contactus
 aegrorum*] In hac descriptione Li-
 vium ante oculos habuisse Thucydi-
 dem ii. 51, et 52. monet Duker. Cete-
 rum pestilentiam eam, qua Himilco-

Achradinam obsidet.
 Hippocrates et Himilco veniunt Syracusas.

aut neglecti desertique, qui incidissent, morerentur, aut as-
 sidentes curantesque eadem vi morbi repletos secum tra-
 herent: quotidianaque funera et mors ob oculos esset, et
 undique dies noctesque ploratus audirentur. Postremo ita
 assuetudine mali effraverant animos, ut non modo lacrimis
 iustoque comploratu prosequerentur mortuos, sed ne effe-
 rent quidem, aut sepelirent, iacerentque strata exanima
 corpora in conspectu similem mortem expectantium; mor-
 tuique aegros, aegri validos, quum metu, tum tabe ac pe-
 stifero odore corporum, conficerent: et, ut ferro potius
 morerentur, quidam invadebant soli hostium stationes.
 Multo tamen vis maior pestis Poenorum castra, quam Ro-
 mana, (diu circumsedendo Syracusas, coelo aquisque as-
 suerant magis) affecerat. Ex hostium exercitu Siculi, ut
 primum videre ex gravitate loci vulgari morbos, in suas
 quisque propinquas urbes dilapsi sunt. At Carthagini-
 enses, quibus nusquam receptus erat, cum ipsis ducibus
 Hippocrate atque Himilcone, ad internecionem omnes per-
 ierunt. Marcellus, ut tanta vis ingruerat mali, traduxerat
 in urbem suos: infirmaque corpora tecta et umbrae re-
 creaverant. Multi tamen ex Romano exercitu eadem peste
 absorpti sunt.

Qua abusu-
 mitur exer-
 citus Puni-
 cus.

Deleto terrestri Punico exercitu, Siculi, qui Hippocratis
 4 milites fuerant, in haud magna oppida, ceterum et situ et
 munimentis tuta, (tria millia alterum ab Syracusis, alterum
 5 quindecim abest) eo et commeatus e civitatibus suis com-
 portabant, et auxilia arcessebant. Interea Bomilcar, iterum
 cum classe profectus Carthaginem, ita exposita fortuna so-
 ciorum, ut spem faceret, non ipsis modo salutarem opem
 ferri posse, sed Romanos quoque in capta quodammodo
 urbe capi, perpulit, ut onerarias naves quam plurimas omni
 copia rerum onustas secum mitterent, classemque suam
 augerent. Igitur, centum triginta navibus longis et sep-
 tingentis onerariis profectus a Carthagine, satis prosperos
 6 ventos ad traiciendum in Siciliam habuit. Sed iidem

Classis Pu-
 nica.

nis exercitus gravabatur, id genus
 quod Anglice *measles* appellatur, fu-
 isse censet Niebhr. ii. n. 1126, quum
 Diodorus voce *φλύκτανα* utitur. Fieri
 tamen potest, ut pestis illa quae apud
 Indos Occidentales Anglice *yellow*
fever appellatur, et quae in Hispania
 ad arcem Calpem quondam saeviisse
 satis creditur, vel illa quae hodie ab
 insula Smyrna nomen ducit, et quae
 plerumque vomicis corpus aegrum
 vexat, gravioribus anni temporibus
 in his regionibus aliquando grassata
 sit. cf. supr. iii. 6, 7. 32. iv. 30. Dion.

ix. 42. x. 53. Diod. Sic. xiii. 114.
 xiv. 41. 45.

4 *Haud magna oppida*] Quippe
 Siculorum *πολιςματα*, sive oppidula,
 in iugis montium, qui Syracusas de-
 spectant, posita fuisse apud Thueydi-
 dem legimus.

5 *Eo et commeatus*] Supervacua
 videtur particula *eo*. At nonnun-
 quam amat Livius ita loqui, ut clari-
 tati serviat. Vid. supr. i. 19. et 58. et
 alibi saepius. CREV.

6 *Sed iidem venti*] Carthagine Pa-
 chynum petentes ventus ab occasu

U. C. 540. venti superare eum Pachynum prohibebant. Bomilcaris
 A. C. 212. adventus, fama primo, dein praeter spem mora, quum
 gaudium et metum in vicem Romanis Syracusanisque
 praebuisset; Epicydes metuens, ne, si pergerent iidem,⁷
 qui tum tenebant, ab ortu solis flare per dies plures venti,
 classis Punica Africam repeteret, tradita Achradina merce-
 narium militum ducibus, ad Bomilcarem navigat. Clas-
 sem in statione versa in Africam habentem, atque timentem
 navale proelium, non tam quod impar viribus aut numero
 navium esset, (quippe etiam plures habebat) quam quod
 venti aptiores Romanae, quam suae, classi flarent, perpulit
 tandem, ut fortunam navalis certaminis experiri vellet. Et
 Marcellus, quum et Siculum exercitum ex tota insula concir-
 cire videret, et cum ingenti compectu classem Punicam
 adventare, ne simul terra marique inclusus urbe hostium
 urgeretur, quanquam impar numero navium erat, prohibere
 aditu Syracusarum Bomilcarem constituit. Duae classes
 infestae circa promontorium Pachynum stabant, ubi prima
 tranquillitas maris in altum exisset, concursurac. Itaque,⁹
 cadente iam Euro, qui per dies aliquot saevierat, prior
 Bomilcar movit: cuius prima classis petere altum visa est,
 quo facilius superaret promontorium. Ceterum, postquam
 tendere ad se Romanas naves vidit, incertum qua subita
 territus re, Bomilcar vela in altum dedit, missisque nuntiis
 Heracleam, qui onerarias retro in Africam repetere iube-¹
 rent, ipse, Siciliam praetervectus, Tarentum petit. Epi-
 cydes, a tanta repente destitutus spe, ne in obsidionem
 magna ex parte captae urbis rediret, Agrigentum navigat,
 expectaturus magis eventum, quam inde quicquam mo-
 turus.

Proelium
 navale de-
 tractat.

Epicydes
 Agrigen-
 tum abit.

28. Quae ubi in castra Siculorum sunt nuntiata, Epicydem
 Syracusis excessisse, a Carthaginensibus relictam insulam,
 et prope iterum Romanis traditam; legatos de conditioni-²
 bus dedendae urbis, explorata prius per colloquia voluntate

Legati ex-
 ercitus Si-
 culorum ad
 Marcellum.

ferme flans vexerat. Auster neces-
 sarius erat navigaturis ab Pachyno
 Syracusas. CREV.

⁷ *Si pergerent iidem*] Hinc ventos,
 nisi mutati fuerant, postquam Bomil-
 car ad Pachynum pervenerat, ab ortu
 non ab occasu flavisse Crevierio vi-
 detur. Equidem Punicam classem
 Siciliam versus navigasse atque ad
 litus, e. g. Agrigenti appulisse, ven-
 tis ab ortu solis flantibus, crediderim,
 ventos tamen eosdem, quum ad litus
 Siciliae Pachynum versus navigare
 oporteret, non satis prosperos fuisse.

⁸ *Classem in statione versa in Afri-*

cam habentem] Bomilcarem, qui ha-
 bebant classem in statione versa in
 Africam; classem stantem prorsus in
 Africam versis, tanquam eo brevi tra-
 iecturam. CREV.

⁹ *In altum exisset*] Sivisset in
 altum evehi. CREV.

¹ *Retro in Africam repetere*] Ad
 verbum *repetere* suppleri posse *iter*
 monet Drakenb. *retro* ut supr. xxiv.
 19. *retro redit*, sc. cursu retro con-
 verso.

² *Iterum Romanis traditam*] *Ite-*
rum, quia foedere ad Aegates insulas
 icto iam tradita fuerat Romanis. CR.

eorum, qui obsidebantur, ad Marcellum mittunt. Quum U. C. 540.
 3 haud ferme discreparet, quin, quae ubique regum fuissent, A. C. 212.
 Romanorum essent; Siculis cetera cum libertate ac legibus
 suis servarentur; evocatis ad colloquium his, quibus ab
 Epicyde creditae res erant, 'missos se simul ad Marcellum,
 'simul ad eos ab exercitu Siculorum,' aiunt, 'ut una om-
 'nium, qui obsiderentur, quique extra obsidionem essent,
 'fortuna esset: neve alteri proprie sibi paciscerentur quic-
 'quam.' Recepti deinde ab iis, ut necessarios hospitesque Intrans Sy-
 alloquerentur, expositis, quae pacta iam cum Marcello ha- racusas.
 berent, oblata spe salutis perpulere eos, ut secum praefectos Praefecti
 Epicydis, Polyclitum, et Philistionem, et Epicydem, cui Epicydis
 Sindon cognomen erat, aggrederentur. Interfectis iis, et interficiun-
 tur.
 multitudo ad concionem vocata, et inopiam, qua ipsi
 inter se fremere occulte soliti erant, conquesti, 'quanquam
 'tot mala urgerent,' negarunt, 'fortunam accusandam esse,
 'quod in ipsorum esset potestate, quam diu ea paterentur.
 'Romanis causam oppugnandi Syracusas fuisse caritatem
 'Syracusanorum, non odium: nam, ut occupatas res ab
 'satellitibus Hannibalis, deinde Hieronymi, Hippocrate
 'atque Epicyde, audierint, tum bellum movisse, et obsidere
 'urbem coepisse, ut crudeles tyrannos eius, non ut ipsam
 4 urbem, expugnarent. Hippocrate vero interempto, Epi-
 cyde intercluso ab Syracusis, et praefectis eius occisis,
 'Carthaginensibus omni possessione Siciliae terra marique
 'pulsis, quam superesse causam Romanis, cur non, perinde
 'ac si Hiero ipse viveret, unicus Romanae amicitiae cultor,
 'incolumes Syracusas esse velint? Itaque nec urbi nec
 'hominibus aliud periculum, quam ab semet ipsis, esse, si
 'occasionem reconciliandi se Romanis praetermisissent,
 '(eam autem, qualis illo momento horae sit, nullam deinde
 'fore) simul libertas ab impotentibus tyrannis apparuisset.'

Omnium ingenti assensu audita ea oratio est. Praetores 29.
 tamen prius creari, quam legatos nominari, placuit. Ex
 ipsorum deinde praetorum numero missi oratores ad Mar-
 cellum. Quorum princeps, 'Neque primo,' inquit, 'Sy- Legatorum
 'racusani a vobis defecimus, sed Hieronymus, nequaquam Syracusa-
 'tam in vos impius, quam in nos: nec postea pacem, tyranni norum ad
 'caede compositam, Syracusanus quisquam, sed satellites Marcellum
 'regii, Hippocrates atque Epicydes, oppressis nobis hinc oratio.
 'metu, hinc fraude, turbaverunt. Nec quisquam dicere
 'potest, aliquando nobis libertatis tempus fuisse, quod pacis
 'vobiscum non fuerit. Nunc certe caede eorum, qui oppres-

3 *Discreparet*] Hoc verbo impersonaliter uti solet Livius. cf. supr. xxii. 61.

4 *Hippocrate vero interempto*] sc. Peste absumpto, ut supr. 26. narratur.

U. C. 540. 'sas tenebant Syracusas, quum primum nostri arbitrii esse
 A. C. 212. 'coepimus, extemplo venimus ad tradenda arma; dedendos
 'nos, urbem, moenia: nullam recusandam fortunam, quae
 'imposita a vobis fuerit. Gloriam captae nobilissimae pul-
 'cherrimaeque urbis Graecarum dei tibi dederunt, Mar-
 'celle. Quicquid unquam terra marique memorandum
 'gessimus, id tui triumphi titulo accedit. Famaene credi
 'velis, quanta urbs a te capta sit, quam posteris quoque
 'eam spectaculo esse? Quo quisque terra, quisque mari
 'venerit, nunc nostra de Atheniensibus Carthaginiensibus-
 'que tropaea, nunc tua de nobis ostendat; incolumesque 5
 'Syracusas familiae vestrae sub clientela nominis Marcel-
 'lorum tutelaque habendas tradas. Ne plus apud vos
 'Hieronymi, quam Hieronis, memoria momenti faciat.
 'Diutius ille multo amicus fuit, quam hic hostis: et illius
 'etiam benefacta persensistis; huius amentia ad perniciem
 'tantum ipsius valuit.'

Transfuga-
 rum et
 mercena-
 riorum tu-
 multus Sy-
 racusis.

30.

Omnia et impetrabilia et tuta erant apud Romanos: inter ipsos plus belli ac periculi erat. Namque transfugae, tradi se Romanis rati, mercenariorum quoque militum auxilia in eundem compulere metum: arreptisque armis praetores primum obruncant, inde ad eandem Syracusanorum discurrunt: quosque fors obtulit, irati interfecere, atque omnia, quae in promptu erant, diripuerunt. Tum, ne sine ducibus essent, sex praefectos creavere, ut terni Achradinae ac Naso praeessent. Sedato tandem tumultu, exsequentibus sciscitando mercenariis, quae acta cum Ro-
 manis essent, dilucere id, quod erat, coepit; aliam suam ac
 perfugarum causam esse. In tempore legati a Marcello redierunt, falsa eos suspitione incitatos memorantes, nec causam expetendae poenae eorum ullam Romanis esse. Erat ex tribus Achradinae praefectis Hispanus, Mericus nomine. Ad eum inter comites legatorum de industria unus ex Hispanorum auxiliaribus est missus: qui, sine arbitris Mericum nactus, primum, quo in statu reliquisset Hispaniam, (et nuper inde venerat) exponit. 'Omnia Ro-
 'manis ibi obtineri armis. Posse eum, si operae pretium 7
 'faciat, principem popularium esse: seu militare cum Ro-
 'manis, seu in patriam reverti libeat. Contra, si malle

§ Ostendat] Magis placet intelligere verbum *ostendat* de urbe, quam de iis qui in eam venerint. Credimus igitur sensum esse: ita ut, quicumque in eam terra, quicumque mari venerint, eis illa ostendat, nunc nostra de Atheniensibus Carthaginiensibusque tropaea, nunc tua de nobis. CREV.

6 Sciscitando mercenariis] Vocem *mercenariis*, quae in mss. deest, quam tamen necessariam esse iudicat Crevier., delevit Bekker.

7 Si operae pretium faciat] Si aliquid magnum faciat; si praestet Romanis officium, quod sit magni momenti. CREV.

‘obsideri pergat, quam spem esse terra marique clauso?’ U. C. 540.
 Motus his Mericus, quum legatos ad Marcellum mitti pla- A. C. 212.
 cuisset, fratrem inter eos mittit: qui per eundem illum His-
 spanum secretus ab aliis ad Marcellum deductus, quum
 fidem accepisset, composuissetque agenda rei ordinem,
 Achradinam redit. Tum Mericus, ut ab suspitione pro-
 ditionis averteret omnium animos, negat ‘sibi placere, le-
 gatos commere ultro citroque, neque recipiendum quem-
 quam, neque mittendum: et, quo intentius custodiæ ser-
 ventur, opportuna loca dividenda præfectis esse, ut suae
 quisque partis tutandæ reus sit.’ Omnes assensi sunt Achradina
 partibus dividendis: ipsi regio evenit ab Arethusa fonte proditur
 usque ad ostium magni portus. Id ut scirent Romani, Romanis a
 fecit. Itaque Marcellus nocte navem onerariam cum arma- Merico
 tis remulco quadriremis trahi ad Achradinam iussit, expo- Hispano.
 nique milites regione portae, quae prope fontem Arethu-
 sam est. Hoc quum quarta vigilia factum esset, exposi-
 tosque milites porta, ut convenerat, recepisset Mericus;
 luce prima Marcellus omnibus copiis moenia Achradinae
 aggreditur: ita ut non eos solum, qui Achradinam tene-
 bant, in se converteret, sed ab Naso etiam agmina armato-
 rum concurrerent, relictis stationibus suis, ad vim et impe-
 tum Romanorum arcendum. In hoc tumultu actuariae
 naves, instructae iam ante circumvectaeque, ad Nasum ar-
 matos exponunt, qui, improvise adorti semiplenas stationes
 et adaperatas fores portae, qua paullo ante excurrerant ar-
 mati, haud magno certamine Nasum cepere, desertam tre-
 pidatione et fuga custodum. Neque ullis minus praesidii
 aut pertinaciae ad manendum, quam transfugis, fuit: quia,
 ne suis quidem satis credentes se, medio certamine effuge-
 runt. Marcellus ut captam esse Nasum didicit, et Achra-
 dinæ regionem unam teneri, Mericumque cum praesidio

8 *Secretus ab aliis*] *Secretim* ex coniectur. Gronov. reposuit Bekker.

9 *Opportuna loca*] Consentiant hic quoque scripti in omittendo *τὰ loca*. Iudicet lector utrum *opportuna* sic nude dici possit. Nobis id durius sonat. CREV. Bekker. tamen *loca* delet.

1 *Reus*] *Reus* hoc loco intelligitur, qui obligatione teneatur. cf. supr. ix. 9.

2 *Ab Arethusa fonte usque ad ostium magni portus*] Hic videtur dormitasse Livius. Arethusa enim fons nihil ad Achradinam pertinuit, sed est in extrema Insula, teste Cicerone in Verr. iv. 118. et Strabone vi. p. 270. et Virgil. Aen. iii. 696. et

mille aliis. Et vero Mericus dicitur infr. xxvi. 21. non Achradinam, quomodo hic narratur, sed Nasum, sive Insulam, prodidisse. Unde non iniuria arguit Livium Perizonius. Animadv. Hist. 8. tanquam parum constantem sibi. Sed veremur, ne maioris culpa ille hoc loco reus agi possit, et totam hanc de Merici proditione narrationem valde turbaverit. In talibus locis multum nobis opus esset Polybio incolumi. CREV.

3 *Remulco quadriremis*] *Remulco* trahitur navis, quoties alteri alligata non suis remis agitur. Quum vero onerariae velis solum utebantur, si quando venti usus non erat, ita alligatae trahebantur.

U. C. 540. suis adiunctum, receptui cecinit: ne regiae opes, quarum
A. C. 212. fama maior, quam res, erat, diriperentur.

31.

Syracusani
permittunt
se Marcel-
lo.

Suppressa impetu militum, et iis, qui in Achradina erant, transfugis spatium locusque fugae datus est; et Syracusani, tandem liberi metu, portis Achradinae apertis, oratores ad Marcellum mittunt, nihil petentes aliud, quam incolumitatem sibi liberisque suis. Marcellus, consilio advocato, et adhibitis etiam Syracusanis, qui per seditiones pulsati ab domo intra praesidia Romana erant, respondit: 'Non plura per annos quinquaginta benefacta Hieronis, quam paucis his annis maleficia eorum, qui Syracusas tenuerint, erga populum Romanum esse. Sed pleraque eorum, quo debuerint, recidis; foederumque ruptorum ipsos ab se graviores multo, quam populus Romanus voluerit, poenas exegisse. Se quidem tertium annum circumsedere Syracusas: non ut populus Romanus servam civitatem haberet, sed ne transfugarum duces captam et oppressam tenerent. Quid potuerint Syracusani facere, exemplo vel eos Syracusanorum esse, qui intra praesidia Romana fuerint, vel Hispanum ducem Mericum, qui praesidium tradiderit, vel ipsorum Syracusanorum postremo, serum quidem, sed forte consilium. Omnium sibi laborum periculorumque, circa moenia Syracusana terra marique tam diu exhaustorum, nequaquam tantum fructum esse, quam capere Syracusas potuisset.' Inde quaestor cum praesidio ad Nassium ad accipiendam pecuniam regiam custodiendamque missus. Urbs diripienda militi data est, custodibus divisim per domos eorum, qui intra praesidia Romana fuerant. Quum multa irae, multa avaritiae, foeda exempla ederentur, Archimedes, memoriae proditum est, in tanto tumultu, quantum capta urbs in discursu diripientium militum cedere poterat, intentum formis, quas in pulvere descripserat, ab ignaro milite, quis esset, interfectum. Aegre id Marcellum tulisse, sepulturaeque curam habitam: et pro-

Urbs diripi-
enda mi-
liti datur.
Archimedis
mors.

4 *Nequaquam tantum fructum esse, quum capere* Locum deploratum. Gronovius suspicatur, *quam si parere Syracusas potuisset*. Alb. Rubenius vulgatam interpretatur hoc modo: nequaquam ex omnibus laboribus periculisque tantum esse fructum sibi, quantum capere Syracusae potuissent, si in amicitiam Romanorum mature et volentes rediissent. Sed haec omnia parum faciunt ad mentem Marcelli, qui exaggerare vult labores sibi in obsidione Syracusarum exhaustos, ut ex eo Syracusani intelligant, qua poena digni sint. Tota enim oratio spirat severitatem. Si et

coniecturis nostris hic detur locus, placeret magis legere: *Omnium sibi laborum . . . nequaquam dignum fructum esse, quod capere Syracusas potuisset. Quod . . . potuisset* exhibent scripti, et vetustissimi editi. Haec igitur foret huius loci sententia: tantos a Marcello in obsidione Syracusarum exhaustos labores, ut vel ipsae Syracusae captae exigua sit eorum merces, CREV.

5 *Archimedes, memoriae proditum est* De Archimedis casu fusius agunt Plut. in Marcello, et Val. Max. viii. 7. De eius sepulcro vide Cic. Tusc. Quaest. v. 23. et sqq. CREV.

pinquis etiam inquisitis honori praesidioque nomen ac memoria eius fuisse. Hoc maxime modo Syracusae captae: in quibus praedae tantum fuit, quantum vix capta Carthagine tum fuisset, cum qua viribus aequis certabatur.

Paucis ante diebus, quam Syracusae caperentur, T. Otacilius cum quinquere milibus octoginta Uticam ab Lilybaeo transmisit: et quum ante lucem portum intrasset, onerarias frumento onustas cepit; egressusque in terram, depopulatus est aliquantum agri circa Uticam, praedamque omnis generis retro ad naves egit. Lilybaeum tertio die, quam inde profectus erat, cum centum triginta onerariis navibus frumento praedaeque onustis rediit: idque frumentum extemplo Syracusas misit. Quod ni tam in tempore subvenisset, victoribus victisque pariter perniciose fames instabat.

T. Otacilius Uticam cum classe traiecit.

Eadem aestate in Hispania, quum biennio ferme nihil admodum memorabile factum esset, consiliisque magis, quam armis, bellum gereretur, Romani imperatores egressi hibernis copias coniunxerunt. Ibi consilium advocatum, omniumque in unum congruerunt sententiae; quando ad id locorum id modo actum esset, ut Hasdrubalem tendentem in Italiam retinerent; tempus esse id iam agi, ut bellum in Hispania finiretur: et satis ad id virum credebant accessisse, viginti millia Celtiberorum ea hieme ad arma excitata. Tres exercitus erant. Hasdrubal Gisgonis filius et Mago, coniunctis castris quinque ferme dierum iter ab Romanis aberant. Propior erat Hamilcaris filius Hasdrubal, vetus in Hispania imperator. Ad urbem nomine Anitorgin exercitum habebat. Eum volebant prius opprimi duces Romani: et spes erat, satis superque ad id virum esse. Illa restabat cura, ne, fuso eo percussi, alter Hasdrubal et Mago, in avios saltus montesque recipientes sese, bellum extraherent. Optimum igitur rati, divisis bifariam copiis, totius simul Hispaniae amplecti bellum, ita inter se diviserunt, ut P. Cornelius duas partes exercitus Romanorum sociorumque adversus Magonem duceret atque Hasdrubalem; Cn. Cornelius cum tertia parte veteris exercitus, Celtiberis adiunctis, cum Hasdrubale Barcino bellum gereret. Una profecti ambo duces exercitusque, Celtiberis praegredientibus, ad urbem Anitorgin in conspectu hostium, dirimente amni, ponunt castra. Ibi Cn. Scipio, cum quibus ante dictum est copiis, substitit, et P. Scipio profectus ad destinatam belli partem.

32. Res in Hispania gestae.

Vires Poenorum.

Scipiones exercitum partiuntur.

6 *Ad arma excitata*] *Ad arma excitatorum* ex emend. Gronov. reposuit Bekker.

7 *Anitorgin*] Oppidum incerti si-

tūs, nisi forte legendum sit *Conistorgin*, quod Appian. Bell. Hisp. 57, 58. memorat. cf. Strab. iii. 2. Rur.

U. C. 540. Hasdrubal postquam animadvertit, exiguum Romanum
 A. C. 212. exercitum in castris, et spem omnem in Celtiberorum aux-
 33. iliis esse; peritus omnis barbaricae, et praecipue omnium
 Celtiberi earum gentium, in quibus per tot annos militabat, perfidiae,
 deserunt Cn. Scipio-8
 nem. facili linguae commercio, quum utraque castra plena His-
 panorum essent, per occulta colloquia paciscitur magna
 mercede cum Celtiberorum principibus, ut copias inde ab-
 ducant. Nec atrox visum facinus. Non enim, ut in Ro-
 manos verterent arma, agebatur: et merces, quanta vel pro
 bello satis esset, dabatur, ne bellum gererent: et quum
 quies ipsa, tum reditus domum fructusque videndi suos
 suaeque, grata vulgo erant. Itaque non ducibus facilius,
 quam multitudini, persuasum est: simul ne metus quidem
 ab Romanis erat, quippe tam paucis, si vi retinerent. Id
 quidem cavendum semper Romanis ducibus erit, exempla-
 que haec vere pro documentis habenda, ne ita externis cre-
 dant auxiliis, ut non plus sui roboris suarumque proprie
 virium in castris habeant. Signis repente sublatis, Celti-
 beri abeunt, nihil aliud quaerentibus causam obtestantibus-
 que, ut manerent, Romanis respondentes, quam domestico
 se avocari bello. Scipio, postquam socii nec precibus, nec
 vi retineri poterant, nec se aut parem sine illis hosti esse,
 aut fratri rursus coniungi vidit posse, nec ullum aliud salu-
 tare consilium in promptu esse, retro, quantum posset, ce-
 dere statuit; in id omni cura intentus, necubi hosti aequo
 se committeret loco; qui, transgressus flumen, prope vesti-
 giis abeuntium insistebat.

Cn. Scipio-
 nis pericu-
 lum.

34.
 Item P.
 Scipionis
 a Masinis-
 sa.

Per eosdem dies P. Scipionem par terror, periculum
 maius ab novo hoste, urgebat. Masinissa erat iuvenis, eo
 tempore socius Carthaginiensium, quem deinde clarum
 potentemque Romana fecit amicitia. Is tum cum equitatu
 Numidarum et advenienti P. Scipioni occurrit, et deinde
 assidue dies noctesque infestus aderat, ut non vagos tan-
 tum, procul a castris lignatum pabulatumque progressos,
 exciperet, sed ipsis obequicaret castris, invecusque in me-
 dias saepe stationes, omnia ingenti tumultu turbaret. Nocti-
 bus quoque saepe incursu repentino in portis valloque tre-
 pidatum est: nec aut locus, aut tempus ullum vacuum a
 metu ac sollicitudine erat Romanis: compulsisque intra
 vallum, adempto rerum omnium usu, quum prope iusta
 obsidio esset, futuramque artiozem eam appareret, si se

8 *Facili linguae commercio*] Omnes scripti, tum Gronoviani, tum nostri, ignorant τὸ *commercio*, quod tamen sensus omnino requirit. Hoc exemplum iis annumeramus, ex quibus colligi potest non usquequaque ita fidem habendam scriptis, vel com-

pluribus et optimis, ut omnis editis dissentientibus detrahatur auctoritas. CREV.

9 *Si vi retinerent*] Si vi retinere conarentur Romani. Ita supr. xxiii. 19. *si palam frumentum importaret.*

Indibilis, quem cum septem millibus et quingentis Suesse-
 tanorum adventare fama erat, Poenis coniunxisset; dux
 cantus et providens Scipio, victus necessitatibus, temera-
 rium capit consilium, ut nocte Indibili obviam iret: et,
 quocumque occurrisset loco, proelium consereret. Relicto
 igitur modico praesidio in castris, praepositoque T. Fonteio
 legato, media nocte profectus, cum obviis hostibus manus
 1 conseruit. Agmina magis, quam acies, pugnabant: supe-
 rior tamen, ut in tumultuaria pugna, Romanus erat. Ce-
 terum et equites Numidae repente, quos fefellisse se dux
 ratus erat, ab lateribus circumfusi, magnum terrorem intule-
 re. Contracto adversus Numidas certamine novo, ter-
 tius insuper advenit hostis, duces Poeni, assecuti ab tergo
 iam pugnantes: ancepsque proelium Romanos circumster-
 terat, incertos in quem potissimum hostem, quamve in par-
 tem conferti eruptionem facerent. Pugnanti hortantique
 imperatori et offerenti se, ubi plurimus labor erat, latus
 dextrum lancea traiecit: cuneusque is hostium, qui in
 confertos circa ducem impetum fecerat, ut exanimem la-
 bentem ex equo Scipionem vidit, alacres gaudio cum cla-
 more per totam aciem nuntiantes discurrunt, imperatorem
 Romanum cecidisse. Haec pervagata passim vox, ut et
 hostes haud dubie pro victoribus, et Romani pro victis es-
 sent, fecit. Fuga confestim ex acie, duce amisso, fieri
 coepta est. Ceterum ut ad erumpendum inter Numidas
 2 leviumque armorum alia auxilia haud difficilis res erat; ita
 effugere tantum equitum, aequantiumque equos velocitate
 peditum, vix poterant: caesique prope plures in fuga, quam
 in pugna, sunt. Nec superfuisset quisquam, ni praecipiti
 iam ad vesperum die nox intervenisset.

U. C. 540.
 A. C. 212.
 P. Scipio-
 nis temera-
 rium con-
 silium.
 P. Scipio
 occisus, et
 exercitus
 caesus.

Haud segniter inde duces Poeni fortuna usi, confestim e
 proelio, vix necessaria quiete data militibus, ad Hasdruba-
 lem Hamilearis citatum agmen rapiunt, non dubia spe,
 3 quum iuncti essent, debellari posse. Quo ubi est ventum, Tres Poeni
 inter exercitus ducesque, victoria recenti laetos, gratulatio
 ingens facta, imperatore tanto cum omni exercitu deleta,
 et alteram pro haud dubia parem victoriam exspectantes.
 Ad Romanos nondum quidem fama tantae cladis pervene-
 rat, sed maestum quoddam silentium erat, et tacita divina-
 tio; qualis iam praesagientibus animis imminenti mali esse

35.
 Tres Poeni
 duces con-
 iungunt se
 adversus
 Cn. Scipio-
 nem.

1 *Agmina magis, quam acies*] Itineri magis instructi, quam pugnae.

2 *Difficilis res erat*] Vocem *res* delevit Bekker. ut quae ab optimis mss. absit, et, auctore Gronov. ex superioribus intelligendam esse vocem *fuga* monet.

3 *Quum iuncti essent*] Lectionem

omnium edd. ante Gronov. *quum copias coniunxissent*, revocavit Stroth. Sed omnes mss. omittunt *copias*, optimi vero etiam *quum*, teste eodem Gronov. Fieri quidem potest ut in voce *coniunxissent*, lateant voces *cum iunxissent*, sc. *copias* sive *agmen*.

U. C. 540. solet. Imperator ipse, praeterquam quod ab sociis se de-
 A. C. 212. sertum, hostium tantum auctas copias sentiebat, coniectura
 etiam et ratione ad suspicionem acceptae cladis, quam ad
 ullam bonam spem, pronior erat. ‘Quonam modo enim
 ‘Hasdrubalem ac Magonem, nisi defunctos suo bello, sine 4
 ‘certamine adducere exercitum potuisse? Quomodo au-
 ‘tem non obstitisse, aut ab tergo secutum fratrem? ut, si
 ‘prohibere, quo minus in unum coirent et duces et exer-
 ‘citus hostium, non posset, ipse certe cum fratre coniun-
 Recedit
 Cn. Scipio. ‘geret copias.’ His anxius curis id modo esse salutare in
 praesens credebat, cedere inde, quantum posset: et inde 5
 una nocte, ignaris hostibus, et ob id quietis, aliquantum
 emensus est iter. Luce, ut senserunt profectos hostes,
 praeniissis Numidis, quam poterant maxime citato agmine
 sequi coeperunt: ante noctem assecuti Numidae, nunc ab
 tergo, nunc in latera incursantes. Consistere coeperunt,
 ac tutari agmen, quantum possent; tamen, tuto ut simul 6
 pugnarent procederentque, Scipio hortabatur, priusquam
 pedestres copiae assequerentur. Ceterum nunc agendo,
 36. Tumulum
 occupat. nunc sustinendo agmen, quum aliquamdiu haud multum 7
 procederetur, et nox iam instaret, revocat e proelio suos
 Scipio: et collectos in tumulum quendam, non quidem
 satis tutum, (praesertim agmini percusso) editiorem tamen,
 quam cetera circa erant, subducit. Ibi primo, impedimen-
 tis et equitatu in medium receptis, circumdati pedites haud 8
 difficulter impetus incursantium Numidarum arcebant:
 dein, postquam toto agmine tres imperatores cum tribus
 iustis exercitibus aderant, apparebatque, parum armis ad
 tuendum locum sine munimento valituros esse; circum-
 spectare atque agitare dux coepit, si quo modo posset val-
 lum circumiicere. Sed erat adeo nudus tumulus et asperi 9
 soli, ut nec virgulta vallo caedendo, nec terra cespiti fa-
 ciendo, aut ducendae fossae, aliive ulli operi apta inveniri
 posset: nec natura quicquam satis arduum aut abscisum
 erat, quod hosti aditum ascensumve difficilem praerberet;
 omnia fastigio leni subvexa. Ut tamen aliquam imaginem r

4 *Nisi defunctos suo bello*] Nisi ex animo suam partem belli confecissent, sc. Publio fratre exercituque eius devicto.

5 *Cedere inde . . . et inde una nocte*] Alterutrum *inde* vacare putat Crevier. qui ex Victor. cod. *cedere in quantum posset* legend. coniicit. Post-erius *inde* unciolis inclusit Bekker.

6 *Tamen, tuto ut simul*] Adverbium *tuto* quod Crevierio et Strothio suspectum est, Bekker. unciolis inclusit.

7 *Sustinendo*] Morando et consistere per aliquod tempus iubendo. CREV.

8 *Circumdati pedites*] Pedites Romani circum impedimenta equitatumque locati. CREV.

9 *Circumiicere*] *Circuminiicere* Stroth. et Bekker. probant.

1 *Subvexa*] Quemadmodum *devera* declivia, ita *subvexa* paullum acclivia et assurgentia dicuntur. DÖERING.

valli obicerent, clitellas illigatas oneribus, velut struentes U. C. 540.
 ad altitudinem solitam, circumdabant; cumulo sarcinarum A. C. 212.
 omnis generis obiecto, ubi ad moliendum clitellae defue-
 rant. Punici exercitus postquam advenere, in tumultum Eum ag-
 quidem perfacile agmen erexere: munitionis vero facies grediuntur
 nova primo eos velut miraculo quodam tenuit, quum duces Poeni.
 undique vociferarentur, ‘Quid starent? et non ludibrium
 ‘illud, vix feminis puerisque morandis satis validum, distra-
 ‘herent diriperentque? Captum hostem teneri, latentem
 ‘post sarcinas.’ Haec contemptim duces increpabant. Ce-
 terum, neque transilire, neque moliri onera obiecta, nec
 caedere stipatas clitellas, ipsisque obrutas sarcinis, facile erat.
² Tardatis diu quum amolita obiecta onera armatis dedissent
 viam, pluribusque idem partibus fieret, capta iam undique
 castra erant: pauci ab multis, percussique a victoribus,
 passim caedebantur. Magna pars tamen militum, quum in
 propinquas refugisset silvas, in castra P. Scipionis, quibus
 T. Fonteius legatus praeerat, perfugerunt. Cn. Scipionem Cn. Scipio
 alii in tumulto primo impetu hostium caesum tradunt: alii occisus, ex-
 cum paucis in propinquam castris turrim perfugisse. Hanc ercitusque
 igni circumdatam, atque ita exustis foribus, quas nulla mo- caesus.
 liri potuerunt vi, captam; omnesque intus cum ipso im-
³ peratore occisos. Anno octavo, postquam in Hispaniam
 venerat, Cn. Scipio, undetrigesimo die post fratris mortem,
 est interfectus. Luctus ex morte eorum non Romae maior,
 quam per totam Hispaniam, fuit. Quin apud cives par-
 tem doloris et exercitus amissi, et alienata provincia, et
 publica trahebat clades. Hispaniae ipsos lugebant deside-
 rantque duces: Cnaeum tamen magis, quo diutius prae-
⁴ fuerat iis, priorque et favorem occupaverat, et speciem
 iustitiae temperantiaeque Romanae primus dederat.

Quum deletus exercitus amissaeque Hispaniae viderentur, 37.
 vir unus res perditas restituit. Erat in exercitu L. Marcius L. Marcius
 Septimi filius, eques Romanus, impiger iuvenis, animique res afflictas
 et ingenii aliquanto, quam pro fortuna, in qua erat natus, restituit.
 maioris. Ad summam indolem accesserat Cn. Scipionis
 disciplina: sub qua per tot annos omnes militiae artes edo-

² *Amolita obiecta onera armatis*] *Amolita* hic passive usurpatur; *amoliti* opt. mss. atque edd. nonnulli prae se ferunt. *Obiecta onera armatis* Bekkero suspecta sunt.

³ *Anno octavo*] Sed hic est septimus annus ab initio huius belli. Primo autem belli Hannibalicis anno venerat Cn. Scipio in Hispaniam. Vid. supr. xxi. 32. Tamen infra Marcius in oratione eundem numerum, quem

hic coarguimus, habet: *Invictos per octo annos milites suos*: ut possis suspicari errorem fuisse ipsius Livii. CREV.

⁴ *Priorque et favorem occupaverat, et speciem ... primus dederat*] *Prior* refertur ad fratrem; *primus* ad omnes. Primus enim omnium Romanorum in Hispaniam cum imperio et exercitu venit Cn. Scipio. SIGOX.

U. C. 540. ctus fuerat. Hic, et ex fuga collectis militibus, et quibus-
 A. C. 212. dam de praesidiis deductis, haud contemnendum exercitum
 fecerat, iunxeratque cum T. Fonteio P. Scipionis legato. 5
 Sed tantum praestitit eques Romanus auctoritate inter
 milites atque honore, ut, castris citra Iberum communis,
 quum ducem exercituum comitiis militaribus creari placu-
 isset, subeuntes alii aliis in custodiam valli stationesque,
 donec per omnes suffragium iret, ad L. Marcium cuncti
 summam imperii detulerint. Omne inde tempus (exiguum
 id fuit) muniendis castris convehendisque commeatibus con-
 sumptum: et omnia imperia milites, quum impigre, tum
 Reliquias haudquaquam abiecto animo, exsequebantur. Ceterum
 Rom. per- postquam Hasdrubalem Gisgonis, venientem ad reliquias
 sequitur belli delendas, transisse Iberum, et appropinquare allatum
 Hasdrubal. Gisgonis F. est, signumque pugnae propositum ab novo duce milites
 Luctus mil. viderunt; recordati, quos paullo ante imperatores habuissent,
 Roman. quibusque et ducibus et copiis freti prodire ad pugnam
 soliti essent, flere omnes repente et offensare capita: et alii
 manus ad coelum tendere, deos incusantes: alii, strati humi,
 suum quisque nominatim ducem implorare: neque sedari
 lamentatio poterat, excitantibus centurionibus manipulares,
 et ipso mulcente et increpante Marcio, 'quid in muliebres
 'et inutiles se proiecissent fletus potius, quam ad tutandos
 'semet ipsos et rempublicam secum acuerent animos?' et,
 'ne inultos imperatores suos iacere sinerent:' quum subito
 Arma ta- clamor tubarumque sonus (iam enim prope vallum hostes
 men capi- erant) exauditur. Inde, verso repente in iram luctu, dis- 6
 unt. currere ad arma: ac, velut accensi rabie, discurrunt ad
 portas, et in hostem, negligenter atque incomposite veni-
 entem, incurrunt. Extemplo improvisa res pavorem incutit
 Poenos re- Poenis: mirabundique, unde tot hostes tam subito exorti
 pellunt. prope deletio exercitu forent, unde tanta audacia, tanta
 fiducia sui victis ac fugatis, quis imperator duobus Scipioni-
 bus caesis exstittisset, quis castris praecesset, quis signum de-
 disset pugnae, ad haec tot tam necopinata primo omnium
 incerti stupentesque referunt pedem: dein, valida impres-
 sione pulsus, terga vertunt. Et aut fugientium caedes foeda
 fuisset, aut temerarius periculosusque sequentium impetus,
 ni Marcius propere receptui dedisset signum, obsistensque
 ad prima signa, quosdam et ipse retinens, concitatam re-
 pressisset aciem. Inde in castra avidos adhuc caedisque et
 sanguinis reduxit. Carthaginienses, trepide primo ab hos-
 tium vallo acti, postquam neminem insequi viderunt, metu

5 *Iunxeratque*] cf. Supr. 35.
quum iuncti essent, et quae ibi notata
 sunt.

6 *Discurrere ad arma*] Vox *dis-*
currere abest ab uno ms., teste Iac.
 Gronov. et Bekkero suspecta est.

substitisse rati, contemptim rursus et sedato gradu in castra abeunt. U. C. 540.
A. C. 212.

Par negligentia in castris custodiendis fuit. Nam, etsi propinquus hostis erat, tamen reliquias cum esse duorum exercituum ante paucos dies delectorum succurrebat. Ob hoc quum omnia neglecta apud hostes essent, exploratis iis, Marcius statuit oppugnare castra hostium. Marcius ad consilium, prima specie temerarium magis, quam audax, animum adiecit, ut ultro castra hostium oppugnaret: facilius esse ratus, unius Hasdrubalis expugnari castra, quam, si se rursus tres exercitus ac tres duces iunxissent, sua defendi: simul aut, si successisset coeptis, recepturum se afflictas res: aut, si pulsus esset, tamen ultro inferendo arma, contemptum sui dempturum. Ne tamen 38. subita res et nocturnus terror etiam non suae fortunae consilium perturbaret, alloquendos adhortandosque sibi milites ratus, concione advocata ita disseruit: ‘Vel mea erga imperatores nostros vivos mortuosque pietas, vel praescens omnium nostrum, milites, fortuna fidem cuius facere potest, mihi hoc imperium, ut amplum iudicio vestro, ita re ipsa grave ac sollicitum esse. Quo enim tempore, nisi metus maerorem obstupesceret, vix ita compos mei essem, ut aliqua solatia invenire aegro animo possem; cogor vestram omnium vicem, quod difficillimum in luctu est, unus consulere: et ne tum quidem, ubi, quonam modo has reliquias duorum exercituum patriae conservare possim, cogitandum est, avertere animum ab assiduo maerore libet. Praesto est enim acerba memoria, et Scipiones me ambo dies noctesque curis insomniisque agitant, et excitant saepe Eius oratio ad milites. somno; neu se, neu invictos per octo annos in his terris milites suos, commilitones vestros, neu rempublicam patiar inultam, et suam disciplinam suaeque instituta sequi iubent: et, ut imperiis vivorum nemo obedientior me uno fuerit, ita post mortem suam, quod quaque in re facturos illos fuisse maxime censeam, id optimum ducere. Vos quoque velim, milites, non lamentis lacrimisque tanquam extinctos prosequi, (vivunt vigentque fama rerum gestarum) sed, quotiescunque occurret memoria illorum, velut si adhortantes signumque dantes videatis eos, ita proelia inire. Nec alia profecto species, hesterno die oculis ani-

7 *Recepturum se afflictas res*] *Refecturum* Duker. et Drakenb. probant, sed Ernest. *recepturum* defendit, ut quod *rebus afflictis* magis respondeat.

8 *Etiam non suae fortunae consilium perturbaret*] Impedimentum et perturbationem afferret consilio, quod per se ipsum parum convenire

videretur afflictas tunc ac prope desperatae Romanorum fortunae. Cr.

9 *Amplum iudicio vestro*] Honorificum, si quis illud spectat tanquam delatum suffragio vestro. CREV.

1 *Per octo annos*] Imo septem. Vid. supr. 36.

2 *Id optimum ducere*] Supple ex praecedentibus, *iubent*. CREV.

U. C. 540. 'misque vestris oblata, memorabile illud edidit proelium:
 A. C. 212. 'quo documentum dedistis hostibus, non cum Scipionibus
 'extinctum esse nomen Romanum: et, cuius populi vis
 'atque virtus non obruta sit Cannensi clade, ex omni pro-
 'fecto saevitia fortunae emersuram esse. Nunc, quia tan-
 'tum ausi estis sponte vestra, experiri libet, quantum aude-
 'atis duce vestro auctore. Non enim hesterno die, quum
 'signum receptui dedi sequentibus effuse vobis turbatum
 'hostem, frangere audaciam vestram, sed differre in maiorem
 'gloriam atque opportunitatem, volui: ut postmodo praepa-
 'rati incautos, armati inermes, atque etiam sopitos, per
 'occasionem aggredi possetis. Nec huius occasionis spem,
 'milites, forte temere, sed ex re ipsa conceptam habeo. A
 'vobis quoque profecto si quis quaerat, quonam modo pauci
 'a multis, victi a victoribus castra tutati sitis; nihil aliud
 'respondeatis, quam id ipsum timentes vos omnia et operi-
 'bus firmata habuisse, et ipsos paratos instructosque fuisse.
 'Et ita se res habet. Ad id, quod, ne timeatur, fortuna 3
 'facit, minime tuti sunt homines: quia, quod neglexeris,
 'incautum atque apertum habeas. Nihil omnium nunc
 'minus metuunt hostes, quam ne obsessi modo ipsi atque
 'oppugnati castra sua ultro oppugnemus. Audeamus, quod
 'credi non potest ausuros nos. Eo ipso, quod difficillimum
 'videtur, facillimum erit. Tertia vigilia noctis silenti ag-
 'mine ducam vos. Exploratum habeo, non vigiliarum
 'ordinem, non stationes iustas esse. Clamor in portis au-
 'ditus et primus impetus castra ceperit. Tum inter torpi-
 'dos somno, paventesque ad necopinatum tumultum, et in-
 'ermes in cubilibus suis oppressos, illa caedes edatur, a qua
 'vos hesterno die revocatos aegre ferebatis. Scio, audax
 'videri consilium: sed in rebus asperis et tenui spe fortis-
 'sima quaeque consilia tutissima sunt: quia, si in occa-
 'sionis momento, cuius praetervolat opportunitas, cunctatus
 'paullum fueris, nequicquam mox omissam quaeras. Unus
 'exercitus in propinquo est: duo haud procul absunt.
 'Nunc aggredientibus spes aliqua est: et iam tentastis vestras
 'atque illorum vires. Si diem proferimus, et hesternae
 'eruptionis fama contemni desierimus, periculum est, ne
 'omnes duces, omnes copiae convenient. Tres deinde
 'duces, tres exercitus sustinebimus hostium, quos Cn. Scipio
 'incolumi exercitu non sustinuit? Ut dividendo copias per-
 'iere duces nostri, ita separati ac divisi opprimi possunt

3 *Ad id, quod, ne timeatur*] Nihil minus tutum est hominibus, quam quod praesens fortuna vetat timeri: quoniam id plerumque ab iis negligi-

tur; quod autem neglexeris, incautum atque apertum est, ac facillime hosti patet. CREV. *Ad id, . . . tuti*, cf. infr. xxxvi. 32.

‘hostes. Alia belli gerendi via nulla est. Proinde nihil, U. C. 540.
 ‘praeter noctis proximae opportunitatem, expectemus. A. C. 212.
 ‘Ite, deis bene iuvantibus, corpora curate, ut integri vigen-
 ‘tesque eodem animo in castra hostium irrumpatis, quo
 ‘vestra tutati estis.’

Lacti et audire ab novo duce novum consilium, et, quo
 audacius erat, magis placebat. Reliquum diei expediendis
 armis et curatione corporum consumptum: et maior pars
 4 noctis quieti data est. Quarta vigilia movere. Erant 39.
 ultra proxima castra sex millium intervallo distantes ^{Castra}
 aliae copiae Poenorum. Vallis cava intererat, condensa ^{Hasdruba-}
 arboribus. In huius silvae medio ferme spatio cohors Ro- ^{lis capiun-}
 mana arte Punica abditur, et equites. Ita medio itinere ^{tur.}
 intercepto, ceterae copiae silenti agmine ad proximos hostes
 ductae. Et, quum statio nulla pro portis, neque in vallo
 custodire essent, velut in sua castra, nullo usquam obsis-
 tente, penetrare. Inde signa canunt, et tollitur clamor.
 Pars semisomnos hostes caedunt: pars ignes easis, stramento
 arido tectis, iniiciunt: pars portas occupant, ut fugam
 intercludant. Hostes simul ignis, clamor, caedes, velut
 alienatos sensibus, nec audire, nec providere quicquam si-
 nunt. Incidunt inermes inter catervas armatorum; alii
 ruunt ad portas, alii obsaepitis itineribus super vallum
 saliant: et, ut quisque evaserat, protinus ad castra altera
 fugiunt: ubi ab cohorte et equitibus ex occulto procurren-
 tibus circumventi, caesique ad unum omnes sunt. Quan-
 quam, etiam si quis ex ea caede effugisset, adeo raptim
 captis propioribus castris in altera transeursum castra ab
 Romanis est, ut praevenire nuntius cladis non posset. Ibi
 vero, quo longius ab hoste aberant, et quia sub lucem pabu-
 latum, lignatum, et praedatum quidam dilapsi fuerant, neg-
 lecta magis omnia ac soluta invenere; arma tantum in
 stationibus posita: milites inermes, aut humi sedentes ac-
 cubantesque, aut obambulantes ante vallum portasque.
 Cum his tam securis solutisque Romani, calentes adhuc ab
 recenti pugna, ferocesque victoria, proelium ineunt. Itaque ^{Altera}
 nequaquam resisti in portis potuit. ^{etiam cas-}
 intra portas, concursu ^{tra capta.}
 ex totis castris ad primum clamorem et tumultum facto,
 atrox proelium oritur: diuque tenuisset, ni cruenta scuta
 Romanorum visa, indicium alterius cladis Poenis, atque
 inde pavorem inieciissent. Illic terror in fugam avertit
 omnes: effusique, qua iter est, nisi quos caedes oppressit,
 exuuntur castris. Ita nocte ac die bina castra hostium ex-
 pugmata ductu L. Marcii. Ad triginta septem millia hos-

4 Quarta vigilia] Marcius in ora- sed parum scilicet interest. CREV.
 tione dixit se *tertia* vigilia moturum:

U. C. 540. tium caesa, auctor est Claudius, qui annales Acilianos ex 5
 A. C. 212. Graeco in Latinum sermonem vertit: captos ad mille
 octingentos triginta: praedam ingentem partam: in ea
 fuisse clipeum argenteum pondo centum triginta octo, cum
 imagine Barcini Hasdrubalis. Valerius Antias una castra 6
 Magonis capta tradit, septem millia caesa hostium: altero
 proelio, eruptione pugnatum cum Hasdrubale: decem millia
 occisa, quattuor millia trecentos triginta captos. Piso quin-
 que millia hominum, quum Mago cedentes nostros effuse
 sequeretur, caesa ex insidiis scribit. Apud omnes magnum
 nomen Marcii ducis est. Et verac gloriae eius etiam mira-
 cula addunt: flammam ei concionanti fusam e capite,
 sine ipsius sensu, cum magno pavore circumstantium mili-
 tum: monumentumque victoriae eius de Poenis, usque ad
 incensum Capitolium, fuisse in templo clipeum, Marcium 7
 appellatum, cum imagine Hasdrubalis. Quietae deinde
 aliquandiu in Hispania res fuere, utrisque, post tantas ac-
 ceptas in vicem illatasque clades, cunctantibus periculum
 summae rerum facere.

Flamma e
 capite Mar-
 cii emicans.

40. Spolia Sy-
 racusis Ro-
 mam de-
 vecta.

Dum haec in Hispania geruntur, Marcellus captis Syra-
 censis, quum cetera in Sicilia tanta fide atque integritate
 composuisset, ut non modo suam gloriam, sed etiam maie-
 statem populi Romani, augeret; ornamenta urbis, signa,
 tabulasque, quibus abundabant Syracusae, Romam devexit.
 Hostium quidem illa spolia, et parta belli iure: ceterum
 inde primum initium mirandi Graecarum artium opera,
 licentiaeque huic sacra profanaque omnia vulgo spoliandi 8
 factum est: quae postremo in Romanos deos, templum id
 ipsum primum, quod a Marcello eximie ornatum est, vertit. 9
 Visebantur enim ab externis ad portam Capenam dedicata
 a Marcello templa, propter excellentia eius generis orna-

5 *Annales Acilianos*] Huius Acilii, qui Graece scripsit historiam, meminit Cic. de Off. iii. 32. Quis vero ille fuerit, aut quando vixerit non satis constat. STROTH. Sed et quum Plut. in Cat. maiore meminerit C. Acilii, clari hominis, qui laudi sibi duxerit Carneadis et sociorum legationis philosophorum orationes apud senatum interpretari, hunc tam cupidum Graecarum literarum virum non inepte suspicabimur Graece quoque scripsisse historiam. Legatio illa cadit in annum U. C. 597. Claudium, qui annales Acilianos in Latinum sermonem convertit, dicamusne Clodium Licinium, de quo infr. xxix. 22. an Claudium Quadrigarium, de quo supr. viii. 19. an alium aliquem Claudium, discernere non possumus. CREV.

6 *Valerius Antias*] cf. Supr. iii. 5. Vixit paullo ante aetatem Ciceronis, et aequales habuit inter historicos Sisennam et C. Licinium Macrum, inter poetas Lucretium et Catullum. STROTH.

7 *Incensum Capitolium*] Anno U. C. 669, Scipione et Norbano consulibus.

8 *Licentiaeque huic*] sc. Huius temporis, quo ista scribuntur. cf. supr. i. 55. vi. 4. GRONOV. Structurae variatione, qualis est *initium mirandi licentiaeque huic*, Livium passim usum esse monet Drakenb. cf. infr. xxxviii. 39.

9 *Eximie ornatum est*] Intelligit haud dubie aedem Honoris et Virtutis, de qua cf. infr. xxvii. 25. xxix. 11. Cic. in Verr. iv. 54. DUK.

1 menta, quorum perexigua pars comparet. Legationes om- U. C. 540.
nium ferme civitatum Siciliae ad eum conveniebant. Dis- A. C. 212.
par ut causa earum, ita conditio erat. Qui ante captas Sy- Marcellus
racusas aut non desciverant, aut redierant in amicitiam, ut res Siculo-
2 socii fideles accepti cultique: quos metus post captas Syra- ram com-
cusas dediderat, ut victi a victore leges acceperunt. ponit.

Erant tamen haud parvae reliquiae belli circa Agrigentum
Romanis: Epicydes et Hanno duces reliqui prioris belli, et Mutines
tertius novus ab Hannibale in locum Hippocratis missus, novus Poe-
3 Libyphoenicum generis Hipponiates, (Mutinem populares norum in
vocabant) vir impiger, et sub Hannibale magistro omnes Sicilia dux.
belli artes edoctus. Huic ab Epicyde et Hannone Nu-
midae dati auxiliares: cum quibus ita pervagatus est hos-
tium agros, ita socios ad retinendos in fide animos eorum,
ferendoque in tempore cuique auxilium, adiit, ut brevi
tempore totam Siciliam impleret nominis sui, nec spes alia
maior apud faventes rebus Carthaginiensium esset. Itaque
inclusi ad tempus moenibus Agrigenti dux Poenus Syra-
cusanusque, non consilio Mutinis, quam fiducia, magis ausi
egredi extra muros, ad Himeram amnem posuerunt castra.
Quod ubi perlatum ad Marcellum est, extemplo copias
movit; et ab hoste quattuor ferme millium intervallo con-
sedit, quid agerent pararentve expectaturus. Sed nullum Terret Ro-
neque locum, neque tempus cunctationi consiliove dedit manos.
Mutines, transgressus amnem, ac stationibus hostium cum
ingenti terrore ac tumultu invecutus. Postero die prope
iusto proelio compulsi hostem intra munimenta. Inde re-
vocatus seditione Numidarum in castris facta, quum tre-
centi ferme eorum Hieracleam Minoam concessissent, ad
mitigandos revocandosque eos profectus, magnopere monu-
isse duces dicitur, ne absente se cum hoste manus con-
sererent. Id ambo aegre passi duces, magis Hanno, iam
4 ante anxius gloria eius: 'Mutinem sibi modum facere,
'degenerem Afrum imperatori Carthaginiensi, misso ab
'senatu populoque.' Is perpulsi cunctantem Epicydem,
ut, transgressi flumen, in aciem exirent. Nam si Mutinem
opperirentur et secunda pugnae fortuna evenisset, haud
dubie Mutinis gloriam fore. Enimvero indignum ratus

41.

1 *Perexigua pars comparet*] Nempe ablata erant reliqua bellis civilibus. STROTH.

2 *Quos metus . . . dediderat*] Quos metus impulerat, ut se dederent. CR.

3 *Libyphoenicum generis*] Supr. xxi. 22. *Libyphoenices*, mixtum Puni-
cum Afris genus. Hinc infra Hanno vocat Mutinem *degenerem Afrum*. CREV. Ceterum Libyphoenices ma-

ritimas urbes habebant, et in numero quattuor populorum erant, qui Africam tenebant, sc. Carthaginienses, Libyphoenices, Afri, Numidae. cf. Diodor. Sic. xx. 55. *Hipponiatem* esse Hippone oppido natum monet Sigon. ut *Crotoniatem* etc.

4 *Sibi modum facere*] sc. Ipsi Hanno leges praescribere.

U. C. 540. Marcellus se, qui Hannibalem subnisi victoria Cannensi
 A. C. 212. ab Nola repulisset, his terra marique victis ab se hostibus
 Eo absente, cedere, arma propere capere milites, et efferri signa iubet.
 proelium Instruenti exercitum decem effusis equis advolant ex hos-
 committitur. tium acie Numidae, nuntiantes, populares suos, primum ea
 seditione motos, qua trecenti ex numero suo concesserint
 Heracleam, dein quod praefectum suum ab obtrectantibus
 ducibus gloriae eius, sub ipsam certaminis diem, ablegatum
 videant, quieturos in pugna. Gens fallax promissi fidem
 praestitit. Itaque et Romanis crevit animus, nuntio celeri
 per ordines misso, destitutum ab equite hostem esse, quem
 Vincuntur Poeni. maxime timuerant: et terri hostes, praeterquam quod
 maxima parte virium suarum non iuvabantur, timore etiam
 incusso, ne ab suo et ipsi equite oppugnarentur. Itaque
 haud magni certaminis fuit: primus clamor atque impetus
 rem decrevit. Numidae, quum in concursu quieti stetis-
 sent in cornibus, ut terga dantes suos viderunt, fugae tan-
 tum parumper comites facti, postquam omnes Agrigentum
 trepido agmine petentes viderunt, ipsi metu obsidionis
 passim in civitates proximas dilapsi. Multa millia hominum
 caesa captaque, et octo elephanti. Haec ultima in Sicilia
 Marcelli pugna fuit: victor inde Syracusas rediit.

Iam ferme in exitu annus erat. Itaque senatus Romae
 decrevit, ut P. Cornelius praetor literas Capuam ad consules
 mitteret; dum Hannibal procul abesset, nec ulla magni
 discriminis res ad Capuam gereretur, alter eorum, si ita
 videretur, ad magistratus subrogandos Romam veniret.
 Literis acceptis, inter se consules compararunt, ut Claudius
 comitia perficeret, Fulvius ad Capuam maneret. Consules
 Claudius creavit Cn. Fulvium Centumalum et P. Sulpicium
 Servii filium Galbam, qui nullum antea curulem magistratum
 gessisset. Praetores deinde creati, L. Cornelius Len-
 tulus, M. Cornelius Cethegus, C. Sulpicius, C. Calpurnius
 Piso. Pisoni iurisdictio urbana, Sulpicio Sicilia, Cethego⁶
 Apulia, Lentulo Sardinia evenit. Consulibus prorogatum⁷
 in annum imperium est.

5 *Haud magni certaminis fuit*] sc. Res, quae ex proximo sequente mem-
 bro intelligitur.

6 *Sulpicio Sicilia*] Nempe vetus provincia, quae Cannensi exercitu obtinebatur. Id apparet ex c. 1. libr. seq. CREV.

7 *Cethego Apulia*] Is postea, com-
 mutata sorte, Marcello decedenti e

Sicilia successit, ut patet infr. xxvi. 21. et 28. Apuliam consules obtinuerunt, ex cap. 22. eiusdem libri. De his magistratum anni sequentis provinciis fuisse disseruit accuratissimus Perizonius in nota ad hunc locum. Ex ea, quae maxime necessaria sunt, hic excerpta habes. CR.

EPITOME LIBRI XXVI.

HANNIBAL ad tertium ab urbe Roma lapidem super Anienem castra posuit: ipse vero cum duobus millibus equitum usque ad ipsam Capenam portam, ut urbis situm exploraret, obequitavit; et quum per triduum in aciem utrimque exercitus omnis descendisset, certamen tempestas diremit: nam quum in castra rediissent, statim serenitas erat. Capua captu est a Q. Fulvio et Ap. Claudio consulibus. Principes Campanorum veneno sibi consciverunt mortem. Quum senatus Campanorum deligatus esset ad palos, ut securi feriretur; literas a senatu missas Q. Fulvius consul, quibus inebatur parcere, antequam legeret, in sinu posuit, et lege agi iussit, et supplicium peregit. Quum in comitiis apud populum quaereretur, cui mandaretur Hispaniarum imperium; nullo id volente suscipere, P. Scipio P. filius, qui in Hispania ceciderat, professus est se iturum: et, suffragio populi consensuque omnium missus, Novam Carthaginem uno die expugnavit, quum ageret vigesimum quartum annum, videreturque divina stirpe creatus: quoniam et ipse, postquam togam acceperat, quotidie in Capitolio erat; et in cubiculo matris eius anguis saepenumero videbatur. Res praeeterea in Sicilia gestas continet, et amicitiam cum Aetolis iunctam, bellumque gestum adversus Acarnanas et Philippum Macedoniae regem.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXVI.

U. C. 541.
A. C. 211.
Cn. Fulvio,
P. Sulpicio
Coss.
Provinciae
et exerci-
tus.

CN. FULVIUS CENTUMALUS, P. Sulpicius Galba consules, quum Idibus Martiis magistratum inissent, senatu in Capitolium vocato, de republica, de administratione belli, de provinciis exercitibusque Patres consuluerunt. Q. Fulvio, Ap. Claudio, prioris anni consulibus, prorogatum imperium est; atque exercitus, quos habebant, decreti: adiectumque, ne a Capua, quam obsidebant, abscederent, priusquam expugnassent. Ea tum cura maxime intentos habebat Romanos: non ab ira tantum, quae in nullam unquam civitatem iustior fuit, quam quod urbs tam nobilis ac potens, sicut defectione sua traxerat aliquot populos, ita recepta inclinatura rursus animos videbatur ad veteris imperii respectum. Et praetoribus prioris anni, M. Iunio in Etruria, P. Sempronio in Gallia, cum binis legionibus, quas habuerant, prorogatum est imperium. Prorogatum et M. Marcello, ut pro consule in Sicilia reliqua belli perficeret eo exercitu, quem haberet. Si supplemento opus esset, suppleret de legionibus, quibus P. Cornelius propraetor in Sicilia praeesset: dum ne quem militem legeret ex eo numero, quibus senatus missionem reditumque in patriam negasset ante belli finem. C. Sulpicio, cui Sicilia evenerat, duae legiones, quas P. Cornelius habuisset, decretae: et supplementum de exercitu Cn. Fulvii, qui priore anno in Apulia foede caesus fugatusque erat. Huic generi militum senatus eundem, quem Cannensibus, finem statuerat militiae: additum

¹ *Non ab ira tantum . . . quum*] Non tam propter iram, quam quod . . . Non raro *quam* et *tantum* sibi invicem respondent. Terentius, *Hec. Act. iii. Sc. 4. Non herele verbis dici potest tantum, quam re ipsa navigare incommodum est.* Et eodem fere modo idem, *Phorm. Act. ii. Sc. 1. Quo magis novi, tanto saepius.* CREV.

² *Praetoribus prioris anni, M. Iunio . . . P. Sempronio*] M. Iunio prae-

tori prioris anni, P. Sempronio, qui quum biennio ante praeturam gessisset, priore anno Galliam, prorogato imperio, propraetor obtinuerat. Iam observavimus supr. xxiii. 40. interdum a Livio dici *praetorem* eum qui cum praetorio imperio est, quamvis praeturam non gerat. CREV.

³ *Quibus senatus*] cf. Supr. xxiii. 25.

etiam utrorumque ignominiae est, ne in oppidis hibernarent, U. C. 541.
 neve hiberna propius ullam urbem decem millibus passuum A. C. 211.
 aedificarent. L. Cornelio in Sardinia duae legiones datae,
 quibus Q. Mucius praefuerat: supplementum, si opus esset,
 consules scribere iussi. T. Otacilio et M. Valerio Siciliae
 Graeciaeque ora cum legionibus classibusque, quibus prae-
 erant, decretae. Quinquaginta Graeci cum legione una,
 centum Siculi cum duabus legionibus habebant naves.
 Tribus et viginti legionibus Romanis eo anno bellum terra
 marique est gestum. 23. Legio-
ues.

Principio eius anni quum de literis L. Marcii referretur, 2.
 res gestae magnificae senatui visae: titulus honoris, quod Literae L.
Marcii.
 imperio, non populi iussu, non ex auctoritate Patrum dato,
 ‘Propraetor senatui,’ scripserat, magnam partem hominum
 offendebat. Rem mali exempli esse, imperatores legi ab
 4 exercitibus: et solenne auspicatorum comitiorum in castra
 et provincias, procul ab legibus magistratibusque, ad mili-
 tare temeritatem transferri. Et, quum quidam referendum
 ad senatum censerent, melius visum differri eam consulta-
 tionem, donec proficiscerentur equites, qui ab Marcio literas
 attulerant. Rescribi de frumento et vestimentis exercitus
 placuit: ‘eam utramque rem curae fore senatui:’ ascribi
 5 autem, ‘Propraetori L. Marcio,’ non placuit; ne id ipsum,
 quod consultationi reliquerant, pro praeiudicato ferret.
 Dimissis equitibus, de nulla re prius consules retulerunt,
 omniumque in unum sententiae congruebant, agendum cum
 tribunis plebis esse, primo quoque tempore ad plebem fer-
 rent, quem cum imperio mitti placeret in Hispaniam ad
 eum exercitum, cui Cn. Scipio imperator praefuisset. Ea
 res cum tribunis acta promulgataque est.

Sed aliud certamen occupaverat animos. C. Sempronius Cn. Ful-
vius accu-
satur.
 Blaesus die dicta Cn. Fulvium, ob exercitum in Apulia
 amissum, in concionibus vexabat: ‘multos imperatores te-
 ‘meritate atque inscientia exercitum in locum praecipitem
 ‘perduxisse’ dictitans: ‘neminem, praeter Cn. Fulvium,
 ‘ante corrupisse omnibus vitiis legiones suas, quam prode-
 ‘ret. Itaque vere dici posse, prius eos periisse, quam vide-
 ‘rent hostem; nec ab Hannibale, sed ab imperatore suo,
 ‘victos esse. Neminem, quum suffragium inerat, satis cer-
 6 ‘nere, cui imperium, cui exercitum permittat. Quid inter-
 ‘fuisse inter Ti. Sempronium? Quum ei servorum exercitus

4 *Sollenne auspicatorum comitio-
rum*] Sollenne institutum, quo co-
 mitia auspiciato Romae habebantur.
 CREV.

5 *Ne id ipsum*] sc. Utrum ei con-
 cederet senatus propraetoris titulum.

Feret idem quod acciperet.

6 *Quid interfuisse inter Ti. Sem-
pronium*] Hoc mancum esse iudicat
 Crevier. Ceterum Bekker, fide ms.
 Pal. 2. *inter hunc et Ti. Sempronium*
 reponit, quod Gebhardus probat.

U. C. 541. 'datus esset, brevi effecisse disciplina atque imperio, ut
 A. C. 211. 'nemo eorum generis ac sanguinis sui memor in acie esset,
 'praesidio sociis, hostibus terrori essent: Cunas, Beneven-
 'tum, aliasque urbes eos velut e faucibus Hannibalis ereptas
 'populo Romano restituisse. Cn. Fulvium Quiritium Ro-
 'manorum exercitum, honeste genitos, liberaliter educatos,
 'servilibus vitiis imbuisse: ergo effecisse, ut feroces et in-
 'quieti inter socios, ignavi et imbelles inter hostes essent,
 'nec impetum modo Poenorum, sed ne clamorem quidem 7
 'sustinere possent. Nec, hercule, mirum esse, milites in 8
 'acie non stetisse, quum primus omnium imperator fugeret.
 'Magis mirari se, aliquos stantes cecidisse, et non omnes
 'comites Cn. Fulvii fuisse pavoris ac fugae. C. Flaminium,
 'L. Paullum, L. Postumium, Cn. ac P. Scipiones cadere in
 'acie maluisse, quam deserere circumventos exercitus: Cn.
 'Fulvium prope unum nuntium deleti exercitus Romam
 'redisce. Facinus indignum esse, Cannensem exercitum,
 'quod ex acie fugerit, in Siciliam deportatum, ne prius inde
 'dimittatur, quam hostis ex Italia decesserit, et hoc idem
 'in Cn. Fulvii legionibus nuper decretum: Cn. Fulvio
 'fugam ex proelio, ipsius temeritate commisso, impunitam
 'esse: et cum in ganea lustrisque, ubi iuventam egerit,
 'senectutem acturum: milites, qui nihil aliud peccaverint,
 'quam quod imperatoris similes fuerint, relegatos prope in
 'exsilium, ignominiosam pati militiam. Adeo imparem
 'libertatem Romae diti ac pauperi, honorato atque inhono-
 'rato esse.' Reus ab se culpam in milites transferebat:
 3. 'Eos ferociter pugnam poscentes productos in aciem, non
 Se defendit. 'eo, quo voluerint, quia serum diei fuerit, sed postero die,
 'et tempore et loco aequo instructos, seu famam seu vim
 'hostium non sustinuisse. Quum effuse omnes fugerent,
 'se quoque turba ablatum; ut Varronem Cannensi pugna,
 'ut multos alios imperatores. Qui autem solum se restan-
 'tem prodesse reipublicae, nisi si mors sua remedio publicis
 'cladibus futura esset, potuisse? Non se inopia commectus,
 'non in loca iniqua incaute deductum, non agmine inex-
 'plorato euntem insidiis circumventum. Vi aperta, armis,
 'acie victum: nec suorum animos, nec hostium, in potestate
 'habuisse. Suum cuique ingenium audaciam aut pavorem
 'facere.' Bis est accusatus, pecuniaque anquisitum. Tertio, 9

7 *Nec impetum modo*] Et impe-
 tum Poenorum non modo sustinere
 non possent. Plerumque Livius post
 has voces *non modo* supprimit *non*,
 ubi in sequenti membro reperitur *ne*
 ... *quidem*. Exemplum alibi collegi-
 mus. CREV.

8 *Milites in acie non stetisse*] Duas

postremas voces Bekker. delet, ut
 quae in plur. codd. non exstent: sed
 vocem aliquam, e. g. *cessisse*, quam
 ante *milites* reponit Gronov., deside-
 rari plane liquet.

9 *Pecuniaque anquisitum*] *Anqui-*
rere proprie idem est ac *quaerere*,
 sive *inquirere*. Hic de eo dicitur

testibus datis, quum, praeterquam quod omnibus probris U. C. 541. onerabatur, iurati permulti dicerent, fugae pavorisque initium a praetore ortum; ab eo desertos milites, quum haud vanum timorem ducis crederent, terga dedisse; tanta ira accensa est, ut capite anquirendum concio succlamaret.

De eo quoque novum certamen ortum. Nam, quum tribunus bis pecunia anquisisset, tertio capitis se anquirere diceret; tribuni plebis appellati, 'collegae,' negarunt, 'se in mora esse, quo minus, quod ei more maiorum permis-

sum esset, seu legibus, seu moribus mallet, anquireret, 'quoad vel capitis, vel pecuniae iudicasset privato.' Tum Sempronius, 'perduellionis se iudicare Cn. Fulvio,' dixit, diemque comitiis ab C. Calpurnio praetore urbis petit. Inde alia spes ab reo tentata est: si adesse in iudicio Q. Fulvius frater posset, florens tum et fama rerum gestarum, et propinqua spe Capuae potiundae. Id quum per literas miserabiliter pro fratris capite scriptas petisset Fulvius, negassentque Patres e republica esse, abscedi a Capua; postquam dies comitiorum aderat, Cn. Fulvius exsulatum Tar-

quinios abiit. Id ei iustum exsilium esse, scivit plebs.

Inter haec vis omnis belli versa in Capuam erat. Obsidebatur tamen acrius, quam oppugnabatur: nec aut famem tolerare servitia ac plebs poterant, aut mittere nuntios ad Hannibalem per custodias tam artas. Inventus est Numida, qui, acceptis literis, evasurum se professus, ut promissum praestaret, per media Romana castra nocte egressus, spem accendit Campanis, dum aliquid virium superesset, ab omni parte eruptionem tentandi. Ceterum in multis certaminibus equestria proelia ferme prospera faciebant; pedites superabantur. Sed nequaquam tam laetum vincere, quam triste vinci ulla parte erat ab obsesso et prope expugnato hoste. Inita tandem ratio est, ut, quod viribus deerat, arte

It in exsilium.

Capuae artior obsidio.

Equestria proelia prospera Campanis.

qui accusat. *Anquiri* igitur *pecunia* is qui postulat, ut reus pecuniae damnetur. *Capite anquiri* is qui postulat, ut reus damnetur capitis. Sed observandum *capite* non semper designari vitam, sed interdum statum tantummodo eius qui in discrimen vocatur. CREV. *Capite enim anquisitus*, si damnatus esset, *deminutionem capitis* patiebatur, et *deterioris iuris* fiebat.

1 *Collegae, negarunt, se in mora esse*] Negarunt se impedimento esse collegae suo. CREV.

2 *Seu legibus, seu moribus mallet*] *Leges* capite damnasse imperatorem, qui exercitum sua culpa amisisset; sed *moribus*, sive usu, institutum fu-

isse, ut pecunia lucret, censet Crevier.

3 *Se iudicare*] *Iudicare* dicitur, non modo qui pronuntiat et sententiam fert, verum quoque qui accusat et diem alicui dicit. cf. Muret. Var. Lect. xiv. 16. et supr. i. 26.

4 *Diemque comitiis*] *Perduellio* iudicabatur comitiis centuriatis, quae tribunus habere non poterat. Ideo a praetore urbano diem comitiis petit. Idem reperies factum in simili causa, infr. xliii. 16. CREV.

5 *Iustum exsilium*] Legitimum exsilium. cf. supr. i. 60. Niebhr. ii. n. 129.

6 *Pedites superabantur*] *Pedite* ex coniect. Gronov. reposuit Bekker.

U. C. 541. aequaretur. Ex omnibus legionibus electi sunt iuvenes, A. C. 211. maxime vigore ac levitate corporum veloces: iis parmae breviores, quam equestres, et septena iacula quaternos longa pedes data, praefixa ferro, quale hastis velitaribus inest. 7 Eos singulos in equos suos accipientes equites assuefecerunt, et vehi post sese, et desilire perniciter, ubi signum datum esset. Postquam assuetudine quotidiana satis intrepide visum est fieri, in campum, qui medius inter castra murumque erat, adversus instructos Campanorum equites processerunt: et, ubi ad coniectum teli ventum est, signo dato velites desiliunt. Pedestris inde acies ex equitatu repente in hostium equites incurrit: iaculaque cum impetu alia super alia emittunt. Quibus plurimis in equos virosque passim coniectis permultos vulneraverunt: pavoris tamen plus ex re nova atque inopinata iniectum est, et in periculum hostem equites invecti, fugam stragemque eorum usque ad portas fecerunt. Inde equitatu quoque superior Romana res fuit. Institutum, ut velites in legionibus essent. 8 Auctorem peditum equiti immiscendorum centurionem Q. Navium ferunt, honorique id ei apud imperatorem fuisse.

Velites in legionibus.

5. Hannibal in Campaniam redit.

Quum in hoc statu ad Capuam res essent, Hannibalem 9 diversum Tarentinae arcis potiundae Capuaeque retinendae trahebant curae. Vicit tamen respectus Capuae, in quam omnium sociorum hostiumque conversos videbat animos; documento futurae, qualemcunque eventum defectio ab Romanis habuisset. Igitur, magna parte impedimentorum relicta in Bruttiiis, et omni graviore armatu, cum delectis peditum equitumque, quam poterat aptissimis ad maturandum iter, in Campaniam contendit. Secuti tamen tam rapitum euntem tres et triginta elephanti. In valle occulta

7 *Ferro, quale hastis velitaribus inest*] De velitum institutione hic agitur. Quid ergo opus est observare velites armatos esse hastis velitaribus? Nimirum hasta velitaris sumitur universe pro hasta missili: quae quidem in usu fuit et ante institutos velites, supr. xxiv. 34, et post extinctos. CREV.

8 *Institutum, ut velites in legionibus essent*] Antea iam in exercitibus Romanis levis armaturae milites erant. Sed levis armatura commune nomen est, cuius plura sunt genera sive partes, ut rorarii, accensi, de quibus Livius viii. 8, egit, et ii qui hoc loco dicuntur velites. Vetus ergo illa levis armatura habuit sagittarios, funditores, iaculatores, qui videntur comprehensi fuisse duplici nomine

rorariorum et accensorum; at non velites proprie dictos. Si quando igitur mentio fit velitum prioribus temporibus, ut xxiv. 34. intellige veteribus illis levis armaturae militibus accommodatum esse illud nomen, quod tamen iis proprio sensu non competeat. Haec fusius explicata habes apud Lipsium, de Mil. Rom. iii. 1. CREV.

9 *Hannibalem diversum*] h. e. In diversas partes.

1 *Documento futurae, qualemcunque eventum*] Propositae in exemplum ac documentum, ut ex eventu quem Campanorum ab Romanis defectio habuisset, ceteri omnes populi iudicarent utra societas, Romanorumne an Hannibalis, potior esset. CR.

post Tifata montem imminuentem Capuae consedit. Adveniens quum castellum Galatiam, praesidio vi pulso, cepisset, in circumsedentes Capuam se vertit. Praemissis ante nuntiis Capuam, quo tempore castra Romana aggressurus esset, ut eodem et illi, ad eruptionem parati, portis omnibus sese effunderent, ingentem praebuit terrorem. Nam alia parte ipse adortus est; alia Campani omnes, pedites equitesque, et cum iis Punicum praesidium, cui Bostar et Hanno praeerant, erupit. U. C. 541.
A. C. 211. Romani, ut in re trepida, ne ad unam concurrento partem aliquid indefensi relinquerent, ita inter se copias partiti sunt. Ap. Claudius Campanis, Fulvius Hannibali est oppositus. C. Nero propraetor cum equitibus sextae legionis via, quae Suessulam fert; C. Fulvius Flaccus legatus cum sociali equitatu constitit e regione Vulturni annis. Proelium non solito modo clamore ac tumultu est coeptum, sed, ad alium virorum, equorum, armorumque sonum, disposita in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum aeris crepitu, qualis in defectu Castra Romana ag-
greditur.
Campani
quoque
erumpunt. lunae silenti nocte cieri solet, edidit clamorem, ut averteret etiam pugnantium animos. Campanos facile a vallo Appius arcebat. Maior vis ab altera parte Fulvium, Hannibal et Poeni, urgebant. Legio ibi sexta loco cessit: qua pulsa, cohors Hispanorum cum tribus elephantis usque ad vallum pervasit: ruperatque mediam aciem Romanorum, et in ancipiti spe ac periculo erat, utrum in castra perrumperet, an intercluderetur a suis. Quem pavorem legionis periculumque castrorum Fulvius ubi vidit, Q. Navium primoresque alios centurionum hortatur, 'ut cohortem hostium sub vallo pugnantes invadant. 'In summo discrimine rem verti: aut viam dandam iis esse, et minore conatu, quam condensam aciem rupissent, in castra irrupturos: aut conficiendos sub vallo esse. Nec magni certaminis rem fore: paucos esse, et ab suis interclusos; et quae, dum paveat Romanus, interrupta acies videatur, eam, si se utrumque in hostem vertat, ancipiti pugna medios circumventuram.'

³ Navius ubi haec imperatoris dicta accepit, secundi hastati signum adeptum signifero in hostes infert; iacturum in medios eos minitans, ni se propere sequantur milites, et partem capessant pugnae. Ingens corpus erat, et arma honestabant; et sublatum alte signum converterat ad spectaculum cives hostesque. Ceterum, postquam iam ad signa U. C. 541.
A. C. 211. pervenerat Hispanorum, tum undique in eum tragulae coniectae, et prope tota in unum acies versa: sed neque hostium multitudo, neque telorum vis arcere impetum eius

² *Ut averteret etiam pugnantium animos*] *Adverteret* ex conject. Murreti reposuit Bekker.

³ *Secundi hastati*] sc. Secundi manipuli hastatorum.

⁴ *Tragulae*] cf. Supr. xxi. 7.

U. C. 541. viri potuerunt. Et M. Atilius legatus, primi principis ex 5
A. C. 211. eadem legione signum inferri in cohortem Hispanorum
6.

Repulsi in
urbem
Campani.

Hannibal
recipit si-
gna.

coegit. Et, qui castris praeceperant, L. Porcius Licinus et T. Popillius legati pro vallo acriter propugnant, elephantosque transgredientes in ipso vallo conficiunt. Quorum corporibus quum oppleta esset fossa, velut aggere aut ponte iniecto, transitum hostibus dedit. Ibi per stragem iacentium elephantorum atrox edita caedes. Altera in parte castrorum iam impulsus erant Campani Punicumque praesidium, et sub ipsa porta Capuae, quae ad Vulturum fert, pugnabatur: neque tam armati irrumpentibus Romanis resistebant, quam quod porta, ballistis scorpionibusque instructa, missilibus 6 procul hostes arcebat. Et suppressit impetum Romanorum vulnus imperatoris Ap. Claudii: cui, suos ante prima signa adhortanti, sub laevo humero summum pectus gaeso ictum 7 est. Magna tamen vis hostium ante portam est caesa: ceteri trepidi in urbem compulsi. Et Hannibal, postquam cohortis Hispanorum stragem vidit, summaque vi castra hostium defendi, omissa oppugnatione, recipere signa, et convertere agmen peditum, obiecto a tergo equitatu, ne hostis instaret, coepit. Legionum ardor ingens ad hostem insequendum fuit: sed Flaccus receptui cani iussit; satis ad utrumque profectum ratus, ut et Campani, quam haud multum in Hannibale praesidii esset, et ipse Hannibal sentiret. Caesa eo die, qui huius pugnae auctores sunt, octo millia hominum de Hannibalis exercitu, tria ex Campanis tradunt: signaque Carthaginensibus quindecim adempta, duodeviginti Campanis. Apud alios nequaquam tantam molem pugnae inveni, plusque pavoris, quam certaminis, fuisse: quum inopinato in castra Romana Numidae Hispanique cum elephantis irrupissent; elephantis, per media castra vadentes, stragem tabernaculorum ingenti sonitu ac fugam abruptum vineula iumentorum facerent; fraudem quoque super tumultum adiectam, immissis ab Hannibale, qui (habuit aliquot) gnari Latinae linguae iuberent consulum verbis, quoniam amissa castra essent, pro se quemque militum in proximos montes fugere: sed eam eccleriter cognitam fraudem, oppressamque magna caede hostium; elephantos igni e castris exactos.

Hoc ultimum (utcunque initum finitumque est) ante deditionem Capuae proelium fuit. Medixtuticus, qui sum- 8

5 *Primi principis*] Primi principum manipuli. cf. supr. xxv. 14.

6 *Scorpionibusque*] Huius machinae quae spicula aliaque missilia mittebat, descriptionem uberiores dedit Ammian. Marcell. xxiii. 4. cf. supr. xxiv. 34.

7 *Gaeso ictum est*] Gaesum proprie telum Gallicum erat, forsansimile verutro, certe missile. cf. supr. viii. 8. DOER.

8 *Medixtuticus*] cf. Supr. xxiii. 35.

mus magistratus apud Campanos est, eo anno Seppius U. C. 541.
 Lesius erat, loco obscuro tenuique fortuna ortus. Matrem A. C. 211.
 eius quondam, pro pupillo eo procurantem familiare osten- Seppius
 tum, quum respondisset haruspex, summum quod esset im- Lesius Me-
 perium Capuae, perventurum ad eum puerum, nihil ad dixitque
 eam spem agnoscentem, dixisse ferunt, ‘Nae tu perditas res
 ‘Campanorum narras, ubi summus honos ad filium meum
 ‘perveniet!’ Ea ludificatio veri et ipsa in verum vertit.
 Nam quum fame ferroque urgerentur, nec spes ulla super-
 esset, iis, qui nati in spem honorum erant, honores detrec-
 tantibus; Lesius, querendo desertam ac proditam a primo-
 ribus Capuam, summum magistratum ultimus omnium
 Campanorum cepit.

Ceterum Hannibal, ut nec hostes elici amplius ad pugnam 7.
 vidit, nec per castra eorum perrumpi ad Capuam posse, ne
 suos quoque commeatus intercluderent novi consules, abs-
 cedere irritum incepto, et movere a Capua statuit castra.
 Multa secum, quoniam inde ire pergeret, volenti subiit
 animum impetus, caput ipsum belli Romam petendi: cuius
 rei semper cupitae praetermissam occasionem post Cannen-
 sem pugnam et alii vulgo fremebant, et ipse non dissimula-
 bat. ‘Necopinato pavore ac tumultu, non esse desperan- Hannibal
 ‘dum, aliquam partem urbis occupari posse; et, si Roma in Romam
 ‘discrimine esset, Capuam extemplo omissuros aut ambo petere sta-
 ‘imperatores Romanos, aut alterum ex iis: et, si divisissent
 ‘copias, utrumque infirmiores factum aut sibi, aut Cam-
 ‘panis, bene gerendae rei fortunam daturus esse.’ Una ea
 cura angebat, ne, ubi abscessisset, extemplo dederentur
 Campani. Numidam promptum ad omnia audenda donis
 pellicit, ut, literis acceptis, specie transfugae castra Romana
 ingressus, altera parte Capuam clam pervadat. Literae
 autem erant adhortatione plenae. ‘Profectionem suam,
 ‘quae salutaris illis foret, abstracturam ad defendendam
 ‘Romam ab oppugnanda Capua duces atque exercitus
 ‘Romanos. Ne desponderent animos: tolerando paucos
 ‘dies totam soluturos obsidionem.’ Inde naves in flumine
 Vulturno comprehensas subigi ad id, quod iam ante prae-
 sidii causa fecerat, castellum iussit. Quarum ubi tantam

9 *Procurantem familiare osten-*
tum] Dum sacerdos facit expiandi ali-

1 *Nihil ad eam spem]* Nihil in sua
 aut filii sorte, quod ad talem spem
 pertineat.

2 *Ea ludificatio veri et ipsa in ve-*
rum vertit] Ludificata fuerat Lesii
 mater responsum haruspicii, quod ta-

men verum eventu comprobatum est:
 si quidem Lesius summum imperium
 Capuae tenuit. Sed et ipsa illa ludi-
 ficatio veri vaticinii in verum quoque
 vertit. Tum enim Lesius ad sum-
 mum Capuae magistratum evectus
 est, quum perditae et deploratae res
 Campanorum erant. CREV.

3 *Subigi ad id]* sc. Remigiorum
 ope, ut monet Gronov.

U. C. 541. copiam esse, ut una nocte traici posset exercitus, allatum
A. C. 211. est, cibariis decem dierum praeparatis, deductas nocte ad
fluvium legiones ante lucem traiecit.

8. Id priusquam fieret, ita futurum compertum ex transfugis, 4

Variae in
senatu
sententiae.

Fulvius Flaccus senatui Romam quum scripsisset, varie
hominum animi pro cuiusque ingenio affecti sunt. Ut in
re tam trepida, senatu extemplo vocato, P. Cornelius, cui
Asinae cognomen erat, omnes duces exercitusque ex tota
Italia, neque Capuae, neque ullius alterius rei memor, ad
urbis praesidium revocabat. Fabius Maximus, abscedi a
Capua, terrerique et circumagi ad nutus comminationesque
Hannibalis, flagitiosum ducebat. 'Qui ad Cannas victor
'ire tamen ad urbem ausus non esset, eum, a Capua repul-
'sum, spem potiundae urbis Romae cepisse? Non ad Ro-
'mam obsidendam, sed ad Capuae liberandam obsidionem, 5
'ire. Romam cum eo exercitu, qui ad urbem esset, Iovem,
'foederum ruptorum ab Hannibale testem, deosque alios
'defensuros esse.' Has diversas sententias media sententia
P. Valerii Flacci vicit: qui, utriusque rei memor, imperato- 6
ribus, qui ad Capuam essent, scribendum censuit, 'Quid
'ad urbem praesidii esset; quantas autem Hannibal copias
'duceret, aut quanto exercitu ad Capuam obsidendam opus
'esset, ipsos scire. Si et Romam e ducebus alter, et exerci-
'tus pars mitti posset, ut ab reliquo et duce et exercitu
'Capua recte obsideretur; inter se compararent Claudius
'Fulviusque, utri obsidenda Capua, utri, ad prohibendam
'obsidione patriam, Romam veniundum esset.' Hoc senatus-
consulto Capuam perlato, Q. Fulvius proconsul, cui, collega
ex vulnere aegro, eundem Romam erat, e tribus exercitibus
milite electo, ad quindecim millia peditum, mille equites,
Vulturnum traducit. Inde quum Hannibalem Latina via
iturum satis comperisset, ipse per Appiae municipia, quae-
que propter eam viam sunt, Setiam, Coram, Lanuvium
praemisit, ut conmeatus paratos et in urbibus haberent, et
ex agris deviis in viam proferrent, praesidiaque in urbes
contraherent, ut sua cuique respublica in manu esset. 7

Fulvius a
Capua Ro-
mam evo-
catur.

4 *Id . . . compertum ex transfugis, Fulvius Flaccus senatui . . . quum scripsisset*] Polybius in tota hac narratione, quae libro eius ix. habetur, multum a Livio discrepat. Neque enim Romanos ante comperisse consilium Hannibalis scribit, quam Poenus traiecto Anienem exercitu quadraginta stadiis ab urbe castra posuerit. Tum nihil omnino dicit de Fulvio a Capua revocato. Romam denique a consulibus eo solo exercitu,

qui ad urbem esset, defensam fuisse memorat. Utrius potior sit fides, Polybii an Livii, non decernimus. Sed eos in re tam clara tamque illustri tantopere dissentire vehementer miramur. CREV.

5 *Liberandam obsidionem*] Similem locutionem apud nostrum infra. xxxvi. 25. invenies.

6 *Utriusque rei*] Et obsidendae Capuae et defendendae Romae.

7 *Ut sua cuique respublica*] Ut

Hannibal, quo die Vulturum est transgressus, haud
 procul a flumine castra posuit. Postero die praeter Cales
 in agrum Sidicinum pervenit. Ibi diem unum populando
 8 moratus, per Suessanum Allifanumque et Casinatem
 agrum via Latina ducit. Sub Casinum biduo stativa habita
 et passim populationes factae. Inde, praeter Interamniam
 Aquinumque, in Fregellanum agrum ad Lirim fluvium
 ventum: ubi intercisum pontem a Fregellanis morandi
 itineris causa invenit. Et Fulvium Vulturum tenuerat
 9 annis, navibus ab Hannibale incensis, rates ad traiciendum
 exercitum, in magna inopia materiae, aegre comparantem.
 Traiecto ratibus exercitu, reliquum Fulvio expeditum iter,
 non per urbes modo, sed circa viam, expositis benigne
 comitatibus, erat: alacresque milites alius alium, ut adde-
 ret gradum, memor ad defendendam ire patriam, horta-
 bantur. Romam Fregellanus nuntius, diem noctemque
 itinere continuato, ingentem attulit terrorem. Tumultuo-
 sius, quam allatum erat, cursus hominum, affingentium vana
 auditis, totam urbem conciverat. Ploratus mulierum non
 ex privatis solum domibus exaudiebatur; sed undique ma-
 trona, in publicum effusae, circa deum delubra discurrunt,
 erinibus passis aras verrentes, nisae genibus, supinas manus
 ad coelum ac deos tendentes, orantesque, ut urbem Romanam
 e manibus hostium eriperent; matresque Romanas et liberos
 parvos inviolatos servarent. Senatus magistratibus in foro
 praesto est, si quid consulere velint. Alii accipiunt impe-
 ria, disceduntque ad suas quisque officiorum partes: alii
 offerunt se, si quo usus operae sit. Praesidia in arce, in
 Capitolio, in muris, circa urbem, in monte etiam Albano
 atque arce Aesulana ponuntur. Inter hunc tumultum, Q.
 Fulvium proconsulem profectum cum exercitu a Capua
 1 affertur; cui ne minueretur imperium, si in urbem venisset,
 decernit senatus, ut Q. Fulvio par cum consulibus imperium
 esset. Hannibal, infestius perpopulato agro Fregellano
 propter intercisos pontes, per Frusinatem Ferentinatensemque
 et Anagninum agrum in Lavicanum venit. Inde Algidum
 Tusculum petit: nec receptus moenibus, infra Tusculum
 2 dextrorsus Gabios descendit. Inde in Pupiniam exercitu

U. C. 541.
 A. C. 211.
 9.

Tumultus
 Romae.

uniuscuiusque urbis cives suam rem-
 publicam per se ipsi tenerent ac tu-
 tari possent. CREV.

8 *Per Suessanum*] Ita Cluverius
 pro vulg. *Suessulam*. Suessa Aurna-
 ca est iuxta Latinam viam, paullum
 ultra oppidum Cales Romam versus.
 Allifae erant quidem ad laevam Vul-
 turni: sed fortasse ager Allifanus ad
 dextram quoque ripam pertendebat.

ut Crevier. monet.

9 *Rates ad traiciendum*] Intellige
 tignorum inter se iunctorum seriem.
 DOER.

1 *Cui ne minueretur*] Proconsu-
 lem enim non, nisi extra urbem, im-
 perium habuisse monet Sigon.

2 *In Pupiniam*] Supple. regionem,
 sc. in agrum Pupinae tribus, sive
 Pupiniensem. Eodem plane modo

U. C. 541. demisso, octo millia passuum ab Roma posuit castra. Quo
A. C. 211. propius hostis accedebat, eo maior caedes fiebat fugientium,
praecedentibus Numidis: pluresque omnium generum at-
que aetatum capiebantur.

10. In hoc tumultu Fulvius Flaccus, porta Capena cum ex-
Fulvius ercitu Romam ingressus, media urbe per Carinas Esquilias 3
cum exer- contendit. Inde egressus, inter Esquilinam Collinamque
citu Ro- portam posuit castra. Aediles plebis comneatum eo com-
mam ingre- portarunt. Consules senatusque in castra venerunt: ibi
ditur. de summa republica consultatum. Placuit, consules circa

Hannibal
tria millia
passuum ab
urbe castra
locat.

Urbem ob-
equitans
contempla-
tur.

portas Collinam Esquilinamque ponere castra: C. Calpur-
nium praetorem urbanum Capitolio atque arci praeesse: et
senatum frequentem in foro contineri, si quid in tam subitis
rebus consulto opus esset. Inter haec Hannibal ad Anie-
nem fluvium, tria millia passuum ab urbe, castra admovit.
Ibi stativis positis, ipse cum duobus millibus equitum a
porta Collina usque ad Herculis templum est progressus;
atque, unde proxime poterat, moenia situmque urbis ob-
equitans contemplabatur. Id eum tam licenter atque otiose
facere, Flacco indignum visum est. Itaque immisit equites,
summoverique atque in castra redigi hostium equitatum
iussit. Quum commissum proelium esset, consules trans-
fugas Numidarum, qui tum in Aventino ad mille et ducenti
erant, media urbe transire Esquilias iusserunt: nullos apti-
ores, inter convalles tectaque hortorum et sepulera aut
cavas undique vias, ad pugnandum futuros rati. Quos
quum ex arce Capitolioque clivo Publicio in equis decur- 4
rentes quidam vidissent, captum Aventinum conclamave-
runt. Ea res tantum tumultum ac fugam praebuit, ut, nisi
castra Punica extra urbem fuissent, effusura se omnis pavida
multitudo fuerit. Tunc in domos atque in tecta refuge-
bant: vagosque in viis suos pro hostibus lapidibus telisque
incessebant. Nec comprimi tumultus aperiri error po-
terat, refertis itineribus agrestium turba pecorumque, quae
repentinus pavor in urbem compulerat. Equestre proelium
secundum fuit, summotique hostes sunt: et, quia multis
locis comprimendi tumultus erant, qui temere oriebantur,
placuit, omnes, qui dictatores, consules, censorsve fuissent,
cum imperio esse, donec recessisset a muris hostis. Et
diei quod reliquum fuit, et nocte insequenti, multi temere
excitati tumultus sunt, compressique.

Summotus
Hannibal.

Val. Max. iv. 4. *In agello, quem in Pupinia habebat.* cf. Niebhr. i. n. 971.

3 *Per Carinas Esquilias contendi*] Per eam regionem urbis quae dicitur *Carinae*, perrexit ad Esquilias. CREV.

4 *Clivo Publicio*] Edd. plures *publico*, sed *Publicio* legendum censet Gronov. quem Bekker. sequitur. Iunge, "quum quidam ex arce Capitolioque Numidas, in equis clivo Publicio decurrentes, vidissent." cf. Varr. de L. L. 32.

Postero die transgressus Anienem Hannibal in aciem U. C. 541. omnes copias eduxit: nec Flaccus consulesque certamen A. C. 211. decretavere. Instructis utrinque exercitibus in eius pugnae casum, in qua urbs Roma victori praemium esset, imber ingens grandine mixtus ita utramque aciem turbavit, ut vix armis retentis in castra sese receperint, nullius rei minore, quam hostium, metu. Et postero die eodem loco acies instructas eadem tempestas diremit. Ubi receperint se in castra, mira serenitas cum tranquillitate oriebatur. In religionem ea res apud Poenos versa est: auditaque vox Hannibalis fertur, 'Potiundae sibi urbis Romae modo mentem non dari, modo fortunam.' Minuere etiam spem eius et aliae, parva magnaue, res: magna illa, quod, quum ipse ad moenia urbis Romae armatus sederet, milites sub vexillis in supplementum Hispaniae profectos audivit: parva autem, quod per eos dies eum forte agrum, in quo ipse castra haberet, venisse, nihil ob id diminuto pretio, cognitum ex quodam captivo est. Id vero adeo superbum atque indignum visum, eius soli, quod ipse bello captum possideret haberetque, inventum Romae eniptorem; ut, extemplo vocato praecone, tabernas argentarias, quae circa forum Romanum tunc essent, iusserit venire. His motus ad Turtiam fluvium castra retulit, sex millia passuum ab urbe. Recedit Hannibal. Inde ad lucum Feroniae pergit ire, templum ea tempestate inclutum divitiis. Capenates antiqui aecolae eius erant; primitias frugum eo donaue alia pro copia portantes, multo auro argentoque id exornatum habebant. His omnibus donis tum spoliatum templum. Aeris acervi, quum rudera milites religione intacti iacerent, post profectionem Hannibalis magni inventi. Huius populatio templi haud dubia inter scriptores est. Coelius, Romam euntem ab Ereto devertisse eo Hannibalem, tradit: iterque eius ab Reate, Hannibalis abeuntis iter. Cutilisque, et ab Amiterno orditur. Ex Campania in Samnium, inde in Pelignos pervenisse; praeterque oppidum Sulmonem in Marrucinos transisse; inde Albensi agro in Marsos, hinc Amiternum, Forulosque vicum venisse. Neque ibi error est, quod tanti exercitus vestigia intra tam brevis aevi memoriam potuerint confundi: isse enim ea constat. Tantum id interest, veneritne eo itinere ad urbem, an ab urbe in Campaniam redierit.

5 *Capenates antiqui aecolae*] *Antiqui* coniecit Walchius pro vulg. *antiqui*, quod merito tantum non omnibus criticis displicet. Ceterum Feroniae templum in agro Capenate sub montem Soractem erat. cf. supr. i. 30.

6 *Rudera*] *Rudus*, *rodus*, et *raudus* aes rude infectum et nondum

usum notant. cf. Varr. de L. L. 34.

7 *Religione intacti*] Ita Walchius pro communi *inducti*; verum *iacerent* hic idem, quod proicerent, significat.

8 *Albensi agro*] h. e. Agro, qui ad Albam Fucientiam in Marsis ad septentrionale lacus Fucini latus sitam pertinebat. cf. supr. x. 1.

11. Instructas utrinque acies tempestas dirimit.

Supplementum in Hispaniam. Ager, in quo Hannibal castra habebat, venit Romae.

U. C. 541.
A. C. 211.
12.
It Rhegi-
um.

Campano-
rum torpor
et despera-
tio.

Litterae
Bostaris et
Hannonis
ad Hanni-
balem.

Ceterum non quantum pertinaciae ad premendam obsidione Capuam Romanis fuit, tantum ad defendendam Hannibali. Namque ex Lucanis in Bruttium agrum, ad fretum vero ac Rhegium eo cursu contendit, ut prope repentino adventu incautos opprimerit. Capua etsi nihilo segnius obsessa per eos dies fuerat, tamen adventum Flacci sensit: et admiratio orta est, non simul regressum Hannibalem. Inde per colloquia intellexerunt, relictos se desertosque, et spem Capuae retinendae deploratam apud Poenos esse. Accessit edictum proconsulis ex senatusconsulto propositum, vulgatumque apud hostes: ‘Ut, qui civis Campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset.’ Nec ulla facta⁹ est transitio, metu magis eos, quam fide, continente; quia maiora in defectione deliquerant, quam quibus ignosci posset. Ceterum quemadmodum nemo privato consilio ad hostem transibat, ita nihil salutare in medium consulebatur. Nobilitas rempublicam deseruerat, neque in senatum cogi poterant. In magistratu autem erat, qui non sibi honorem adiecisset, sed indignitate sua vim ac ius magistratui, quem gerebat, dempsisset. Iam ne in foro quidem, aut publico loco, principum quisquam apparebat: domibus inclusi patriae occasum cum suo exitio in dies expectabant. Summa curae omnis in Bostarem Hannonemque praefectos praesidii Punici versa erat, suo, non sociorum, periculo sollicitos. Hi, conscriptis ad Hannibalem literis, non libere modo,¹ sed etiam aspere, quibus, ‘non Capuam solam traditam in manum hostibus, sed se quoque et praesidium in omnes cruciatus proditos,’ incusabant: ‘abiisse eum in Bruttios, velut avertentem sese, ne Capua in oculis eius caperetur. At, herecule, Romanos ne oppugnatione quidem urbis Romanae abstrahi ab Capua obsidenda potuisse. Tanto constantiorem inimicum Romanum, quam amicum Poenum esse. Si redeat Capuam, bellumque omne eo vertat, et se et Campanos paratos eruptioni fore. Non cum Rheginis, neque Tarentinis bellum gesturos transisse Alpes. Ubi Romanae legiones sint, ibi et Carthaginiensium exercitus debere esse. Sic ad Cannas, sic ad Trasimenum rem bene gestam; coeundo, conferendo cum hoste castra, fortunam tentando.’ In hanc sententiam litterae conscriptae Numidis, proposita mercede iam professis operam, dantur. Hi specie transfugarum quum ad Flaccum in castra venissent, ut inde tempore capto abirent; famesque, quae tam diu Capuae erat, nulli non probabilem causam transitionis

⁹ *Sine fraude esset*] Ei ne fraudi esset defectio Campanorum; is immunis esset ab omni et noxa et poena. CREV.

¹ *Hi, conscriptis*] Pendet quodammodo vox *hi*, nisi forte delendum sit *τὸ quibus*, ut iungantur *hi incusabant*.

faceret, mulier repente Campana in castra venit, scortum U. C. 541.
 transfugarum unius; indicatque imperatori Romano, Nu- A. C. 211.
 midas fraude composita transisse, literasque ad Hannibalem
 2 ferre. Id unum ex iis, qui sibi rem aperuisset, arguere
 sese paratam esse. Productus primo satis constanter igno-
 rare se mulierem simulabat: paullatim dein convictus veris,
 quum tormenta posci et parari videret, fassus id ita esse.
 3 Literaeque prolatae; et additum etiam indicio, quod cela-
 batur, et alios specie transfugarum Numidas vagari in cas-
 tris Romanis. Hi supra septuaginta comprehensi, et cum
 transfugis novis mulcati virgis, manibusque praecisis, Ca-
 pnam rediguntur. Conspectum tam triste supplicium fre-
 git animos Campanorum. Concursus ad curiam populi 13.
 factus coegit Lesium senatum vocare: et primoribus, qui Senatus
 iam diu publicis consiliis aberant, propalam minabantur, Campanus
 nisi venirent in senatum, circa domos eorum ituros se, et convoca-
 in publicum omnes vi extracturos esse. Is timor frequen-
 tem senatum magistratui praebuit. Ibi quum ceteri de Vibii Vir-
 legatis mittendis ad imperatores Romanos agerent, Vibius rii oratio.
 Virrius, qui defectionis ab Romanis auctor fuerat, interro-
 gatus sententiam, negat, 'eos, qui de legatis et de pace ac
 'deditione loquantur, meminisse, nec quid facturi fuerint,
 'si Romanos in potestate habuissent; nec quid ipsis pati-
 4 'endum sit. Quid? vos,' inquit, 'eam deditionem fore
 'censetis, qua quondam, ut adversus Sannites auxilium im-
 'petrarem, nos nostraque omnia Romanis dedidimus?
 'Iam e memoria excessit, quo tempore, et in qua fortuna
 'a populo Romano defecerimus? iam, quemadmodum in
 'defectione praesidium, quod poterat emitte, per cruciatum
 5 'et ad contumeliam necarimus? quoties in obsidentes,
 'quam inimice eruperimus, castra oppugnavimus? Hanni-
 'balem vocaverimus ad opprimendos eos? hoc quod recen-
 'tissimum est, ad oppugnandam Romam hinc cum miseri-
 'mus? Age contra, quae illi infeste in nos fecerint, repe-
 'tite: ut ex eo, quid speretis, habeatis. Quum hostis
 'alienigena in Italia esset, et Hannibal hostis, et cuncta
 'bello arderent, omissis omnibus, omisso ipso Hannibale,
 'ambo consules et duo consulares exercitus ad Capuam op-
 'pugnandam miserunt. Alterum annum circumvallatos in-

2 *Id unum*] Unum esse accusati-
 vum a verbo *arguere* pendentem fa-
 cile intelligitur. Ceterum locutio *ali-*
quem aliquid arguere satis insolens
 est. RASCH.

3 *Et additum*] Et indicio ac con-
 fessionem de literis id etiam additum
 quod primo celatum fuerat, nempe
 alios quoque Numidas. CREV.

4 *Quid? vos ... eam deditionem
 fore censetis, qua*] Talemne fore cen-
 setis deditionem quam suadetis nunc
 fieri, qualis fuit illa, qua quondam ...
 De illa veteri Campanorum deditione
 vid. nostrum, supr. vii. 30, et 31.
 CREV.

5 *Necarimus*] cf. Supr. xxiii. 7.

U. C. 541. 'clusosque nos fame macerant, et ipsi nobiscum ultima
 A. C. 211. 'pericula ac gravissimos labores perpeSSI, circa vallum ac
 'fossas saepe trucidati, et prope ad extremum castris exuti.
 'Sed omitto haec. Vetus atque usitata res est, in oppu-
 'gnanda hostium urbe labores ac pericula pati. Illud irae 6
 'atque odii execrabilis indicium est. Hannibal ingentibus
 'copiis peditum equitumque castra oppugnavit, et ex parte
 'cepit: tanto periculo nihil moti sunt ab obsidione. Pro-
 'fectus trans Vulturnum perussit Calenum agrum: nihil
 'tanta sociorum clade advocati sunt. Ad ipsam urbem Ro-
 'mam infesta signa ferri iussit: eam quoque tempestatem
 'imminentem spreverunt. Transgressus Anienem tria mil-
 'lia passuum ab urbe castra posuit: postremo ad moenia
 'ipsa et ad portas accessit. Romam se adepturum iis,
 'nisi omitterent Capuam, ostendit: non omiserunt. Feras
 'bestias, caeco impetu ac rabie concitatas, si ad cubilia et
 'catulos earum ire pergas, ad opem suis ferendam avertas.
 'Romanos Roma circumisessa, coniuges, liberi, quorum plo-
 'ratus hinc prope exaudiebantur, arae, foci, deum delubra,
 'sepulcra maiorum temerata ac violata, a Capua non aver-
 'terunt. Tanta aviditas supplicii expetendi, tanta san-
 'guinis nostri hauriendi est sitis. Nec iniuria forsitan.
 'Nos quoque idem fecissemus, si data fortuna esset. Ita-
 'que quando aliter diis immortalibus visum est, quum mor-
 'tem ne recusare quidem debeam; cruciatus contumelias-
 'que, quas sperat hostis, dum liber, dum mei potens sum,
 'effugere morte, praeterquam honesta, etiam leni, possum.
 'Non videbo Ap. Claudium et Q. Fulvium, victoria inso-
 'lenti subnisos, neque vinetus per urbem Romanam tri- 7
 'umphum spectaculum trahar, ut deinde in carcere, aut ad
 'palum deligatus, lacerato virgis tergo, cervicem securi Ro-
 'manae subiiciam: nec dirui incendique patriam videbo:
 'nec rapi ad stuprum matres Campanas, virginesque, et
 'ingenuos pueros. Albam, unde ipsi oriundi erant, a fun-
 'damentis proruere, ne stirpis, ne memoria originum 8
 'suarum exstaret: nedum eos Capuae parsuros credam, cui
 'infestiores, quam Carthagini, sunt. Itaque quibus ves-
 'trum ante fato cedere, quam haec tot tam acerba videant,
 'in animo est; iis apud me hodie epulae instructae paratae-
 'que sunt. Satiatis vino ciboque poculum idem, quod mihi
 'datum fuerit, circumferetur: ea potio corpus ab cruciatu,

6 *Illud*] sc. Quod Romani nulla re ab obsidione moti essent.

7 *Subnisos*] h. e. Elatos, ut supr. xxv. 41. *Hannibalem subnisiu victoria Cannensi.*

8 *Ne stirpis*] Non minus placeret

ne stirps, quomodo habent vetustae editiones, et duo mss. unus Gronovio, alter nobis inspectus. Nisi forte legendum est *stirpes*, ut infr. xli. 8. antiquae pro *stirps*. CREV.

‘animum a contumeliis, oculos, aures, a videndis audiendis- U. C. 541.
 ‘que omnibus acerbis indignisque, quae manent victos, vin- A. C. 211.
 ‘dicabit. Parati erunt, qui magno rogo in propatulo aedium
 ‘accenso corpora exanimā iniiciant. Haec una via et ho-
 ‘nesta et libera ad mortem. Et ipsi virtutem mirabuntur
 ‘hostes, et Hannibal fortes socios sciet ab se desertos ac
 ‘proditos esse.’

Hanc orationem Virrii plures audierunt cum assensu, 14.
 quam forti animo id, quod probabant, exsequi potuerunt.
 Maior pars senatus, multis saepe bellis expertam populi Legati ad
 Romani elementiam haud diffidentes sibi quoque placabilem Rom. mis-
 fore, legatos ad dedendam Romanis Capuam decreverunt, si.
 miseruntque. Vibium Virrium septem et viginti ferme Virrius
 senatores domum secuti sunt, epulatique cum eo; et quan- cum 27.
 tum facere potuerant, alienatis mentibus vino ab imminenti senatoribus
 sensu mali, venenum omnes sumpserunt: inde misso con- venenum
 vivio, dextris inter se datis, ultimoque complexu, collacri- sumit.
 mantes suum patriaeque casum, alii, ut eodem rogo crema-
 rentur, manserunt; alii domos digressi sunt. Impletæ
 cibus vinoque venae minus efficacem in maturanda morte
 vim veneni fecerunt. Itaque noctem totam plerique
 eorum, et diei insequentis partem quum animam egissent;
 omnes tamen, priusquam aperirentur hostibus portae, ex-
 spirarunt.

Postero die porta Iovis, quae adversus castra Romana Capuam
 erat, iussu proconsulis aperta est. Ea intromissa legio una ingreditur
 9 et duae alae, cum C. Fulvio legato. Is, quum omnium Romani.
 primum arma telaque, quae Capuae erant, ad se conferenda
 curasset, custodiis ad omnes portas dispositis, ne quis exire
 aut emitti posset, praesidium Punicum comprehendit,
 senatum Campanum ire in castra ad imperatores Romanos
 iussit. Quo quum venissent, extemplo his omnibus catenae
 iniectae, iussique ad quaestores deferre, quod auri argenti-
 que haberent. Auri pondo septuaginta fuit; argenti tria
 millia pondo et ducenta. Senatores quinque et viginti
 Cales in custodiam, duodeviginti Teanum missi: quorum
 de sententia maxime descitum ab Romanis constabat. De 15.
 supplicio Campani senatus haudquaquam inter Fulvium
 Claudiumque conveniebat. Facilis impetrandae veniae
 Claudius, Fulvio durior sententia erat. Itaque Appius
 Roman ad senatum arbitrium eius rei totum reiiciebat:
 pereunetandi etiam aequum esse potestatem fieri Patribus,
 1 num communicassent consilia cum aliquibus sociorum

9 *Duae alae*] De equitibus socialis
 exercitus vocem *alas* hic intelligen-
 dam esse docet Crevier., et Lipsium
 de Mil. Rom. ii. 7. testem adhibet.

1 *Cum aliquibus sociorum Latini*
nominis et municipiorum] Particulam
et ante ultimam vocem adiecit Gro-
 nov. Ceterum Niebhr. ii. n. 150. 80-

U. C. 547. Latini nominis et municipiorum: et num ope eorum in ²
 A. C. 211. bello forent adiuti. 'Id vero minime committendum esse,'
 Fulvius dicere, 'ut sollicitarentur criminibus dubiis socio-
 rum fidelium animi: et subiicerentur indicibus, quæis, ne-
 que quid facerent, neque quid dicerent, quicquam unquam
 'pensi fuisset. Itaque se eam quaestionem oppressurum
 'extincturumque.' Ab hoc sermone quum digressi essent,
 et Appius, quamvis ferociter loquentem, collegam, non
 dubitaret, tamen literas super tanta re ab Roma expecta-
 turum; Fulvius, ne id ipsum impedimentum incepto foret,
 dimittens praetorium, tribunis militum ac praefectis socium ³
 imperavit, uti duobus millibus equitum delectis denuntia-
 rent, ut ad tertiam buccinam praesto essent. Cum hoc
 equitatu nocte Teanum profectus, prima luce portam intra-
 vit, atque in forum perrexit: concursuque ad primum equi-
 tum ingressum facto, magistratum Sidicinum citari iussit,
 imperavitque, ut produceret Campanos, quos in custodia
 haberet. Producti omnes, virgisque caesi, ac securi per-
 cussi. Inde citato equo Cales percurrit. Ubi quum in
 tribunali consedisset, productique Campani deligarentur ad
 palum, eques citus ab Roma venit, literasque a C. Calpurnio
 praetore Fulvio et senatusconsultum tradidit. Murmur ab
 tribunali totam concionem pervasit, differri rem integram ad
 Patres de Campanis: et Fulvius, id ita esse ratus, acceptas
 literas, neque resolutas, quum in gremio reposuisset, prae-
 coni imperavit, ut lictorem lege agere iuberet. Ita de iis
 quoque, qui Calibus erant, sumptum supplicium. Tum
 literae lectae senatusque consultum, serum ad impediendam
 rem actam; quae summa ope appropinquata erat, ne impediri
 posset. Consurgentem iam Fulvium Taurca Iubellius ⁴
 Campanus, per mediam vadens urbem turbamque, nomine
 inclamavit: et, quum, mirabundus quidnam sese vellet, re-
 sedisset Flaccus, 'Me quoque,' inquit, 'iube occidi, ut
 'gloriarì possis, multo fortiozem, quam ipse es, virum abs te
 'occisum esse.' Quum Flaccus negaret, 'profecto satis
 'compotem mentis esse: modo, 'prohiberi etiam se, si id
 'vellet, senatusconsulto,' diceret: tum Iubellius, 'Quando-
 'quidem,' inquit, 'capta patria, propinquis amicisque

Senatores
 Campani
 securi per-
 cutiuntur.

Iubellii
 mors.

*eiorum, Latini nominis, municipi-
 orum: sine coniunctione legendum
 censet, et tria genera hominum hic
 designari, Socios, videlicet Italicos,
 Latinos, et municipales aequo foedere
 cum Romanis coniunctos.*

² *Num ope eorum in bello forent
 adiuti]* Post vocem *forent* edd. plures
et municipiorum habent, quas voces
 Kreyssig. et Bekker. delent, sed

Niehr. ii. n. 150. pro vocibus *et mu-
 nicipiorum*, veram lectionem *et admi-
 niculo* in codd. quibusdam cerni scri-
 bit.

³ *Dimittens praetorium]* Eos, quos
 in commune consilium ad se in prae-
 torium vocaverat. cf. supr. xxi. 54.
 DOER.

⁴ *Taurca Iubellius]* cf. Supr. xxiii.
 46.

‘amissis, quum ipse manu mea coniugem liberosque inter- U. C. 541.
 ‘fecerim, ne quid indigni paterentur, mihi ne mortis qui- A. C. 211.
 ‘dem copia eadem est, quae his civibus meis; petatur a
 5 ‘virtute invisae huius vitae vindicta.’ Atque ita gladio,
 quem veste texerat, per adversum pectus transfixus, ante
 pedes imperatoris moribundus procubuit.

Quia, et quod ad supplicium attinet Campanorum, et 16.
 pleraque alia, de Flacci unius sententia acta erant; mor-
 tuum Ap. Claudium sub deditionem Capuae, quidam tra-
 dunt. Hunc quoque ipsum Tauream neque sua sponte
 venisse Cales, neque sua manu interfectum: sed, dum inter
 ceteros ad palum deligatur, quia parum inter strepitus ex-
 audiri possent, quae vociferabatur, silentium fieri Flaccum
 iussisse: tum Tauream illa, quae ante memorata sunt, dix-
 isse, ‘virum se fortissimum ab nequaquam pari ad virtutem
 ‘occidi.’ Sub haec dicta, iussu proconsulis praekonem ita
 pronuntiassse: ‘Lictor, viro forti adde virgas, et in eum pri-
 ‘mum lege age.’ Lectum quoque senatusconsultum, prius-
 quam securi feriret, quidam auctores sunt: sed, quia ascrip-
 tum in senatusconsulto fuerit, ‘si ei videretur, integram
 ‘rem ad senatum reiiceret,’ interpretatum esse, quid magis
 e republica duceret, aestimationem sibi permissam.

6 Capuam a Calibus reditum est, Atellaque et Calatia in
 deditionem acceptae. Ibi quoque in eos, qui capita rerum
 erant, animadversum. Ita ad septuaginta principes senatus
 interfecti; trecenti ferme nobiles Campani in carcerem
 conditi: alii, per sociorum Latini nominis urbes in custo-
 dias dati, variis casibus interierunt: multitudo alia civium Cives Cam-
 7 Campanorum venundata. De urbe agroque reliqua con- pani vendi-
 sultatio fuit, quibusdam delendam censentibus urbem prae- ti.
 validam, propinquam, inimicam. Ceterum praesens utilitas
 vicit. Nam propter agrum, quem omni fertilitate terrae Urbs ser-
 satis constabat primum in Italia esse, urbs servata est, ut vata.
 esset aliqua aratorum sedes. Urbi frequentandae multitudo
 8 incolarum libertinorumque et institorum opificumque re-
 tenta: ager omnis et tecta publica populi Romani facta.
 Ceterum habitari tantum, tanquam urbem, Capuam, fre-
 quentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec senatus, Sed ita ut
 nec plebis concilium, nec magistratus esse. Sine consilio nullum in
 publico, sine imperio multitudinem, nullius rei inter se tis.
 9 sociam, ad consensum inhabilem fore: praefectum ad iura

5 *Huius vitae vindicta*] h. e. Li-
 beratio.

6 *Atellaque et Calatia*] Quae ad
 Poenos defecerant supr. xxii. 61.

7 *Venundata*] h. e. Venundari ius-
 sa est. cf. infr. 34.

8 *Incolarum*] Eorum qui ex alia

aliqua urbe vel regione immigrassent.
 CREV.

9 *Praefectum ad iura reddenda*]
 cf. Supr. ix. 20. Iam vero Capua
praefectura Romana facta est, et om-
 nes tum Campani, tum Romani, iuris-
 dictioni *Praefectorum* subiecti sunt.

U. C. 541. reddenda ab Roma quotannis missuros. Ita ad Capuam
 A. C. 211. res compositae, consilio ab omni parte laudabili. Severe et
 celeriter in maxime noxios animadversum: multitudo civium
 dissipata in nullam spem reditus: non saevitum incendiis
 ruinisque in tecta innoxia murosque: et cum emolumento
 quaesita etiam apud socios lenitatis species, incolumitate
 urbis nobilissimae opulentissimaeque, cuius ruinis omnis
 Campania, omnes, qui Campaniam circa accolunt, populi
 ingemuissent: confessio expressa hosti, quanta vis in Ro-
 manis ad expetendas poenas ab infidelibus sociis, et quam
 nihil in Hannibale auxilii ad receptos in fidem tuendos
 esset.

17. Romani Patres, perfuncti, quod ad Capuam attinebat,
 cura, C. Neroni ex iis duabus legionibus, quas ad Capuam
 habuerat, sex millia peditum, et trecentos equites, quos ipse
 legisset, et socium Latini nominis peditum numerum parem,
 et octingentos equites decernunt. Eum exercitum Puteolis
 in naves impositum Nero in Hispaniam transportavit.
 Quum Tarraconem navibus venisset, expositisque ibi copiis,
 et navibus subductis, socios quoque navales multitudinis
 augendae causa armasset; profectus ad Iberum flumen,
 exercitum ab T. Fonteio et L. Marcio accepit. Inde pergit
 ad hostes ire. Hasdrubal Hamilcaris ad Lapidem atros castra
 habebat in Ausetanis. Is locus est inter oppida Illi-
 turgin et Mentissam. Huius saltus fauces Nero occupavit.
 Hasdrubal, ne in arto res esset, caduceatorem misit, qui
 promitteret, si inde missus foret, se omnem exercitum ex
 Hispania deportaturum. Quam rem quum laeto animo
 Romanus accepisset, diem posterum Hasdrubal colloquio

Nero it in
 Hispaniam.

Hasdrubal
 circumven-
 tus fraude
 elabitur.

¹
²

Praefecturae conditione fere dediticiis
 oppidis aequavit vulgaris sententia,
 et recte, si omnium eadem, quae Ca-
 pitae, conditio fuisset, sed recentissi-
 mi auctores, Savignyum secuti (Gesch.
 des Röm. Rechts. ii. § 14.) praefectura-
 ras a municipiis *Praefecto* tantum,
 unde nomen habent, discrepantes faci-
 unt, quem iuri dicundo quotannis
 ex urbe missum Festus testatur. v.
Praefecturae. Sed, sicut civitates il-
 las universe a dediticiorum conditione
 longe remotas fuisse persuasum ha-
 beas, ita alias aliis deterius iuris fuisse
 vel inde conicias, quod in alias a po-
 pulo, in alias a Praetore lectus, Prae-
 fectus mittebatur. *Praefectus*, si Sa-
 vignyum audiamus, *duumvirorum* vi-
 cem implebat, qui in aliis civitatibus
 liberis civium suffragiis iuri dicundo
 creabantur, sed Fustio non tam ip-
 sius urbis quam regionis iudex fuisse

videtur. cf. Fuss. Rom. Ant. § 126.
 Creuzer. § 212. Cic. ad Divers. xiii.
 11.

1 *Ne in arto res esset*] Ut rem
 suam angustiis expediret, nisi inter-
 pretari malis, ne in arto rem cum
 hostibus gerere cogeretur. RASCH.

2 *Caduceatorem*] Legatum cum
 caduceo, qui pacem peteret. Cadu-
 ceum est virga duorum serpentum
 implexa imagine, qui media corporis
 parte nodo alligati, primisque parti-
 bus inflexi in modum circuli, oscula
 iungunt. Haec est symbolum pacis.
 Hanc Graeci aliaeque gentes legatis
 suis dabant, quum eos mitterent pa-
 cem oraturos. Eam fabulantur ab
 Apolline Mercurio dono datam, in
 mercedem lyrae ab eo acceptae. De
 caduceo vid. Serv. ad Aen. iv. 242.
 CREV.

petivit, ut Romani leges conscriberent de tradendis arcibus U. C. 541.
urbium, dieque statuenda, ad quam praesidia deducerentur, A. C. 211.
suaeque omnia sine fraude Poeni deportarent. Quod ubi
impetravit, extemplo primis tenebris, atque inde tota nocte,
quod gravissimum exercitus erat, Hasdrubal, quacunque
posset, evadere e saltu iussit. Data sedulo opera est, ne
multi ea nocte exirent, ut ipsa paucitas, quum ad hostem
silentio fallendum aptior, tum ad evadendum per artas
semitas ac difficiles esset. Ventum insequenti die ad col-
loquium est: sed loquendo plura scribendoque dedita opera,
quae in rem non essent, die consumpto, in posterum dilatum
est. Addita insequens nox spatium dedit et alios emittendi:
nec postero die res finem invenit. Ita aliquot dies disce-
ptando palam de legibus, noctesque emittendis clam e cas-
tris Carthaginiensibus, absumptae: et, postquam maior pars
3 emissa exercitus erat, iam ne iis quidem, quae ultro dicta
erant, stabatur: minusque ac minus, cum timore simul fide
decrecente, conveniebat. Iam ferme pedestres omnes
copiae evaserant e saltu: quum prima luce densa nebula
saltum omnem camposque circa intexit. Quod ubi sensit
Hasdrubal, mittit ad Neronem, qui in posterum diem col-
loquium differret: illum diem religiosum Carthaginiensibus
ad agendum quicquam rei seriae esse. Ne tum quidem
suspecta fraus. Quum data esset venia eius diei, extemplo
Hasdrubal, cum equitatu elephantisque castris egressus,
sine ullo tumultu in tutum evasit. Hora ferme quarta dis-
pulsasole nebula aperuit diem, vacuaque hostium castra
conspexerunt Romani. Tum demum Claudius, Punicam
fraudem agnoscens, ut se dolo captum sensit, proficiscentem
institit sequi, paratus conflagrare acie: sed hostis detrectabat
pugnam; levia tamen proelia inter extremum Punicum
agmen praecursoresque Romanorum fiebant.

Inter haec Hispaniae populi, nec qui post cladem acce- 18.
ptam defecerant, redibant ad Romanos, nec ulli novi deficie-
bant. Et Romae senatui populoque, post receptam Capuam,
non Italiae iam maior, quam Hispaniae, cura erat; et
4 exercitum augeri et imperatorem mitti placebat: nec
tamen, quem mitterent, satis constabat, quam illud, ubi
duo summi imperatores intra dies triginta cecidissent, qui
in locum duorum succederet, extraordinaria cura deligen-
dum esse. Quum alii alium nominarent, postremum eo
decursus est, ut populus proconsuli creando in Hispaniam

Comitia
proconsuli
creando in
Hispaniam.

3 *Iam ne iis quidem*] Iam Hasdrubal ne iis quidem acquiescebat, quae ultro obtulerat. CREV.

4 *Nec tamen*] In hoc orationis membro particulam *tam* intelligen-

dam esse monet Crev., nisi quis forte pro *tamen* legendum *tam* suspicetur, sed *tamen* omnes codd. apud Drakenb. exhibent.

U. C. 541. comitia haberet: diemque comitiis consules edixerunt.
 A. C. 211. Primo expectaverant, ut, qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur. Quae ut destituta expectatio⁵ est, redintegratus luctus acceptae cladis, desideriumque imperatorum amissorum. Maesta itaque civitas, prope inops consilii, comitiorum die tamen in campum descendit: atque in magistratus versi circumspectant ora principum, aliorum alios intuentium, fremuntque, adeo perditas res desperatumque de republica esse, ut nemo audeat in Hispaniam imperium accipere: quum subito P. Cornelius, illius, qui⁶ in Hispania ceciderat, filius, quattuor et viginti ferme annos natus, professus se petere, in superiore, unde conspici posset, loco constitit. In quem postquam omnium ora conversa sunt, clamore ac favore ominati extemplo sunt felix faustumque imperium. Iussi deinde inire confusum suffragium, ad unum omnes non centuriae modo, sed etiam⁷ homines, P. Scipioni imperium esse in Hispania iusserunt. Ceterum post rem actam, ut iam resederat impetus animorum ardorque, silentium subito ortum et tacita cogitatio, quidnam egissent? num favor plus valuisset quam ratio? Aetatis maxime poenitebat: quidam fortunam etiam domus horrebant nomenque, ex funestis duabus familiis, in eas provincias, ubi inter sepulcra patris patriuque res gerendae essent, proficiscentis. Quam ubi ab re tanto impetu acta sollicitudinem curamque hominum animum ad-⁹vertit, advocata concione, ita de actate sua imperioque

Deligitur
 P. Scipio
 annos 24.
 natus.

19.

⁵ *Nomina profiterentur*] h. e. Se candidatos *profiterentur*, ut rationem eorum magistratus haberet, qui comitiis praefuturus erat.

⁶ *P. Cornelius, illius*] Vulgatam ante Gronovium lectionem, qui pro *illius* praenomen *Publii* legendum coniecit, fide plurium mss. nisus Kreyssig. restituit, sed Bekker. Gronovium sequitur.

⁷ *Inire confusum suffragium*] Quum non caperent interpretes, quo sensu Livius *suffragium* nova plane ratione nunc dixerit *confusum*, alii *confusum* in *confestum* mutant, alii, ut Drakenb. et Bekker. vocem illam deleverunt. Sed quum Romani cura plusquam solita proconsulem in Hispaniam mittendum crearent, non *tributa*, sed *centuriata* praeter ordinem comitia habebant: in quibus, suffragiis centuriarum in unum confusis, non *centuriatim* sed *viritim* suffragia numerarentur. Hinc additur *omnes non centuriae modo, sed etiam homines*. Hoc modo exponit P. Manu-

tius *confusionem suffragiorum* ap. Cic. pro Mur. 23. cf. Ernest. in Clav. Cic. v. *Confusio*. Haec fere Stroth. sed de hac re alia aliis placuerunt. Ap. Sall. de Republ. ii. 8. legem C. Gracchus in tribunatu de magistratibus creandis promulgasse dicitur, *ut ex confusis quinque classibus forte centuriae vocarentur*, unde colligas *confusum suffragium* esse, quando classes confusae essent, et centuriae forte vocatae suffragia ferrent.

⁸ *Omnes non centuriae*] Proconsoles vulgo creatos tributis comitiis probat Nic. Gruchius, de Com. Rom. ii. 2. Sola excipit haec nostra Scipionis comitia. Gronovius putat hic, et infr. 41. huius libri *centurias pro tribubus* a Livio nominatas, quemadmodum alibi saepius *tribus pro centuriis*. Nos rem in medio relinquimus. CREV.

⁹ *Animum advertit*] Ita Gronov. pro vulg. *animadvertit*, quod Stroth. et Bekker. habent.

mandato, et bello, quod gerendum esset, magno elatoque animo disseruit, ut ardorem eum, qui resederat, excitaret rursus novaretque: et impleret homines certioris spei, quam quantum fides promissi humani, aut ratio ex fiducia rerum subicere solet. Fuit enim Scipio non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab iuventa in ostentationem earum compositus: pleraque apud multitudinem, aut per nocturnas visa species, aut velut divinitus mente monita, agens: sive et ipse capti quadam superstitione animi, sive ut imperia consiliaque, velut sorte oraculi missa, sine cunctatione exsequerentur. Ad hoc iam inde ab initio praeparans animos, ex quo togam virilem sumpsit, nullo die prius ullam publicam privatamque rem egit, quam in Capitolium iret, ingressusque aedem consideret, et plerumque solus in secreto ibi tempus tereret. Hic mos, qui per omnem vitam servabatur, seu consulto, seu temere, vulgatae opinioni fidem apud quosdam fecit, stirpis eum divinae virum esse; retulitque famam, in Alexandro Magno prius vulgatam, et vanitate et fabula parem, anguis immanis concubitu conceptum, et in cubiculo matris eius persaepe visam prodigii eius speciem, intervenitque hominum evolutam repente, atque ex oculis elapsam. His miraculis nunquam ab ipso elusa fides est: quin potius aucta arte quadam, nec abnuendi tale quicquam, nec palam affirmandi. Multa alia eiusdem generis, alia vera, alia assimilata, admirationis humanae in eo iuvene excesserant modum: quibus freta tunc civitas, aetati laudquaquam maturae tantam molem rerum, tantumque imperium permisit.

Ad eas copias, quas ex vetere exercitu Hispania habebat, quaeque a Puteolis cum C. Nerone traicetae erant, decem millia militum et mille equites adduntur: et M. Iunius Silanus propractor adiutor ad res gerendas datus est. Ita cum triginta navium classe (omnes autem quinqueremes erant) ostiis Tiberinis profectus praeter oram Tusci maris, Alpes atque Gallicum sinum, et deinde Pyrenaei circum-

Scipionis
artes apud
multitudi-
nem.

Divina
stirpe sa-
tus credi-
tur.

1 *Aut per nocturnas*] Tanquam aut per noctem in somnis ea vidisset, aut instinctu divino moneretur quid esset diis cordi. CREV.

2 *Sive et ipse capti*] Polyb. x. 2. Scipionem nullo modo superstitione laborasse probat, sed commentum esse, ad exemplum Lycurgi Spartani, somnia illa et colloquia cum diis, ut ad exsequenda iussa promptiores, et ad quidlibet audendum alacriores milites essent. CREV.

3 *Ingressusque aedem*] Cellam Iovis hic intelligendam esse monet Du-

ker. cf. Aur. Victor de Vir. Ill. 49. A. Gell. vii. 1.

4 *Et vanitate et fabula parem*] Tam quod ad vanam divinae stirpis gloriam, quam quod ad rem fabulosam de concubitu anguis immanis attinet.

5 *His miraculis*] Huius miraculi ex coniect. Gronov. reposuit Bekker.

6 *Militum*] Milites de peditibus saepe dici movent Gronov. et Drakenb. cf. supr. iv. 59. Cic. ad Divers. x. 23. 34.

U. C. 541. vectus promontorium, Emporiis urbe Graeca (oriundi et 7
A. C. 211. ipsi a Phocaea sunt) copias exposuit: inde sequi navibus
Venit in iussis, Tarraconem pedibus profectus, conventum omnium
Hispaniani. sociorum (etenim legationes ad famam adventus eius ex
omni se provincia effuderant) habuit. Naves ibi subduci
iussit, remissis quattuor triremibus Massiliensium, quae
officii causa ab domo prosecutae fuerant. Responsa inde
legationibus suspensis varietate tot casuum dare coepit, ita
elato ab ingenti virtutum suarum fiducia animo, ut nullum
ferox verbum excideret; ingensque omnibus, quae diceret,
20. quum maiestas inesset, tum fides. Profectus ab Tarracone,
et civitates sociorum et hiberna exercitus adiit: collauda-
vitque milites, quod, duabus tantis cladibus deinceps icti,
provinciam obtinuissent: nec fructum secundarum rerum
sentire hostes passi, omni eis Iberum agro eos arcuissent,
sociosque cum fide tutati essent. Marcium secum habebat
cum tanto honore, ut facile appareret, nihil minus, quam s
vereri, ne quis obstaret gloriae suae. Successit inde Neroni
Silanus, et in hiberna novi milites deducti. Scipio, omni-
bus, quae adeunda agendaque erant, mature aditis peraetis-
que, Tarraconem concessit. Nihilo minor fama apud
hostes Scipionis erat, quam apud cives sociosque, et divi-
natio quaedam futuri; quo minus ratio timoris reddi pote-
rat oborti temere, maiorem inferens metum. In hiberna 9
diversi concesserant: Hasdrubal Gisgonis usque ad Occa-
num et Gades: Mago in mediterranea, maxime supra
Castulonensem saltum: Hasdrubal Hamilcaris filius proxi-
mus Ibero circa Saguntum hibernavit.

Punica
classis ad
Tarentum.

Aestatis eius extremo, qua capta est Capua, et Scipio in 1
Hispaniam venit, Punica classis, ex Sicilia Tarentum
accita ad arcendos comitatus praesidii Romani, quod in
arce Tarentina erat, clauserat quidem omnes ad arcem a
mari aditus; sed assidendo diutius artiozem annonam sociis,
quam hosti, faciebat. Non enim tantum subvehi oppidanis
per pacata litora apertosque portus praesidio navium Puni-
carum poterat, quantum frumenti classis ipsa turba navali

7 *Oriundi et ipsi a Phocaea*] Huic
loco notulam hanc apposuit Clericus.
“Ita loquitur Livius, quod Gallicum
sinum memorans cogitasset de Mas-
silia illic sita, et a Phocaeis, ut no-
tum est, olim condita. Itaque voces
hae *et ipsi* potius cum cogitatione Li-
vii, quam cum eius oratione connexae
sunt.” Nobis suspicio oritur ex eo,
quod infra mentio fit de triremibus
Massiliensium Scipionem officii causa
ab domo persecutis, in narratione na-
vigationis eius aliquot excidisse voces,

in quibus de Massilia scriptor egisset.
CREV.

8 *Nihil minus, quam*] Oratio el-
liptica, quemadmodum *nihil aliud*
quam, sub. *agere*.

9 *Maiorem inferens metum*] Sac-
pius eo omittit Livius, ut in hoc loco,
quum particulae *quo* respondere de-
beat.

1 *Qua capta est*] *Quo* edd. plures,
sed Perizon. ex ratione temporum
qua scribendum probat.

mixta ex omni genere hominum absumebat: ut arcis praesidium etiam sine invecto, quia pauci erant, ex ante praeparato sustentari posset; Tarentinis classique ne invectum quidem sufficeret. Tandem maiore gratia, quam venerat, ²classis dimissa est. Annona haud multum laxaverat: quia, remoto maritimo praesidio, subvehi frumentum non poterat.

Eiusdem aetatis exitu, M. Marcellus ex Sicilia provincia 21.
 quum ad urbem venisset, a C. Calpurnio praetore senatus Marcellus
 ei ad aedem Bellonae datus est. Ibi quum de rebus a se ovans ur-
 gestis dissenuisset, questus leniter non suam magis, quam bem init.
³militum, vicem, quod provincia confecta exercitum deportare
 non licuisset, postulavit, ut triumphanti urbem inire liceret.
 Id non inpetravit. Quum multis verbis actum esset, utrum
 minus conveniret, cuius nomine absentis, ob res prospere
 ductu eius gestas, supplicatio decreta foret, et diis immortalibus habitus honos, ei praesenti negare triumphum: an,
⁴quem tradere exercitum successori iussissent, quod, nisi
 manente in provincia bello, non decerneretur, eum quasi
 debellato triumphare, quum exercitus, testis meriti atque
 immeriti triumphi, abesset; medium visum, ut ovans urbem
 iniret. Tribuni plebis ex auctoritate senatus ad populum
⁵tulerunt, ut M. Marcello, quo die urbem ovans iniret, imperium esset. Pridie, quam urbem iniret, in monte Albano
 triumphavit: inde ovans multam prae se praedam in urbem
⁷intulit. Cum simulacro captarum Syracusarum, catapultae
 ballistaeque, et alia omnia instrumenta belli lata, et pacis
 diuturnae regiaeque opulentiae ornamenta, argenti acrisque
 fabrefacti vis, alia supellex, pretiosaeque vestis, et multa
 nobilia signa, quibus inter primas Graeciae urbes Syracusae
 ornatae fuerant. Punicae quoque victoriae signum, octo
 ducti elephanti. Et non minimum fuit spectaculum cum

² *Dimissa est. Annona*] *Dimissa annonam* Gronov. legendum suspicatur.

³ *Provincia confecta*] Debellato, provincia omnino in ditionem populi Romani redacta. CREV.

⁴ *Successori*] Successor fuit M. Cornelius Cethegus. Vid. Perizon. ad xxv. 41. DUK.

⁵ *Imperium esset*] A proconsulibus et praetoribus, ut qui in urbe imperium non haberent, si Sigonium audiamus, legem de imperio, quo magis triumphantes urbem inirent, saepius latam reperimus, sed aliam eius rei causam fuisse Gruchius censet.

⁶ *In monte Albano*] Hoc sine senatusconsulto faciebant nonnulli imperatores, quibus triumphantibus

inire urbem non concessum fuit. Qui vero in monte Albano triumphum ducebant, si Niebuhrio ii. n. 68. fides danda est, non ideo triumphabant, quod Romae magistratum gerebant, sed quod *Latinas cohortes ducebant*, et quod urbe remoti imperio suo tuti erant. Hanc triumphandi rationem diu intermissam C. Papirius Maso ann. 521. U. C. revocavit, qui criticis aliis auctor huius exempli exstitisse visus est. cf. Plin. H. N. xv. 38. Val. Max. iii. 6. §.

⁷ *Catapultae ballistaeque*] Machinarum et telorum ad oppugnationes urbium singularis generis inventorem fuisse Dionysium tyrannum Siciliae scribit Diod. Sic. xiv. p. 269. Harum perfectorem fuisse Archimedes admodum verisimile est.

U. C. 541. coronis aureis praecedentes Sosis Syracusanus, et Merieus
 A. C. 211. Hispanus: quorum altero duce nocturno Syracusas in-
 troitum erat; alter Nasum, quodque ibi praesidii erat, pro-
 Sosis et Merico agri. Sosis in agro Syracusano, qui aut regius, aut hos-
 tium populi Romani fuisset, et aedes Syracusis, cuius vellet
 eorum, in quos belli iure animadversum esset: Merico His-
 panisque, qui cum eo transierant, urbs agerque in Sicilia
 ex iis, qui a populo Romano defecissent, iussa dari. Id
 M. Cornelio mandatum, ut, ubi ei videretur, urbem agrum-
 que iis assignaret. In eodem agro Belligeni, per quem illec-
 tus ad transitionem Merieus erat, quadringenta iugera agri
 decreta.

Defectio
 urbium
 aliquot Si-
 cularum.

Post profectionem ex Sicilia Marcelli, Punica classis octo
 millia peditum, tria Numidarum equitum exposuit. Ad
 eos Murgantinae desciverunt terrae: secutae defectionem
 earum Hybla et Macella sunt, et ignobiliores quaedam
 aliae. Et Numidae, praefecto Mutine, vagi per totam
 Siciliam, sociorum populi Romani agros urebant. Super
 haec exercitus Romanus iratus, partim quod cum impera-
 tore non devectus ex provincia esset, partim quod in oppidis
 hibernare vetiti erant, segni fungebantur militia: magisque
 iis auctor ad seditionem, quam animus, deerat. Inter has
 difficultates M. Cornelius praetor et militum animos, nunc
 consolando, nunc castigando, sedavit, et civitates omnes,
 quae defecerant, in ditionem redegit: atque ex his Mur-
 gantiam Hispanis, quibus urbs agerque debebatur ex
 senatusconsulto, attribuit.

22.

Manlius
 consulatum
 recusat.

Consules, quum ambo Apuliam provinciam haberent,
 minusque iam terroris a Poenis et Hannibale esset, sortiri
 iussi Apuliam Macedoniamque provincias. Sulpicio Mace-
 donia evenit, isque Laevino successit. Fulvius, Romam
 comitiorum causa arcessitus, quum comitia consulibus ro-
 gandis haberet, praerogativa Veturia iuniorum declaravit
 T. Manlium Torquatum et T. Otacilium. Manlius, qui
 praesens erat, gratulandi causa quum turba coiret, nec
 dubius esset consensus populi, magna circumfusus turba ad
 tribunal consulis venit; petitque, ut pauca sua verba
 audiret, centuriamque, quae tulisset suffragium, revocari
 iuberet. Erectis omnibus expectatione, quidnam postula-
 turus esset, oculorum valetudinem excusavit. 'Impuden-

8 *Alter Nasum*] Non Nasum, sed
 Achradinam a Merico proditam fuisse
 supr. xxv. 30. traditur. De Sosidis
 ductu Livius omnino tacet, ut Peri-
 zon. animadvertit.

9 *Murgantinae desciverunt terrae*]
 Emendationem Gronovii *Murgantini*

desciverunt, omitta voce *terrae*, re-
 posuit Bekker.

1 *Praerogativa Veturia iuniorum*]
 sc. Centuria iuniorum ex Veturia tri-
 bu, quae praerogativam sortita erat.
 cf. supr. v. 18. Fuss. Rom. Ant. § 163.
 infr. xxvii. 6.

‘tem et gubernatorem et imperatorem esse, qui, quum U. C. 541.
 ‘alienis oculis ei omnia agenda sint, postulet sibi aliorum A. C. 211.
 ‘capita ac fortunas committi. Proinde, si videretur, et re-
 2 ‘dire in suffragium Veturiam iuniorum iuberet, et memi-
 ‘nisset in consulibus creandis belli, quod in Italia sit,
 ‘temporumque reipublicae. Vixdum requiesse aures a
 3 ‘strepitu et tumultu hostili, quo paucos ante menses ascen-
 ‘derint prope moenia Romana.’ Post haec quum centuria
 frequens succlamasset, ‘nihil se mutare sententiae, eosdem-
 4 ‘que consules dicturos esse;’ tum Torquatus, ‘Neque ego
 ‘vestros,’ inquit, ‘mores consul ferre potero, neque vos im-
 ‘perium meum. Redite in suffragium, et cogitate bellum
 ‘Punicum in Italia, et hostium ducem Hannibalem esse.’
 Tum centuria, et auctoritate mota viri et admirantium
 circa fremitu, petit a consule, ut Veturiam seniorum citaret:
 ‘Velle se cum maioribus natu colloqui, et ex auctoritate
 ‘eorum consules dicere.’ Citatis Veturiae senioribus, da-
 5 tum secreto in ovili cum his colloquendi tempus. Seniores
 de tribus consulendum dixerunt esse, duobus iam plenis
 honorum, Q. Fabio et M. Marcello; et, si utique novum
 aliquem adversus Poenos consulem creari vellent, M. Vale-
 rium Laevinum egregie adversus Philippum regem terra
 marique res gessisse. Ita de tribus consultatione data, Alii consu-
 senioribus dimissis, iuniores suffragium ineunt. M. Clau- les crean-
 dius Marcellum, fulgentem tum Sicilia domita, et M. Va- tur.
 6 lerium absentes consules dixerunt. Auctoritatem praero-
 7 gativae omnes centuriae secutae sunt. Eludant nunc anti-
 qua mirantes. Non equidem, si qua sit sapientium civitas,
 8 quam docti fingunt magis, quam norunt, aut principes gra-

2 *Et meminisset*] sc. Veturia: sed lectio Gronoviana *meminisse* Crevier. et Stroth. magis placet, quam Bekker. recepit.

3 *Ascenderint*] Vulgo *assederint*, quod merito Crevierio durius videtur, qui ita componi orationem vult, ut *moenia Romana* in recto casu accipi possint. Kreyssig. quum *ascenderent* reposuit, *hostes* haud dubie spectat, qui in voce praeced. *hostili* intelliguntur.

4 *Neque ego vestros*] cf. Dionis Excerpt. 29. in Fragm. Vatican. Hunc enim a Manlio recusatum consulatum Dio ad priscum illum Torquatium refert. De hoc loco A. Maius “Inepta sane haec responsio est, si ad oculorum valetudinem referatur, sed multo aptissima, si ad prisci Torquati severitatem. atque ad odium, quo illum Romana praesertim iuventus ob interfectum filium prosequabantur. Emen-

dandus igitur ex Dione Livius, cuius errorem hodierni fastorum scriptores gregatim sequuntur.” cf. supr. viii. 7.

5 *In ovili*] Id est, in loco cancellis undique clauso, qui propter similitudinem cum iis septis, in quibus stabulantur greges, *Ovile* dicebatur. Eum in locum singulae centuriae, prout citabantur, ingressae, ita suffragium ferebant, ut nemini interim liceret in Ovili esse. Ideo dimittuntur seniores, antequam iuniores suffragium ineant. CREV.

6 *Absentes*] Valerium absentem ab urbe, Marcellum a Campo. Eodem modo locutus est noster, supr. x. 22. CREV.

7 *Eludant nunc*] Rideant, vel ludibrio habeant illos qui antiqua mirantur.

8 *Quam docti fingunt magis*] Platonem intelligit in libris de Republica. SIGON.

U. C. 541. vires temperantioresque a cupidine imperii, aut multitudinem melius moratam censeam fieri posse. Centuriam vero iuniorum seniores consulere voluisse, quibus imperium suffragio mandaret, vix ut verisimile sit, parentum quoque hoc sacculo vilis levisque apud liberos auctoritas fecit.

A. C. 211.

23. Praetoria inde comitia habita. P. Manlius Vulso, et L. Manlius Acidinus, et C. Laetorius, et L. Cincius Alimentus creati sunt. Forte ita incidit, ut comitiis perfectis nuntiaretur, T. Otacilium, quem T. Manlio, nisi interpellatus ordo comitiorum esset, collegam absentem daturus fuisse videbatur populus, mortuum in Sicilia esse. Ludi Apollinares et priore anno fuerant, et, eo anno ut fierent, referente Calpurnio praetore, senatus decrevit, ut in perpetuum voverentur. Eodem anno prodigia aliquot visa nuntiataque sunt. In aede Concordiae Victoria, quae in culmine erat, fulmine icta decussaque, ad Victorias, quae in antefixis erant, haesit, neque inde procidit. Et Anagnia et Fregellis nuntiatum est, murum portasque de coelo tactas: et in foro Subertano sanguinis rivos per diem totum fluxisse, et Ereti lapidibus pluuisse, et Reate mulam peperisse. Ea prodigia hostiis maioribus sunt procurata, et obsecratio in unum diem populo indicta, et novendiale sacrum. Sacerdotes publici aliquot eo anno demortui sunt, novique suffecti: in locum M. Aemilii Numidae decemviri sacrorum M. Aemilius Lepidus: in locum M. Pomponii Mathonis pontificis C. Livius: in locum Sp. Carvillii Maximi auguris M. Servilius. T. Otacilius Crassus pontifex quia exacto anno mortuus erat, ideo nominatio in locum eius non est facta. C. Claudius flamen Dialis, quod exa perperam dederat, flaminio abiit.

Ludi Apollinares voti in perpetuum.

Sacerdotes creati.

24. Per idem tempus M. Valerius Laevinus, tentatis prius per secreta colloquia principum animis, ad indictum ante ad id ipsum concilium Aetolorum classe expedita venit. Ubi quum Syracusas Capuamque captam, in fidem in Sicilia Italiaque rerum secundarum, ostentasset, adiecissetque, iam inde a maioribus traditum morem Romanis colendi socios, ex quibus alios in civitatem atque aequum secum ius acce-

Valerii oratio apud Aetolos.

8 *Ad Victorias, quae in antefixis erant*] Ad statuas Victoriae, quae erant inter antefixa. *Antefixa*, inquit Festus, *quae ex opere figulino tectis affiguntur sub stillicidio*. Et consonat illud Livii xxxiv. 4. *Antefixa fictilia deorum Romanorum*. CREV.

9 *Anagnia*] *Anagninae* edidit Aldus.

1 *Quod exa perperam dederat*] Quod in distribuendis victimae extis aliquid peccaverat. CREV. cf. Val. Max. i. 1. 4.

2 *In fidem*] Ut fidem faceret, res secundas Romanis in Sicilia Italiaque esse. GRONOV.

3 *Adiecissetque*] Apodosim aliquam desiderari censet Raschig. Sed si interpunctionem post *eorum* tollas, oratio optime ita cohaerebit: postquam adiecerat *Aetolos eo in maiore honore futuros* etc., dicta eius Scopas et Dorymachus auctoritate sua affirmaverunt, spes tamen potiundae Aecarnaniae concilium maxime movebat.

‘pissent, alios in ea fortuna haberent, ut socii esse, quam U. C. 541.
‘cives, mallerent. Aetolos eo in maiore futuros honore, quod A. C. 211.
‘gentium transmarinarum in amicitiam primi venissent.
‘Philippum iis et Macedonas graves accolae esse; quorum
‘se vim ac spiritus et iam fregisse, et eo redacturum esse,
‘ut non his modo urbibus, quas per vim ademissent Aetolis,
‘excedant, sed ipsam Macedoniam infestam habeant. Et
‘Acarnanas, quos aegre ferrent Aetoli a corpore suo direm-
‘ptos, restitutum se in antiquam formulam iurisque ac
‘ditionis eorum.’ Haec, dicta promissaque ab Romano Foedus cum Aetolis.
imperatore, Scopas, qui tum praetor gentis erat, et Dory-
machus, princeps Aetolorum, affirmaverunt auctoritate sua,
minore cum verecundia et maiore cum fide vim maiestatem-
que populi Romani extollentes. Maxime tamen spes poti-
undae movebat Acarnaniae. Igitur conscriptae conditiones,
quibus in amicitiam societatemque populi Romani venirent:
additumque, ‘ut, si placeret vellentque, eodem iure ami-
‘citiae Elei, Lacedaemoniique, et Attalus, et Pleuratus, et
‘Scerdilaedus essent.’ (Asiae Attalus, hi Thracum et Illy-
riorum reges). ‘Bellum ut extemplo Aetoli cum Philippo
‘terra gererent: navibus ne minus viginti quinquere milibus
‘adiuvaret Romanus. Urbium Coreyrae tenus ab Aetolia
‘incipienti solum tectaque, et muri cum agris, Aetolorum;
‘alia omnis praeda populi Romani esset: darentque operam
‘Romani, ut Acarnaniam Aetoli haberent. Si Aetoli pa-
4 ‘cem cum Philippo facerent, foederi ascriberent, ita ratam
‘eorum pacem, si Philippus arma ab Romanis sociisque,
‘quique eorum ditionis essent, abstinuisset. Item, si
‘populus Romanus foedere iungeretur regi, ut caveret, ne
‘ius ei belli inferendi Aetolis sociisque eorum esset.’ Haec
convenerunt, conscriptaque biennio post Olympiae ab
Aetolis, in Capitolio ab Romanis, ut testata sacris monu-
mentis essent, sunt posita. Morae causa fuerant retenti
Romae diutius legati Aetolorum. Nec tamen impedimento
id rebus gerendis fuit. Et Aetoli extemplo moverunt ad-
versus Philippum bellum, et Laevinus Zacynthum (parva Res gestae ab Aetolis et a Valerio.
insula est propinqua Aetoliae: urbem unam eodem, quo
ipsa est, nomine habet; eam praeter arcem vi cepit) et
5 Oeniadas Nasumque Acarnanum captas Aetolis contribuit.
Philippum quoque satis implicatum bello finitimo ratus, ne
Italiam Poenosque et pacta cum Hannibale posset respicere,
Coreyram ipse se recepit.

Philippo Aetolorum defectio Pellae hibernanti allata 25.

4 *Ita ratam eorum pacem*] Auctorem Muretum secutus, *ita ratam fore pacem* reposuit Bekker.

5 *Nasumque*] Insula haec erat ad

ostium Acheloi, ut Mullero in Append. vii. § 10. über die Dor. videtur. cf. Polyb. ix. 39.

U. C. 541. est. Itaque, quia primo vere moturus exercitum in Graeciam erat, Illyrios finitimasque iis urbes alterno metu 6
 A. C. 211. Philippus quietas ut Macedonia haberet, expeditionem subitam in
 vicina pacat. Oricinorum atque Apolloniatiū fines fecit: egressosque Apolloniatas, cum magno terrore atque pavore, compulit intra muros. Vastatis proximis Illyrici, in Pelagoniam eadem celeritate vertit iter: inde Dardanorum urbem Sintiam, in Macedoniam transitum Dardanis facturam, cepit. His raptim actis, memor Aetolici iunctique cum eo Romani belli, per Pelagoniam, et Lyncum, et Bottiacam, in Thessaliam descendit. Ad bellum secum adversus Aetolos capessendum incitari posse homines credebat: et, relicto ad fauces Thessaliae Perseo cum quattuor millibus armatorum ad 8
 arcendos aditu Aetolos, ipse, priusquam maioribus occuparetur rebus, in Macedoniam, atque inde in Thraciam exercitum ac Maedos duxit. Incurrere ea gens in Macedoniam solita erat, ubi regem occupatum externo bello, ac sine praesidio esse regnum sensisset. Ad Phragandas igitur vastare agros, et urbem Iamphorinam, caput arcemque Maedicae, oppugnare coepit. Scopas, ubi profectum in Thraciam regem, occupatumque ibi bello audivit, armata omni iuventute Aetolorum, bellum inferre Acarnaniae parat. Adversus quod Acarnanum gens et viribus impar, et iam Oeniadas Nasumque amissa cernens, Romanaque 9
 insuper arma ingruere, ira magis instruit, quam consilio, bellum. Coniugibus liberisque et senioribus supra sexaginta annos in propinquam Epirum missis, ab quindecim ad sexaginta annos coniurant, nisi victores, se non redituros. Qui victus acie excessisset, eum ne quis urbe, tecto, mensa, lare reciperet, diram execrationem in populares, obtestationem quam sanctissimam potuerunt adversus hospites, composuerunt: precatique simul Epirotas sunt, ut, qui suorum in acie cecidissent, eos uno tumulo contegerent, adhiberentque humanis titulum: INC SITI SUNT ACARNANES, QUI, ADVERSUS VIM ATQUE INIURIAM AETOLORUM PRO PATRIA PUGNANTES, MORTEM OCCUBUERUNT. Per hanc incitatis animis, castra in extremis finibus suis obvia hosti posuerunt. Nuntiis ad Philippum missis, quanto res in discrimine esset, omittere Philippum id, quod in manibus erat, coegerunt bellum, Iamphorina per deditionem recepta, et prospero

Acarnaniae bellum inferunt Aetoli.
 Acarnanum coniuratio.

6 *Alterno metu*] *Alternus metus* est, exponente Gronovio, Illyriorum a Macedonibus, ut prius Macedonum ab Illyriis. CREV.

7 *Sintiam, in Macedoniam*] Ita Rubenius pro vulg. *sitam in Macedonia*.

8 *Perseo*] Perseum Philippi regis filium hunc fuisse censet Sigonius,

sed Crevierio aliter placuit, qui unum ex praefectis regiis hic intelligi vult, quippe Philippi filius undecimo abhinc anno, infr. xxxi. 28. puer admodum fuisse dicitur.

9 *Amisssa*] *Oppida* scilicet, ut Drakenb. monet.

alio successu rerum. Aetolorum impetum tardaverat primo U. C. 541.
 coniurationis fama Acarnanicae: deinde auditus Philippi A. C. 211.
 adventus, regredi etiam in intimos coegit fines. Nec Phi-
 lippus, quanquam, ne opprimerentur Acarnanes, itineribus
 magnis ierat, ultra Diuum est progressus. Inde, quum au-
 disset reditum Aetolorum ex Acarnania, et ipse Pellam
 rediit.

Laevinus, veris principio a Coreyra profectus navibus, 26.
 superato Leucata promontorio, quum venisset Naupactum,
 Anticyram inde se petiturum edixit, ut praesto ibi Scopas Anticyram
oppugnat
Laevinus.
 Aetolique essent. Sita Anticyra est in Locride laeva parte
 sinum Cerinthiacum intrantibus. Breve terra iter eo,
 brevis navigatio ab Naupacto est. Tertio ferme post die
 utrimque oppugnari coepta est. Gravior a mari oppugnatio
 erat, quia et tormenta machinaeque omnis generis in navi-
 bus erant, et Romani inde oppugnabant. Itaque intra
 paucos dies recepta urbs per deditionem Aetolis traditur,
 praeda ex pacto Romanis cessit.

Literae Laevino redditae, consulem eum absentem decla-
 ratum, et successorem venire P. Sulpicium. Ceterum,
 diuturno ibi morbo implicitus, serius spe omnium Roman
 venit. M. Marcellus, quum Idibus Martiis consulatum U. C. 542.
A. C. 210.
M. Claudio
IV. M. Va-
lerio II.
Coss.
 inisset, senatum eo die, moris modo causa, habuit: pro-
 fessus, 'nihil se, absente collega, neque de republica, neque
 'de provinciis, acturum. Scire se, frequentes Siculos prope
 'urbem in villis obtrectatorum suorum esse. Quibus, tan-
 'tum abesse, ut per se non liceat palam Romae crimina
 'edita fictaque ab inimicis vulgare, ut, ni simularent, ali-
 'quem sibi timorem, absente collega, dicendi de consule
 'esse, ipse iis extemplo daturus senatum fuerit. Ubi qui-
 'dem collega venisset, non passurum quicquam prius agi,
 'quam ut Siculi in senatum introducantur. Delectum
 'prope a M. Cornelio per totam Siciliam habitum, ut
 'quam plurimi questum de se Roman venirent. Eundem
 'litteris falsis urbem implese, bellum in Sicilia esse, ut
 'suam laudem minuat.' Moderati animi gloriam eo die
 adeptus consul, senatum dimisit; ac prope iustitium omnium
 rerum futurum videbatur, donec alter consul ad urbem ve-
 nisset. Otium, ut solet, excitavit plebis rumores: 'belli
 'diuturnitatem, et vastatos agros circa urbem, qua infesto Querelae
P. R.
 'agnine isset Hannibal, et exhaustam delectibus Italiam, et
 'prope quotannis exercitus caesos' querebantur; 'et consules

1 *Anticyra*] Quum Anticyra a Stra-
 bone modo Locridi, modo Phocidi
 ascripta sit, duas urbes nomine Anti-
 cyras ad sinum Corinthiacum sitas
 esse Drakenb. verisimile videtur. A-

lia quoque eiusdem nominis urbs ad
 Oetam in sinu Maliaco. cf. Hor. Ep.
 ad Pison. 300. *si tribus Anticyris etc.*

2 *Ex pacto*] Conditionibus con-
 scriptis supr. 24.

U. C. 542. 'bellicosos ambo, viros acres nimis et feroces, creatos, qui
A. C. 210. 'vel in pace tranquilla bellum excitare possent, nedum in
'bello respirare civitatem forent passuri.'

27. Interruptit hos sermones nocte, quae pridie Quinquatrus 3

Incendium fuit, pluribus simul locis circa forum incendium ortum.
Romae. Eodem tempore septem tabernae, quae postea quinque, et 4
argenteriae, quae nunc Novae appellantur, arsere. Com-
prehensa postea privata aedificia: neque enim tum basilicae 5
erant: comprehensae lautumiae, forumque piscatorium, et 6
atrium regium. Aedes Vestae vix defensa est tredecim 8
maxime servorum opera, qui in publicum redempti ac ma- 9
numissi sunt. Nocte ac die continuatum incendium fuit. 1
Nec ulli dubium erat, humana id fraude factum esse, quod
pluribus simul locis, et iis diversis, ignes coorti essent.
Itaque consul ex auctoritate senatus pro concione edixit,
qui, quorum opera id conflatum incendium, profiteretur,
Campano- praemium fore, libero pecuniam, servo libertatem. Eo
rum fraude ortum. praemio inductus Campanorum Calaviorum servus (Mannus
ei nomen erat) indicavit, 'dominos et quinque praeterea
'iuvenes nobiles Campanos, quorum parentes a Q. Fulvio
'securi percussi erant, id incendium fecisse; vulgoque fac-
'tuos alia, ni comprehendantur.' Comprehensi ipsi fami-
liaeque eorum. Et primo elevabatur index indiciumque:

3 *Quinquatrus*] Ex Festi sententia, unicus fuit dies Minervae sacer, sic dictus, quod esset post diem quintum Idus mensis Martii. Repugnat Livius, xlv. 20. Et Ovid. Fast. iii. vult illa sacra per quinque dies celebrata, et habere nomen a iunctis quinque diebus. Fortasse primis temporibus unicus tantum dies festus fuerat; postea vero in plures prolatus. Vid. Festum in voce *Quinquatrus*, et ad eum Daerii not. CREV.

4 *Quae postea quinque*] Numeri notam putarunt esse, quae non erat. Habebat enim antiquus liber: *septem tabernae quae postea vet. et argenteriae quae nunc novae appellantur*. Nam ut novae, ita veteres tabernae in foro erant. Unde locorum nomina, *sub veteribus et sub novis*. At illi, deletis duobus literis, quas frustra geminatas putarunt, illud V notam esse quinarum numeri indicabant. cf. Muretus Var. Lect. xvi. 8.

5 *Neque enim tum basilicae erant*] Postea basilicam eo loco post Novas argenterias exstructam esse a M. Fulvio censore memorat Livius xl. 51. *Basilicae* sunt publica aedificia, in quibus senatores deliberare, iudices

causas cognoscere, clientibus homines periti de iure respondere solebant. Mercatores ibidem et nummularii sua tractabant negotia. CREV. cf. infr. xxxix. 44. xlv. 16.

6 *Lautumiae*] Proprie loca, ex quibus excisi sunt lapides, a λᾶς lapis, et τέμνω caedo. Sic vocabatur unus ex carceribus urbis, quod in eo videlicet lapidicinae fuerant. *Carceris lautumiarum* fit mentio infr. xxxii. 26. CREV. cf. Festus v. *Lautumias*.

7 *Forumque piscatorium*] Secundum Tiberim ad Iunium (Ianum quidam) Forum Piscarium vocant. Varr. de L. L. v. 32.

8 *Atrium regium*] Atrium regium Numae Pompilii. Regia Numae erat prope aedem Vestae, cuius infra fit mentio. Sic quoque apud Horatium . . . *monumenta Regis, Templaque Vestae*. CREV.

9 *Aedes Vestae*] Quae in ripa Tiberis effigies pristini sui decoris, adhuc cernitur.

1 *In publicum redempti*] Redempti, ut in potestate populi, non privatorum dominorum essent, ac postea manumissi. CREV.

‘pridie cum verberibus castigatum ab dominis discessisse, U. C. 542.
 ‘per iram ac levitatem ex re fortuita crimen commentum.’ A. C. 210.
 Ceterum ut coram coarguebantur, et quaestio ex ministris
 facinoris foro medio haberi coepta est, fassi omnes, atque in
 dominos servosque conscios animadversum est. Indici
 libertas data, et viginti millia aeris.

Consuli Laevino Capuam praetereunti circumfusa multi-^{Campani}
 tudo Campanorum est, obsecrantium cum lacrimis, ut sibi ^{querelas de}
 Romam ad senatum ire liceret, oratum, si qua misericordia ^{Fulvio de-}
 tandem flecti possent, ne se ad ultimum perditum irent, ^{ferunt ad}
 nomenque Campanorum a Q. Flacco deleri sinerent. Flac- ^{Valerium}
 cus, ‘sibi privatam simultatem cum Campanis,’ negare, ^{Cos.}
 ‘ullam esse: publicas inimicitias et hostiles esse, et futuras,
 ‘quoad eo animo esse erga populum Romanum sciret.
 ‘Nullam enim in terris gentem esse, nullum infestiorum
 ‘populum nomini Romano. Ideo se moenibus inclusos te-
 2 nere eos: quia, si qui evasissent aliqua, velut feras bestias
 ‘per agros vagari, et laniare, et trucidare, quodcumque
 ‘obvium detur. Alios ad Hannibalem transfugisse, alios ad
 ‘Romam incendendam profectos. Inventurum in seminato
 ‘foro consulem vestigia sceleris Campanorum. Vestae
 ‘aedem petitam, et aeternos ignes, et conditum in penetrali
 3 ‘fatale pignus imperii Romani. Se minime censere tutum
 ‘esse, Campanis potestatem intrandi Romana moenia fieri.’
 Laevinus Campanos, iureiurando a Flacco adactos, quinto ^{Romani}
 die, quam ab senatu responsum acceperant, Capuam redi- ^{eunt.}
 turos, sequi se Romam iussit. Hac circumfusus multitu-
 dine, simul Siculis obviam egressis Aetolisque, Romam
 praecivit, clarissimarum urbium excidio celeberrimis viris
 victos bello accusatores in urbem adducens. De republica
 tamen primum ac de provinciis ambo consules ad senatum
 retulere.

Ibi Laevinus, quo statu Macedonia et Graecia, Aetoli, 28.
 Acarnanes Locrique essent, quasque ibi res ipse egisset
 terra marique, exposuit. ‘Philippum, inferentem bellum
 ‘Aetolis, in Macedoniam retro ab se compulsus, ad intima
 ‘penitus regni abisse, legionemque inde deduci posse:
 4 ‘classem satis esse ad arcendum Italia regem.’ Haec de se ^{Provincia-}
 deque provincia, cui praefuerat. Consulum de provinciis ^{rum divi-}
 communis relatio fuit. Decevere Patres, ‘Ut alteri cou- ^{sio.}

2 *Quia ... vagari*] Insolita con-
 structio. cf. supr. iv. 3. et, si non cas-
 dem opes habere.

3 *Fatale pignus*] Palladium, quod
 in aede Vestae ab Aenea in Italiam
 advectum, asservari iactitabant.

4 *Classem satis esse*] Classem sine

legionario nūlite, sociis tantum nava-
 libus instructam. Socii enim nava-
 les, ut probavimus ad xxi. 49. non ii
 solum sunt, qui nautica ministeria
 obcunt, sed et milites tuendis navibus
 attributi. CREV.

U. C. 542. 'sulum Italia bellumque cum Hannibale provincia esset:
 A. C. 210. 'alter classem, cui T. Otacilius praefuisset, Siciliamque pro-
 vinciam cum L. Cincio praetore obtineret.' Exercitus iis
 duo decreti, qui in Etruria Galliaque essent. Eae quattuor
 erant legiones. Urbanae duae superioris anni in Etruriam; 5
 duae, quibus Sulpicius consul praefuisset, in Galliam mitte-
 rentur. Galliae et legionibus praecisset, quem consul, cuius
 Italia provincia esset, praefecisset. In Etruriam C. Cal-
 purnius, post praeturam prorogato in annum imperio, mis-
 sus; et Q. Fulvio Capua provincia decreta, prorogatumque
 in annum imperium. Exercitus civium sociorumque minui
 iussus, ut ex duabus legionibus una legio, quinque millia
 peditum et trecenti equites essent; dimissis, qui plurima
 stipendia haberent: et sociorum septem millia peditum et
 trecenti equites relinquerentur, eadem ratione stipendiorum
 habita in veteribus militibus dimittendis. Cn. Fulvio con-
 suli superioris anni, nec de provincia Apulia, nec de exer-
 citu, quem habuerat, quicquam mutatum. Tantum in an-
 num prorogatum imperium est. P. Sulpicius collega eius
 omnem exercitum, praeter socios navales, iussus dimittere
 est. Item ex Sicilia exercitus, cui M. Cornelius praecisset,
 ubi consul in provinciam venisset, dimitti iussus. L.
 Cincio praetori ad obtinendam Siciliam Cannenses milites
 dati, duarum instar legionum. Totidem legiones in Sardi-
 niam P. Manlio Vulsoni praetori decretae, quibus L. Cor-
 nelius in eadem provincia priore anno praefuerat. Urbanas
 legiones ita scribere consules iussi, ne quem militem face-
 rent, qui in exercitu M. Claudii, M. Valerii, Q. Fulvii,
 fuissent; neve eo anno plures, quam una et viginti, Roma-
 nae legiones essent.

Legiones
21.

29.

Marcello
obvenit
Sicilia.
Siculorum
legatorum
complora-
tio.

His senatusconsultis perfectis, sortiti provincias consules.
 Sicilia et classis Marcello, Italia cum bello adversus Hanni-
 balem Laevino evenit. Quae sors, velut iterum captis Sy-
 racusis, ita exanimavit Siculos, expectatione sortis in con-
 sulum conspectu stantes, ut comploratio eorum flebilesque
 voces et extemplo oculos hominum converterent, et post-
 modo sermones praebuerint. Circumbant enim senatum
 cum veste sordida, affirmantes, 'se non modo suam quem-
 que patriam, sed totam Siciliam, relicturos, si eo Marcellus
 iterum cum imperio redisset. Nullo suo merito eum ante
 implacabilem in se fuisse: quid iratum, quod Romam de
 se questum venisse Siculos sciat, facturum? Obrui Aetnae
 ignibus, aut mergi freto, satius illi insulae esse, quam

5 *Urbanas duae*] Ex multis locis
 Livii constat, *legiones urbanas* ad tu-
 telam urbis scribi, ac deinde fere
 altero anno, interdum etiam eodem,

si ita res posceret, adversus hostem
 duci solitas fuisse. Duk.

6 *Fuissent*] sc. Ex iis, qui fuissent.
 CREV.

7 'velut dedi noxae inimico.' Hae Siculorum querelae, U. C. 542.
 domos primum nobilium circumlatae, celebrataeque sermo- A. C. 210.
 nibus, quos partim misericordia Siculorum, partim invidia
 Marcelli excitabat, in senatum etiam pervenerunt. Postu- Mutantur
 latum a consulibus est, ut de permutandis provinciis senatum provinciae.
 consulerent. Marcellus, 'si iam auditi ab senatu Siculi
 'essent, aliam forsitan futuram fuisse sententiam suam,'
 dicere. 'Nunc, ne quis timore frenari eos dicere posset,
 'quo minus de eo libere querantur, in cuius potestate mox
 'futuri sint, si collegae nihil intersit, mutare se provinciam
 8 paratum esse. Deprecari senatus praecidium; nam,
 'quum extra sortem collegae optionem dari provinciae ini-
 9 quum fuerit, quanto maiorem iniuriam, imo contumeliam
 'esse, sortem suam ad eum transferri?' Ita senatus, quum,
 quid placeret, magis ostendisset, quam decreasset, dimittitur.
 Inter ipsos consules permutatio provinciarum, rapiente fato
 Marcellum ad Hannibalem, facta est: ut, ex quo primus
 adversae pugnae gloriam ceperat, in eius laudem postremus
 Romanorum imperatorum, prosperis tum maxime bellicis
 rebus, eaderet.

Permutatis provinciis, Siculi, in senatum introducti, 30.
 multa de Hieronis regis fide perpetua erga populum Roma- Siculorum
 num verba fecerunt, in gratiam publicam avertentes, 'Hie- oratio in
 ronymum ac postea Hippocratem et Epicydem tyrannos, Marcel-
 'quum ob alia, tum propter defectionem ab Romanis ad lum.
 'Hannibalem, invidiosum fuisse sibi. Ob eam causam et Hie-
 'ronymum a principibus iuventutis prope publico consilio
 'interfectum: et in Epicydis Hippocratisque eadem sep-
 'tuaginta nobilissimorum iuvenum coniurationem factam;
 'quos, Marcelli mora destitutos, quia ad praedictum tempus
 'exercitum ad Syracusas non admovisset, indicio facto,
 'omnes ab tyrannis interfectos. Eam quoque Hippocratis
 'atque Epicydis tyrannidem Marcellum excitasse, Leontinis
 'crudeliter direptis. Nunquam deinde principes Syracusa-
 'norum desisse ad Marcellum transire, pollicerique, se ur-
 'bem, quum vellet, ei tradituros. Sed cum primo vi capere
 'maluisse: dein, quum id neque terra, neque mari, omnia

7 *Dedi noxae*] Discrepancia inter
noxam et *noxam* Oudendorp. ad Sueton.
 Caes. 81. ita constituit, scilicet
noxam vere adiectivum, subintel-
 lecto *culpam* vel *rem*, semper signifi-
 ficare culpam, iniuriam, peccatum:
noxam culpae poenam, unde *noxae*
dare, et hinc quodvis detrimentum
 ac damnum. cf. Ruhnken. Opusc. p.
 743. supr. ii. 59.

8 *Praecidium*] Precari ne decre-
 tum interponatur senatus, quo minus

haec res sui ipsius iudicio et collegae
 permittatur.

9 *Iniuriam, imo contumeliam*] *Ini-*
uria est id quod fit contra ius, *in-*
justice; *contumelia* denotat probum,
affront. CREY.

1 *In gratiam publicam avertentes*] Id
 agentes, ut pro meritis Hieronis in
 populum Romanum gratia toti Syra-
 cusanorum civitati habenda videretur.
 CREY.

U. C. 542. 'expertus, potuisset, auctores traditarum Syracusarum
 A. C. 210. 'fabrum aerarium Sosim, et Mericum Hispanum, quam
 'principes Syracusanorum habere, toties id nequicquam
 'ultra offerentes, praecoptasse: quo scilicet iustiore de causa
 'vetustissimos socios populi Romani trucidaret, ac diriperet.
 'Si non Hieronymus ad Hannibalem defecisset, sed popu-
 'lus Syracusanus et senatus; si portas Marcello Syracusani
 'publice, et non, oppressis Syracusanis, tyranni eorum Hip-
 'pocrates et Epicydes, clausissent; si Carthaginensium
 'animis bellum cum populo Romano gessissent: quid ultra,
 'quam quod fecerit, nisi ut deleteret Syracusas, facere hosti-
 'liter Marcellum potuisse? Certe praeter moenia et tecta
 'exhausta urbis, et refracta ac spoliata deum delubra, diis
 'ipsis ornamentisque eorum ablatis, nihil relictum Syracusis
 'esse. Bona quoque multis adempta, ita ut ne nudo qui-
 'dem solo, reliquiis direptae fortunae, alere sese ac suos
 'possent. Orare se Patres conscriptos, ut, si nequeant
 'omnia, saltem, quae compareant cognoscique possint, re-
 'stitui dominis iubeant.' Talia conquestos quum excedere
 ex templo, ut de postulatis eorum Patres consuli possent, 3
 Laevinus iussisset, 'Maneant imo,' inquit Marcellus, 'ut 4
 'coram his respondeam, quando ea conditione pro vobis,
 'Patres conscripti, bella gerimus, ut victos armis accusatores
 'habeamus. Duae captae hoc anno urbes Capua Fulvium
 31. 'reum, Marcellum Syracusae habeant.' Reductis in curiam
 Siculis re- 'legatis, tum consul, 'Non adeo maiestatis,' inquit, 'populi
 spondet 'Romani imperiique huius oblitus sum, Patres conscripti, 5
 Marcellus. 'ut, si de meo crimine ambigeretur, consul dicturus causam,
 'accusantibus Graecis, fuerim. Sed non, quid ego fecerim, 6
 'in disquisitionem venit, quam quid isti pati debuerint.
 'Qui si non fuerunt hostes, nihil interest, nunc, an vivo Hie-
 'rone, Syracusas violaverim. Sin autem desciverunt, legatos
 'nostros ferro atque armis petierunt, urbem ac moenia
 'clauserunt, exercituque Carthaginensium adversus nos
 'tutati sunt; quis passos esse hostilia, quum fecerint, indig-
 'natur? Tradentes urbem principes Syracusanorum aver-
 'satus sum: Sosim et Mericum Hispanum, quibus tantum

2 *Ita ut ne nudo quidem solo*] sc. Postquam solum fere nudatum erat. Conqueruntur nimirum Syracusani, post spoliata urbem ac domos, etiam reliquias direptae fortunae, id est, privata bona, agros, domos, etc. multis quoque adempta. CREV.

3 *Templo*] In loco enim auguriis consecrato senatus semper habebatur. CREV.

4 *Maneant imo*] Rhenanus ex suo

codice inseruit vocem *imo*, qua ceteri scripti carent. CREV.

5 *Imperiique huius*] Et imperii consularis, quod gero. CREV.

6 *Sed non, quid ego fecerim, in disquisitionem venit, quam*] Particula *tam* in primo membro supplenda est, ut et supr. 18. Monebimus tamen vocem *quam* esse a Gronovio. Pro ea scripti habent *nam*: Andreas et Campanus *sed*. CREV.

7 'crederem, potiores habui. Non estis extremi Syracusano- U. C. 542.
 'rum, quippe qui aliis humilitatem obiciatis. Quis est A. C. 210.
 'vestrum, qui se mihi portas aperturum, qui armatos mili-
 'tes meos in urbem accepturum promiserit? Odistis et ex-
 'secramini eos, qui fecerunt, et ne hic quidem contumeliis
 'in eos dicendis parcitis: tantum abest, ut et ipsi tale quic-
 'quam facturi fueritis. Ipsa humilitas eorum, Patres con-
 'scripti, quam isti obiciunt, maximo argumento est, me
 'neminem, qui navatam operam reipublicae nostrae velit,
 'aversatum esse. Et, antequam obsiderem Syracusas, nunc
 'legatis mittendis, nunc ad colloquium eundo, tentavi pa-
 'cem: et, postquam neque legatos violandi verecundia erat,
 'nec mihi ipsi congresso ad portas cum principibus respon-
 'sum dabatur, multis terra marique exhaustis laboribus,
 'tandem vi atque armis Syracusas cepi. Quae captis acci-
 8 'derint, apud Hannibalem et Carthaginienses victosque
 'iustius, quam apud victoris populi senatum, quererentur.
 'Ego, Patres conscripti, Syracusas spoliatas si negaturus
 'essem, nunquam spoliis earum urbem Romani exornarem.
 'Quae autem singulis victor aut adem, aut dedi, quum
 'belli iure, tum ex cuiusque merito, satis scio me fecisse.
 9 'Ea vos rata habeatis, Patres conscripti, nae magis reipu-
 'blicae interest, quam mea. Mea quippe fides exsoluta est:
 'ad rempublicam pertinet, ne acta mea rescindendo, alios in
 'posterum segniores duces faciatis. Et quoniam coram et
 'Siculorum et mea verba audistis, Patres conscripti, simul
 'templo excedemus, ut, me absente, liberius consuli senatus
 'possit.' Ita dimissis Siculis, et ipse in Capitolium ad de-
 lectum discessit. Consul alter de postulatis Siculorum ad
 1 Patres retulit. Ibi quum diu de sententiis certatum esset, et
 magna pars senatus, principe eius sententiae T. Manlio Tor-
 quato, 'cum tyrannis bellum gerendum fuisse,' censerent,
 'hostibus et Syracusanorum et populi Romani: et urbem
 2 'recipi, non capi: et receptam legibus antiquis et libertate
 'stabiliri, non fessam miseranda servitute bello affligi. Inter
 'tyrannorum et ducis Romani certamina, praemium victoris
 'in medio positam urbem pulcherrimam ac nobilissimam

32.

7 *Extremi Syracusanorum*] se. Infimae inter Syracusanos sortis, ut qui Merico et Sosidi humilitatem exprobetis. Vult enim Marcellus dicere; quum vos et ipsi ex principibus Syracusanorum sitis, quos urbem mihi tradituros fuisse iactatis, quis est vestrum etc. RASCHIG.

8 *Victosque*] *Victos secum* ex e-mendatione Gronovii, licet nullus codex astipuletur, reposuit Bekker.

Doer. autem simpliciter dedit *victos*, quod Colbert. probat.

9 *Ea vos rata habeatis*] Intellige *ut*, ex more admodum usitato. CREV.

1 *De sententiis*] Praepositionem delendam censet Gronov. quem Bekker secutus est.

2 *Recipi, non capi*] Intellige vocem *oportuisse*, quae in antecedenti *gerendum fuisse* latet.

U. C. 542. ‘periisse, horreum atque aerarium quondam populi Ro-
 A. C. 210. ‘mani: cuius munificentia ac donis multis tempestatibus,
 ‘hoc denique ipso Punico bello, adiuta ornataque respublica
 ‘esset. Si ab inferis existat rex Hiero, fidissimus imperii
 ‘Romani cultor, quo ore aut Syracusas, aut Romam ei
 ‘ostendi posse? quum, ubi semirutam ac spoliata patriam
 ‘respexisset, ingrediens Romam in vestibulo urbis, prope in 3
 ‘porta, spolia patriae suae visurus sit?’ Haec taliaque
 quum ad invidiam consulis miserationemque Siculorum di-
 cerentur, mitius tamen decreverunt Patres causa Marcelli:
 ‘Quae is gerens bellum victorque egisset, rata habenda esse.
 ‘In reliquum curae senatui fore rem Syracusanam, manda-
 ‘tuosque consuli Laevino, quod sine iactura reipublicae
 ‘fieri posset, fortunis eius civitatis consuleret.’ Missis
 duobus senatoribus in Capitolium ad consulem, uti rediret
 in curiam, et introductis Siculis, senatusconsultum recitatum
 est: legatique, benigne appellati ac dimissi, ad genua se
 Marcelli consulis proiecerunt, obsecrantes, ‘ut, quae deplo-
 ‘randae ac levandae calamitatis causa dixissent, veniam iis
 ‘daret, et in fidem clientelamque se urbemque Syracusas ac-
 ‘ciperet.’ Post haec consul clementer appellatos dimisit.

Senatus-
consultum
de Syracu-
sanorum
rebus.

Syracusae
in clientela
Marcelli.

33.

Campanis
datur sena-
tus.

Campanis deinde senatus datus est, quorum oratio misera-
 bilior, causa durior erat. Neque enim meritas poenas ne-
 gare poterant, nec tyranni erant, in quos culpam conferrent:
 sed satis pensum poenarum, tot veneno absumptis, tot se-
 curi percussis senatoribus, credebant. ‘Paucos nobilium
 ‘superstitis esse, quos nec sua conscientia, ut quicquam de
 ‘se gravius consulerent, impulerit, nec victoris ira capitis 4
 ‘damnaverit; eos libertatem sibi suisque, et bonorum ali-
 ‘quam partem orare, cives Romanos, affinitatibus plerosque
 ‘et propinquis iam cognationibus ex connubio vetusto 5
 ‘iunctos.’ Summotis deinde e templo, paullisper dubi-
 tatum, an arcessendus a Capua Q. Fulvius esset, (mortuus
 enim post captam Claudius consul erat) ut coram impe- 6
 ratore, qui res gessisset, sicut inter Marcellum Siculosque
 disceptatum fuerat, disceptaretur: dein, quum M. Atilium,
 C. Fulvium fratrem Flacci, legatos eius, ac Q. Minucium et

3 *Prope in porta*] Ad portam Ca-
 penam erant templa a Marcello dedi-
 cata, et spoliis Syracusarum exornata,
 ut memoravit Livius supr. xxv. 40.
 CREV.

4 *Gravius consulerent*] sc. Morte
 sibi consciscenda.

5 *Ex connubio vetusto*] Connubium peregrinis cum civibus Romanis
 non erat. Quum vero Campanis ann.
 U. C. 417. civitas sine suffragio data
 esset, municipes Romani fiebant, ne-

que amplius peregrinis annumeraban-
 tur. Unde connubium iis cum Ro-
 manis vetustum fuisse patet. cf. supr.
 viii. 14.

6 *Claudius consul*] Ob prorogatum
 consulare imperium consul dicitur,
 qui proconsul appellandus erat, quem-
 admodum paullo post de Fulvio et
 Claudio: *In consilio . . . consulibus*.
 Saepe autem, sicut praetorem pro
 propraetore, ita consulem pro pro-
 consule dici animadvertit Drakenb.

L. Veturium Philonem, item Claudii legatos, qui omnibus U. C. 542.
 gerendis rebus affuerant, in senatu viderent, nec Fulvium A. C. 210.
 advocari a Capua, nec differri Campanos vellent; interro- M. Atilii
 gatus sententiam M. Atilius Regulus, cuius ex iis, qui ad sententia.
 Capuam fuerant, maxima auctoritas erat: ‘In consilio,’
 7 inquit, ‘arbitror me fuisse consulibus, Capua capta, quum
 ‘quaereretur, cequis Campanorum de republica nostra bene
 ‘meritus esset: duas mulieres compertum est, Vestiam
 ‘Oppiam Atellanam Capuae habitantem, et Fanculam Clu-
 ‘viam, quae quondam quaestum corpore fecisset; illam
 ‘quotidie sacrificasse pro salute et victoria populi Romani;
 ‘hanc captivis egentibus alimenta clam suppeditasse.
 ‘Ceterorum omnium Campanorum eundem erga nos ani-
 ‘mum, quem Carthaginensium, fuisse: securique percussos
 ‘a Q. Fulvio esse magis, quorum dignitas inter alios, quam
 ‘quorum culpa eminebat. Per senatum agi de Campanis,
 ‘qui cives Romani sunt, iniussu populi non video posse:
 8 idque et apud maiores nostros in Satricanis factum est,
 ‘quum defecissent, ut M. Antistius tribunus plebis prius ro-
 9 gationem ferret, sciretque plebs, uti senatui de Satricanis
 ‘sententiae dicendae ius esset. Itaque censeo, cum tri-
 ‘bunis plebis agendum esse, ut eorum unus pluresve roga-
 ‘tionem ferant ad plebem, qua nobis statuendi de Campanis
 ‘ius fiat.’ L. Atilius tribunus plebis ex auctoritate senatus
 plebem in haec verba rogavit: ‘Omnes Campani, Atellani,
 ‘Calatini, Sabatini, qui se dediderunt in arbitrium ditio-
 ‘nemque populi Romani Fulvio proconsuli, quaeque una
 ‘secum dediderunt, agrum urbemque, divina, humanaque,
 ‘utensiliaque, sive quid aliud dediderunt; de iis rebus quid
 ‘fieri velitis, vos rogo, Quirites.’ Plebes sic iussit: ‘Quod
 1 ‘senatus iuratus, maxima pars, censeat, qui assidetis, id
 ‘volumus iubemusque.’ Ex hoc plebeiscito senatus con- 34.
 sultus ‘Oppiae Cluviaeque primum bona ac libertatem Senatus-
 ‘restituit: si qua alia praemia petere ab senatu vellent, consultum
 ‘venire eas Romam.’ Campanis in familias singulas decreta de Campa-
 nis.

7 *Arbitror*] Duker. quaerit, cur
arbitrari se dicit, quod hand dubie
 pro certo sciebat. Ceterum voce *ar-*
bitror uti solebant etiam testes, licet
 iurati aliquid deferrent. cf. supr. iiii.
 13. iv. 40. Cic. pro Font. 12.

8 *In Satricanis*] De Satricanorum
 defectione cf. supr. ix. 16. ubi tamen
 rei hic memoratae nulla fit mentio.
 DOER.

9 *Sciretque plebs*] Dubitari potest,
 utrum mendum sit in verbo *sciret*.
 legendumque sit, *scisceret*; an vero
 haec verba *scio* et *scisco* promiscui
 sint usus, et alterum alterius locum

ac vices obtinere possit. Quemad-
 modum enim hic *sciret* pro *scisceret*,
 sic apud Plautum in Amphitr. Act.
 v. Sc. 1. *ut sciscam quid velit*, id est,
ut sciam; et apud nostrum infr. xxvii.
 35. *et praesciscere, quam quisque eo-*
rum provinciam . . . haberet. CREV.

1 *Senatus iuratus*] Iuratum sena-
 tum in rebus gravioribus sententiam
 dixisse, et apud Ciceronem passim in-
 venit, et ap. Livium infr. xxx. 40.
 xlii. 21. Illud *qui assidetis* propterea
 addi, ne forte in infrequentia senatus
 aliqua mora faciendi senatusconsulti
 esse posset, monet Gronov.

U. C. 542. facta, quae non operae pretium est omnia enumerare.
 A. C. 210. 'Aliorum bona publicanda: ipsos liberosque eorum et con-
 iuges vendendas, extra filias, quae enupsissent prius, quam
 in populi Romani potestatem venirent. Alios in vincula
 condendos, ac de his posterius consulendum.' Aliorum
 Campanorum summam etiam census distinxerunt, publi-
 canda necne bona essent; 'pecua captiva, praeter equos, et
 mancipia, praeter puberes virilis sexus, et omnia, quae solo
 non continerentur, restituenda,' censuerunt, 'dominis.
 Campanos omnes, Atellanos, Calatinos, Sabatinos, extra
 quam, qui eorum, aut ipsi aut parentes eorum, apud
 hostes essent, liberos esse,' iusserunt, 'ita ut nemo eorum
 civis Romanus, aut Latini nominis esset: neve quis eorum,
 qui Capuae fuissent, dum portae clausae essent, in urbe
 agrove Campano intra certam diem maneret. Locus, ubi
 habitarent, trans Tiberim, qui non contingeret Tiberim,
 daretur. Qui nec Capuae, nec in urbe Campana, quae a
 populo Romano defecisset, per bellum fuissent, eos cis
 Lirim amnem Romam versus; qui ad Romanos transissent
 prius, quam Hannibal Capuam veniret, cis Vulturum
 emovendos,' censuerunt: 'ne quis eorum propius mare
 quindecim millibus passuum agrum aedificiumve haberet.
 Qui eorum trans Tiberim emoti essent, ne ipsi posterve
 eorum uspiam pararent haberentve, nisi in Veiente, aut
 Sutрино, Nepesinove agro: dum ne cui maior, quam quin-
 quaginta iugerum, agri modus esset. Senatorum omnium,
 quique magistratus Capuae, Atellae, Calatiae gessissent,
 bona venire Capuae,' iusserunt: 'libera corpora, quae
 venundari placuerat, Romam mitti, ac Romae venire.
 Signa, statuas aeneas, quae capta de hostibus dicerentur,
 quae eorum sacra ac profana essent, ad pontificum colle-
 gium' reiecerunt. Ob haec decreta maestiores aliquanto,
 quam Romam venerant, Campanos dimiserunt. Nec iam
 Q. Fulvii saevitiam in sese, sed iniquitatem deum atque ex-
 secrabilem fortunam suam incusabant.

35. Dimissis Siculis Campanisque, delectus habitus. Scripto
 deinde exercitu, de remigum supplemento agi coeptum.

2 *Enupsissent*] sc. E patris domo
 per nuptias exiissent.

3 *Summam etiam census distin-
 xerunt*] *Summa* est multitudo, turba,
 ut sensus sit; reliqui Campani, in quos
 singulos non decretum erat, secun-
 dum census puniti sunt. ERNEST.
 Ceterum alii *distinxerunt* ad nomina-
 tivum *senatores* referunt, inter quos
 Crevier. et Raschig. numerandi sunt.

4 *Campanos omnes . . . liberos esse,
 iusserunt*] Ex his verbis, et iis quae

sequuntur, patet Livium, dum scripsit
 supr. 16. multitudinem civium Cam-
 panorum venundatam, magis osten-
 disse, quid facere decreverit Flaccus,
 quam quid fecerit. Nempe ille ius-
 serat Campanos venundari. At, re
 in hoc tempus extracta, senatus eius
 decretorum severitatem hac quidem
 in parte mitigavit. CREV.

5 *Pararent haberentve*] Nempe
 agrum aedificiumve. DOER.

In quam rem quum neque hominum satis, nec, ex qua U. C. 542.
 pararentur, stipendiumque acciperent, pecuniae quicquam A. C. 210.
 6 ea tempestate in publico esset, edixerunt consules, ut pri- Edictum
 7 vati ex censu ordinibusque, sicut antea, remiges darent cum Coss. de
 stipendio cibariisque dierum triginta. Ad id edictum tan- remigibus
 tus fremitus hominum, tanta indignatio fuit, ut magis dux, dandis.
 quam materia, seditioni deesset. ‘Secundum Siculos Cam- Querelas
 ‘panosque plebem Romanam perdendam lacerandamque excitat.
 ‘sibi consules sumpsisse. Per tot annos tributo exhaustos
 ‘nil reliqui praeter terram nudam ac vastam, habere.
 ‘Tecta hostes incendisse, servos agri cultores rempublicam
 ‘abduxisse, nunc ad militiam parvo aere emendo, nunc
 ‘remiges imperando. Si quid cui argenti aerisve fuerit,
 ‘stipendio remigum et tributis annuis ablatum. Se, ut
 ‘dent, quod non habeant, nulla vi, nullo imperio cogi posse.
 ‘Bona sua venderent: in corpora, quae reliqua essent, sae-
 ‘virent. Ne unde redimantur quidem, quicquam super-
 ‘esse.’ Haec non in occulto, sed propalam in foro atque
 oculis ipsorum consulum ingens turba circumfusi fremebant:
 nec eos sedare consules, nunc castigando, nunc consolando,
 poterant. Spatium deinde his tridui se dare ad cogitandum
 dixerunt: quo ipsi ad rem inspiciendam expediendamque
 36. Consilia ea
 40. de re.
 41. ubi quum multa disseruissent, cur aequa
 plebis recusatio esset, verterunt orationem eo, ut dicerent,
 ‘Privatis id, seu aequum, seu iniquum, onus iniungendum
 ‘esse. Nam unde, quum pecunia in aerario non esset,
 8 ‘paraturos navales socios? Quomodo autem sine classibus
 ‘aut Siciliam obtineri, aut Italia Philippum arceri posse,
 ‘aut tuta Italiae litora esse?’ Quum in hac difficultate re-
 ‘rum consilium haereret, ac prope torpor quidam occupasset
 36. Laevini
 40. Cos. sen-
 41. tentia.
 hominum mentes, tum Laevinus consul, ‘Magistratus
 ‘senatui, et senatum populo, sicut honore praestent, ita ad
 ‘omnia, quae dura atque aspera essent, subeunda duces de-
 ‘bere esse. Si quid iniungere inferiori velis, id prius in te
 9 ‘ac tuos si ipse iuris statueris, facilius omnes obedientes
 1 ‘habeas. Nec impensa gravis est, quum ex ea plus quam
 ‘pro virili parte sibi quemque capere principum vident.
 ‘Itaque classes habere atque ornare volumus populum Ro-
 ‘manum? privatos sine recusatione remiges dare? nobismet
 ‘ipsis primum imperemus. Aurum, argentum, aes signatum
 ‘omne senatores crastino die in publicum conferamus: ita

6 *In publico*] sc. Aerario. DOER.

7 *Sicut antea*] cf. Supr. xxiv. 11.

8 *Navales socios*] Socii navales hoc loco sunt remiges, ut ex praecedenti-
 bus constat. CREV.

9 *Iuris*] Hic non quod per leges fieri debet, sed quod officio erga patriam convenit, intelligendum est.

1 *Gravis est*] Ceteris civibus gravis esse videbitur.

U. C. 542. ⁶ ut annulos sibi quisque, et coniugi, et liberis, et filio bul-
 A. C. 210. ¹ lam, et, quibus uxor filiaeve sunt, singulas uncias pondo 2
³ auri relinquunt; argenti, qui curuli sella sederunt, equi
³ ornamenta et libras pondo, ut salinum patellamque deorum
³ causa habere possint. Ceteri senatores libram argenti
³ tantum, aeris signati quina millia in singulos patres familiae
³ relinquamus. Ceterum omne aurum, argentum, aes sig-
⁴ natum, ad triumviros mensarios extemplo deferamus, nullo
⁴ ante senatusconsulto facto: ut voluntaria collatio et cer-
⁴ tamen adiuvandae reipublicae excitet ad accumulandum ani-
⁴ mos primum equestris ordinis, dein reliquae plebis. Hanc
⁴ unam viam, multa inter nos collocti, consules invenimus.
⁵ Ingredimini, diis bene iuvantibus. Respublica incolumis
⁵ et privatas res facile salvas praestat: publica prodendo, tua
⁵ nequicquam serves.' In haec tanto animo consensum est,
 Magistr. et ut gratiae ultro consulibus agerentur. Senatu inde misso,
 senatores pecuniam sponte conferunt. pro se quisque aurum, argentum et aes in publicum confe-
 Idem faci- piundo, nec scribae referundo sufficerent. Hunc consensum 6
 unt eque- senatus equester ordo est secutus: equestris ordinis, plebes.
 ter ordo et plebs. Ita sine edicto, sine coercitione magistratus, nec remige in
 supplementum, nec stipendio respublica eguit: paratisque
 omnibus ad bellum, consules in provincias profecti sunt.

37.

Paria tum omnia inter Romanos Poenoscque.

Neque aliud tempus belli fuit, quo Carthaginenses Ro-
 manique pariter variis casibus immixti magis in ancipiti spe
 ac metu fuerint. Nam Romanis et in provinciis, hinc in
 Hispania adversae res, hinc prosperae in Sicilia, luctum et
 laetitiam miscuerant: et in Italia, quum Tarentum amissum
 damno et dolori, tum arx cum praesidio retenta praeter
 spem gaudio fuit: et terrorem subitum pavoremque urbis
 Romae obsessae et oppugnatae Capua post dies paucos
 capta in laetitiam vertit. Transmarinae quoque res quadam 7

1 *Et filio bullam*] Pueri ingenui bullam auream in figuram cordis formatam e collo suspensam ante pectus gerebant: quam simul cum toga praetexta, ubi in viros ascribebantur, deponebant. Libertinorum filii pro bulla aurea lorum in collo, sive bullam scorteam praeferebant. Vid. Macrobi. Saturn. i. 6. et Ascon. in Cic. Verr. iii. CREV.

2 *Singulas uncias pondo auri*] Ita ut uxor filiaeque singulas uncias auri habeant ad ornatum suum. Aliquid tamen morae facere potest quod discimus infr. xxxiv. 1. sc. cautum fuisse lege Oppia, paucis ante hoc tempus annis lata, ne qua mulier plus semina-

cia auri haberet. Crevicius legem aliquando neglectam fuisse censet; Gronovius filiaeque legendum vult, ita ut singulae auri unciae non solum uxoribus, sed earum filiabus simul relictas essent.

3 *Salinum patellamque deorum causa*] Salinum et patella, in qua diis apponebantur epulae, maximae religioni apud antiquos erant. CREV.

4 *Triumviros mensarios*] cf. Supr. xxiii. 21. xxiv. 17.

5 *Respublica incolumis*] cf. Thuc. ii. 60.

6 *Referundo*] Nempe in tabulas.

7 *Quadam vice pensatae*] Varietate eventuum ita mistae, ut alternante

vice pensatae. Philippus hostis tempore haud satis oppor- U. C. 542.
 tuno factus; Aetoli novi asciti socii, Attalusque Asiae rex, A. C. 210.
 iam velut despondente fortuna Romanis imperium orientis.

Carthaginenses quoque Capuam amissam et Tarentum
 captum aequabant: et, ut ad moenia urbis Romanae nullo
 prohibente se pervenisse in gloria ponebant, ita pigebat
 irriti incepti; pudebatque adeo se spretos, ut, sedentibus

8 Hispaniam duceretur. Ipsae quoque Hispaniae, quo pro-
 prius spem venerant, tantis duobus ducibus exercitibusque
 caesis, debellatum ibi, ac pulsos inde Romanos esse; co-
 plus, ab L. Marcio tumultuario duce ad vanum et irritum
 victoriam redactam esse, indignationis praebebant. Ita
 aequante fortuna, suspensa omnia utrimque erant, integra
 spe, integro metu, velut illo tempore primum bellum
 inciperent.

Hannibalem ante omnia angebat, quod Capua, pertina- 38.
 cius oppugnata ab Romanis, quam defensa ab se, multo- Hannibalis
 rum Italiae populorum animos averterat: quos neque om- anxietas.
 nes tenere praesidiis, nisi vellet in multas parvasque partes
 carpere exercitum, quod minime tum expediebat, poterat:

9 nec, deductis praesidiis, spei liberam vel obnoxiam timori so-
 ciorum relinquere fidem. Praeceptum in avaritiam et crudelita-

tem animus ad spolianda, quae tueri nequibat, ut vastata hosti Vastat
 relinquerentur, inclinavit. Id foedum consilium, quum in- quae tueri
 cepto, tum etiam exitu fuit. Neque enim indigna patien- nequit.
 tium modo abalienabantur animi, sed ceterorum etiam:

quippe ad plures exemplum, quam calamitas, pertinebat.
 Nec consul Romanus tentandis urbibus, sicunde spes aliqua
 se ostendisset, deerat. Salapiae principes erant Dasius et

Blattius: Dasius Hannibali amicus; Blattius, quantum ex Blattius et
 tuto poterat, rem Romanam fovebat, et per occultos nun- Dasius Sa-
 tios spem prodicionis fecerat Marcello; sed sine adiutore lapiae
 Dasio res transigi non poterat. Multum ac diu cunctatus, principes.

et tum quoque magis inopia consilii potioris, quam spe
 effectus, Dasium appellabat. At ille, quum ab re aversus,
 tum aemulo potentatus inimicus, rem Hannibali aperit.

Arcesso utroque, Hannibal quum pro tribunali quaedam
 ageret, mox de Blattio cogniturus, starentque summoto
 populo accusator et reus: Blattius de prodicione Dasium
 appellabat. ‘Enimvero,’ ille, velut in manifesta re, exclam-

at, ‘sub oculis Hannibalis secum de prodicione agi.’

fortuna adversa prosperis pensaren-
 tur. CREV.

8 *Propius spem venerant*] sc. Car-
 thaginienses. DUK.

9 *Spei liberam*] Relinquere socios

in eo statu, ubi fides eorum vel spem
 veniae feliciorisque conditionis ab Ro-
 manis ostentatam libere sequi, vel ti-
 more concuti posset. CREV.

U. C. 542. Hannibali atque iis, qui aderant, quo audacior res erat, A. C. 210. minus similis veri visa est. ‘Aemulationem profecto atque ‘odium esse: et id crimen afferri, quod, quia testem habere ‘non posset, liberius fingenti sit.’ Ita inde dimissi sunt. Nec Blattius ante abstinit tamen tam audaci incepto, quam idem obtundendo, docendoque, quam ea res ipsis patriaeque salutaris esset, pervicit, ut praesidium Punicum (quingenti autem Numidae erant) Salapiaque traderetur Marcello. Nec sine caede multa tradi potuit: longe fortissimi equitum toto Punico exercitu erant. Itaque, quanquam improvisa res fuit, nec usus equorum in urbe erat, tamen, armis inter tumultum captis, et eruptionem tentaverunt, et, quum evadere nequirent, pugnantes ad ultimum occubuerunt. Nec plus quinquaginta ex his in potestatem hostium vivi venerunt; plusque aliquanto damni haec ala equitum amissa Hannibali, quam Salapia, fuit: nec deinde unquam Poenus, quo longe plurimum valuerat, equitatu superior fuit.

39. Per idem tempus, quum in arce Tarentina vix inopia tolerabilis esset, spem omnem praesidium, quod ibi erat, Romanum praefectusque praesidii atque arcis M. Livius in com meatibus ab Sicilia missis habebant. Qui ut tuto praeterveherentur oram Italiae, classis viginti ferme navium Rhegii stabat. Praecerat classi com meatibusque D. Quinctius, obscuro genere ortus, ceterum multis fortibus factis gloria militari illustris. Primo quinque naves, quarum maximae duae triremes a Marcello ei traditae erant, habuit: postea rem impigre saepe gerenti tres additae quinqueres: postremo ipse a sociis, Rheginisque, et a Velia, et a Paesto, debitas ex foedere exigendo, classem viginti navium, sicut ante dictum est, effecit. Huic ab Rhegio profectae classi Democrates, cum pari classe navium Tarentinarum numero, quindecim millia ferme ab urbe ad Sacriportum obviis fuit. Velis tum forte, improvidus futuri certaminis, Romanus veniebat. Sed circa Crotonem Sybarimque suppleverat remigio naves, instructamque et armatam egregie pro magnitudine navium classem habebat: et tum forte sub idem fere tempus et venti vis omnis cecidit, et hostes in conspectu fuere, ut ad componenda arma-menta, expediendumque remigem ac militem ad imminens certamen satis temporis esset. Raro alias tantis animis 3

Salapia
tradita
Marcello.

In Taren-
tina arce
inopia.

D. Quin-
ctius dux
Rom. clas-
sis.

Proelium
Rom. et
Tarentinae
classis.

1 *Quingenti autem Numidae erant*] Repositus est numerus ab Sigonio et Gronovio ex Val. Max. iii. 8. qui hanc eandem rem memorans quingentos Numidas eum Salapia Marcello traditos esse memorat. Vulgo *hi autem Numidae erant*. CREV.

2 *Pari classe*] Vocem *classe* ut-

pote superfluum, atque etiam odiosam, delendam censet Crevier.

3 *Satis temporis esset*] Quia ventus subito cadens morae hostibus fuit. Cui tamen hoc non satisfaciet, is legat, contrario plane sensu, ex vet. lib. Sigonii, *vix satis*. CREV.

4 iustae concurrerunt classes; quippe quum in maioris dis- U. C. 542.
 5 crimen rei, quam ipsae erant, pugnarent: Tarentini, ut, re- A. C. 210.
 6 cuperata urbe ab Romanis post centesimum prope annum,
 arcem etiam liberarent; spe commectus quoque hostibus,
 si navali proelio possessionem maris ademissent, interclu-
 suos: Romani, ut, retenta possessione arcis, ostenderent,
 non vi aut virtute, sed prodicione ac furto, Tarentum amis-
 sum. Itaque ex utraque parte signo dato quum rostris
 concurrissent, neque navem inhiherent, nec dirimi ab se
 hostem paterentur, quam quis indeptus navem erat, ferrea
 iniecta manu; ita conserebant ex propinquo pugnam, ut
 non missilibus tantum, sed gladiis etiam prope collato pede
 gereretur res. Prorae inter se iunctae haerebant, puppes
 7 alieno remigio circumagebantur. Ita in arto stipatae erant
 naves, ut vix ullum telum in mari vanum intercideret.
 Frontibus velut pedestris acies urgebant, perviaeque naves
 pugnantis erant. Insignis tamen inter ceteras pugna
 fuit duarum, quae primae agminis concurrerant inter se.
 In Romana nave ipse Quinctius erat, in Tarentina Nico, Quinctii et
 cui Perconi fuit cognomen, non publico modo, sed privato Niconis
 etiam odio invisus atque infestus Romanis: quod eius fa- certamen.
 ctionis erat, quae Tarentum Hannibali prodiderat. Hic Cadit
 Quinctium, simul pugnantem hortantemque suos, incau- Quinctius.
 tum hasta transfigit: atque ille praeceps cum armis pro-
 cidit ante proram. Victor Tarentinus, in turbatam duce
 amisso navem impigre transgressus, quum summovisset
 hostes, et prora iam Tarentinorum esset, puppim male con-
 globati tuerentur Romani; repente et alia a puppi trire-
 mis hostium apparuit. Ita in medio circumventa Romana
 navis capitur. Hinc ceteris terror iniectus, ut praeto-
 riam navem captam videre: fugientesque passim, aliae in
 alto mersae, aliae in terram remis abreptae, mox praedae
 fuere Thurinis Metapontinisque. Ex oncrariis, quae cum
 commeatu sequebantur, perpaucae in potestatem hostium
 venire: aliae, ad incertos ventos hinc atque illinc obliqua
 transferentes vela, in altum evectae sunt.
 Nequaquam pari fortuna per eos dies Tarenti res gesta.
 Nam ad quattuor millia hominum frumentatum egressa
 quum in agris passim vagarentur, Livius, qui arcis praesi-

Capta
 praetoria
 victi Ro-
 mani.

4 *Iustae classes*] Classes eo
 navium numero constantes, ut vere
 ac merito classes dici possent. Nem-
 pe viginti naves non erant iusta clas-
 sis, sed aliquod classis iustar. CREV.

5 *Quum in maioris*] Quum in illa-
 rum pugna ageretur de rebus maio-
 ris momenti quam quanti ipsae clas-
 ses erant. Quae sint autem illae res,

mox explicat Livius. CREV.

6 *Post centesimum prope annum*] Hic sexagesimus tertius annus agitur
 ab eo, quo captum est Tarentum,
 L. Papirio, Sp. Carvilio, utroque ite-
 rum Coss. quem nos numeramus ab
 anno U. C. 480. CREV.

7 *Alieno remigio*] Aliarum navium
 remigio, quibus alligatae erant.

U. C. 542. dioque Romano praeerat, intentus in omnes occasiones
 A. C. 210. gerendae rei, C. Persium, impigrum virum, cum duobus millibus armatorum ex arce emisit. Qui, vage effusus per agros palatosque adortus, quum diu passim cecidisset, paucos ex multis, trepida fuga incidentes semiapertis portarum foribus, in urbem compulit, ne urbs eodem impetu caperetur. Ita aequatae res ad Tarentum; Romanis victoribus terra, Tarentinis mari. Frumenti spes, quae in oculis fuerat, utrosque frustrata pariter.

40. Per idem tempus Laevinus consul, iam magna parte anni
 Res in Sicilia gestae. circumacta, in Siciliam, veteribus novisque sociis expectatus, quum venisset, primum ac potissimum omnium ratus, Syracusis nova pace inconditas componere res. Agrigentum inde, quod belli reliquum erat, tenebaturque a Carthaginensium valido praesidio, duxit legiones. Et affuit fortuna incepto. Hanno erat imperator Carthaginensium, sed omnem in Mutine Numidisque spem repositam habebat. Per totam Siciliam vagus praedas agebat ex sociis Romanorum: neque intercludi ab Agrigento vi aut arte ulla, nec, quin erumperet, ubi vellet, prohiberi poterat. Haec eius gloria, quia iam imperatoris quoque famae officiebat, postremo in invidiam vertit; ut ne bene gestae quidem res iam Hannoni propter auctorem satis laetae essent. Propter quae postremo praefecturam eius filio suo dedit, ratus, cum imperio auctoritatem quoque ei inter Numidas crepturum. Quod longe aliter evenit. Nam veterem favorem eius sua insuper invidia auxit. Neque ille indignitatem iniuriae tulit, confestimque ad Laevinum occultos nuntios misit de tradendo Agrigento. Per quos ut est facta fides, compositusque rei gerendae modus, portam ad mare ferentem Numidae quum occupassent, pulsus inde custodibus, aut caesis, Romanos ad id ipsum missos in urbem acceperunt. Et quum agmine iam in media urbis ac forum magno tumultu iretur, ratus Hanno non aliud, quam tumultum ac secessionem, id quod et ante acciderat, Numidarum esse, ad comprimendam seditionem processit. Atque ille, quum ei multitudo maior, quam Numidarum, procul visa, et clamor Romanus haudquaquam ignotus ad aures accidisset, prius, quam ad ictum teli veniret, capessit

Agrigentum Romanis traditum.

8 *Semiapertis . . ne urbs . . caperetur*] Hanc verborum collocationem vix Livianam esse censet Tan. Faber. quum noster velit innuere, ideo semiapertas fuisse portarum fores, ne urbs a Romanis eodem caperetur impetu.

9 *Habebat*] Ita plures mss. Sed Gronovius *habebant*, sc. Carthaginenses, emendavit, quippe Hanno, si

spem in Mutine repositam habuisset, cum profecto non irritasset ablata praefectura, quinetiam ipsum Hannonem Mutines invidia urebat, ut apparet ex iis quae sequuntur. Hanc Gronovii emendationem firmat unus e Colb. mss. teste Doulatio, et instar omnium Put. *Habebant*, Crevier. et Bekker. reposuerunt.

1 *Ad ictum teli*] Insolentior haec

fugam. Per aversam portam emissus, assumpto comite U. C. 542.
 Epicyde, cum paucis ad mare pervenit: nactique oppor- A. C. 210.
 tune parvum navigium, relicta hostibus Sicilia, de qua per Sicilia de-
 tot annos certatum erat, in Africam traiecerunt. Alia Poenis.
 multitudo Poenorum Siculorumque, ne tentato quidem cer-
 tamine, quum caeci in fugam ruerent, clausique exitus es-
 sent, circa portas caesa. Oppido recepto Laevinus, qui
 capita rerum Agrigenti erant, virgis caesos securi pereus-
 sit: ceteros praedamque vendidit: omnem pecuniam Ro-
 mam misit. Fama Agrigentinorum cladis Siciliam quum
 pervasisset, omnia repente ad Romanos inclinaverunt. Pro-
 dita brevi sunt viginti oppida: sex vi capta: voluntaria de-
 ditione in fidem venerunt ad quadraginta. Quarum civi-
 tatum principibus quum pro cuiusque merito consul pretia
 poenasque exsolvisset, coegissetque Siculos, positos tandem
 armis, ad agrum colendum animos convertere, ut esset non
 incolarum modo alimentis frugifera insula, sed urbis Romae
 atque Italiae, id quod multis saepe tempestatibus fecerat, an-
 nonam levaret; ab Agathyrna inconditam multitudinem se-
 cum in Italiam transvexit. Quattuor millia hominum erant,
 mixti ex omni colluvione exsules, obaerati, capitalia ausi
 plerique; et quum in civitatibus suis ac sub legibus vixerant,
 et postquam eos ex variis causis fortuna similis conglobave-
 rat Agathyrnam, per latrocinia ac rapinam tolerantes vitam.
 Hos neque relinquere Laevinus in insula, tum primum
 nova pace coalescente, velut materiam novandis rebus, satis
 tutum ratus est: et Rheginis usui futuri erant ad populan-
 dum Bruttium agrum, assuetam latrocinii quaerentibus
 manum. Et, quod ad Siciliam attinet, eo anno debellatum
 est.

- 2 In Hispania principio veris P. Scipio, navibus deductis, 41.
 evocatisque edicto Tarraconem sociorum auxiliis, classem Hispaniae
 onerariasque ostium inde Iberi fluminis petere iubet. res.
 Eodem legiones ex hibernis convenire quum iussisset: ipse
 cum quinque millibus sociorum ab Tarracone profectus ad
 exercitum est. Quo quum venisset, alloquendos maxime
 veteres milites, qui tantis superfuerant cladibus, ratus, con-
 cione advocata, ita disseruit: ‘Nemo ante me novus impe- Scipionis
 ‘rator militibus suis prius, quam opera eorum usus esset, oratio ad
 ‘gratias agere iure ac merito potuit. Me vobis prius, quam milites.
 ‘provinciam aut castra viderem, obligavit fortuna: primum,
 ‘quod ea pietate erga patrem patruumque meum vivos
 ‘mortuosque fuistis: deinde, quod amissam tanta clade

locutio Drakenh. videtur, qui *sub ictu*
 vel *sub ictum* Latine potius dici vult.
 Perizonius ad *iactum teli* coniecit.

2 *Navibus deductis*] In mare. De-

ducere et *subducere* opponuntur. *De-*
ducuntur naves in mare, *subducuntur*
 in siccum, CREV.

U. C. 542. 'provinciae possessionem, integram, et populo Romano et
 A. C. 210. 'successori mihi, virtute vestra obtinuistis. Sed quum iam
 'benignitate deum id paremus atque agamus, non ut ipsi
 'maneamus in Hispania, sed ne Poeni maneant, nec ut pro
 'ripa Iberi stantes arceamus transitu hostes, sed ut ultro
 'transeamus, transferamusque bellum; vereor, ne cui ve-
 'strum maius id audaciusque consilium, quam aut pro me-
 'moria cladum nuper acceptarum, aut pro aetate mea, vide-
 'atur. Adversae pugnae in Hispania nullius in animo, quam
 'meo, minus obliterari possunt: quippe cui pater et patruus
 'intra triginta dierum spatium, ut aliud super aliud cumu-
 'laretur familiae nostrae funus, interfecti sunt. Sed ut
 'familiaris paene orbitas ac solitudo frangit animum; ita
 'publica quum fortuna tum virtus desperare de summa re-
 'rum prohibet. Ea fato quodam data nobis sors est, ut
 'magnis omnibus bellis victi vicerimus. Vetera omitto,
 'Porsennam, Gallos, Samnites: a Punicis bellis incipiam.
 'Quot classes, quot duces, quot exercitus priore bello
 'amissi sunt? Iam quid hoc bello memorem? Omnibus aut 3
 'ipse affui cladibus: aut, quibus afui, maxime minus omnium
 'eas sensi. Trebia, Trasimenus, Cannae, quid aliud sunt,
 'quam monumenta occisorum exercituum consulumque
 'Romanorum? Adde defectionem Italiae, Siciliae maioris 4
 'partis, Sardiniae. Adde ultimum terrorem ac pavorem,
 'castra Punica inter Anienem et moenia Romana posita,
 'et visum prope in portis victorem Hannibalem. In hac
 'ruina rerum stetit una integra atque immobilis vir-
 'tus populi Romani. Haec omnia strata humi crexit ac
 'sustulit. Vos omnium primi, milites, post Cannensem
 'cladem vadenti Hasdrubali ad Alpes Italiamque, (qui si se
 'cum fratre coniunxisset, nullum iam nomen esset populi
 'Romani) ductu auspicioque patris mei obstitistis. Et hae
 'secundae res illas adversas sustinuerunt. Nunc, benigni-
 'tate deum, omnia secunda, prospera, in dies laetiora ac
 'meliora in Italia Siciliaque geruntur. In Sicilia Syra-
 'cusae, Agrigentum captum, pulsae tota insula hostes, recep-
 'taque provincia in ditione populi Romani est. In Italia
 'Arpi recepti, Capua capta. Iter omne ab urbe Roma tre-
 'pida fuga emensus Hannibal, in extremum angulum agri
 'Bruttii compulsus, nihil iam maius precatur deos, quam ut
 'incolumi cedere atque abire ex hostium terra liceat. Quid
 'igitur minus conveniat, milites, quam, quum aliae super
 'alias clades eumularentur, ac dii prope ipsi cum Hannibale

3 *Hoc bello memorem*] sc. Exercitus amissos. Male Sigonius inseruerat particulam *de*. CREV.

4 *Siciliae maioris partis*] Nimirum,

qua regnum Hieronis fuit. Nam vetus provincia semper Romanis in fide mansit. CREV.

5 'starent, vos hic cum parentibus meis (aequantur enim U. C. 542.
 'etiam honore nominis) sustinuisse labantem fortunam A. C. 210.
 'populi Romani; nunc eosdem, quia illic omnia secunda
 'laetaque sunt, animis deficere? Nuper quoque quae acci-
 6 'derunt, utinam tam sine meo luctu, quam vestro, transis-
 'sent! Nunc dii immortales imperii Romani praesides, qui
 'centuriis omnibus, ut mihi imperium iuberent dari, fuere
 'auctores, iidem auguriis auspiciisque, et per nocturnos
 7 'etiam visus omnia laeta ac prospera portendunt. Annius
 'quoque meus, maximus mihi ad hoc tempus vates, prae-
 'sagit, nostram Hispaniam esse: brevi extorre hinc omne
 'Punicum nomen, maria terrasque foeda fuga impleturum.
 'Quod mens sua sponte divinat, idem subiicit ratio haud
 'fallax. Vexati ab iis socii nostram fidem per legatos im-
 8 'plorant. Tres duces discrepantes, prope ut defecerint alii
 'ab aliis, trifariam exercitum in diversissimas regiones dis-
 'traxere. Eadem in illos ingruit fortuna, quae nuper nos
 'afflixit. Nam et deseruntur ab sociis, ut prius ab Celti-
 'beris nos: et diduxerunt exercitus; quae patri patruoque
 'meo causa exitii fuit. Nec discordia intestina coire eos in
 'unum sinet, neque singuli nobis resistere poterunt. Vos
 'modo, milites, favete nomini Scipionum, suboli imperato-
 'rum vestrorum, velut accisis recrescenti stirpibus. Agite,
 'milites veteres, novum exercitum novumque ducem tradu-
 'cite Iberum, traducite in terras cum multis fortibus factis
 'saepe a vobis peragratas. Brevi faciam, ut, quemadmo-
 'dum nunc noscitis in me patris patruique similitudinem
 'oris vultusque, et lineamenta corporis; ita ingenii, fidei,
 9 'virtutisque ad exemplum expressam effigiem vobis reddam,
 'ut revixisse, aut renatum sibi quisque Scipionem imperato-
 'rem dicat.'

Hac oratione accensis militum animis, relicto ad praec- 42.

5 *Cum parentibus meis (aequantur enim etiam honore nominis)]* Cum patre et patruo meo, quos ambo appello parentes, ut, qui virtute, fortuna, vita, morte pares fuerunt, ii etiam eiusdem nominis honore a me aequantur. CREV.

6 *Utinam tam sine meo luctu]* Vult enim elevare, quod ad milites attinet, cladem in Hispania acceptam. Utinam, inquit, ipsa illa clades non mihi magis, quam vobis, luctuosa fuisset! Cladis illius sensus ad me magis pertinet, qui in ea patrem patruumque amisi; quam ad vos, qui quod amiseratis primo, resastis. CREV.

7 *Portendunt]* Polyb. x. 11. tradit, Scipionem a Neptuno se monitum professum esse, ut Carthaginem in-

vaderet. cf. infr. 45. RASCHIG.

8 *Tres duces discrepantes, prope ut defecerint alii ab aliis]* Quod Livius observare suo loco neglexit, Polybius sedulo notaverat. "Carthaginensium duces," inquit, "qui hostibus superiores fuerant, sui ipsorum com-potes esse non poterant: et rati se Romano bello defunctos esse, ipsi inter se hostiliter dissidebant." Lib. ix. in Excerpt. de Virt. et Vitiis. CR.

9 *Virtutisque ad exemplum expressam]* Ita quidem Ruhnkenius corrigit. praepositione *ad* in sedem suam revocata. *Exemplum* rariore et exquisitiore significatione dicitur exemplar, archetypum, ad quod exprimitur effigies. cf. Ruhnken. Opusc. i. p. 404.

U. C. 542. sidium regionis eius M. Silano, cum tribus millibus peditum
 A. C. 210. et trecentis equitibus, ceteras omnes copias (erant autem
 'Transit viginti quinque millia peditum, duo millia et quingenti
 Iberum. equites) Iberum traiecit. Ibi quibusdam suadentibus, ut,
 quoniam in tres tam diversas regiones discessissent Punici
 exercitus, proximum aggrediretur, periculum esse ratus, ne
 eo facto in unum omnes contraheret, nec par esset unus tot
 Carthago exercitibus, Carthaginem Novam interim oppugnare statuit;
 Nova op- urbem quum ipsam opulentam suis opibus, tum hostium
 pugnata. omni bellico apparatu plenam; (ibi arma, ibi pecunia, ibi
 totius Hispaniae obsides erant) sitam praeterca quum oppor-
 tune ad traiciendum in Africam, tum super portum satis
 amplum quantacvis classi, et nescio an unum in Hispaniae
 ora, qua nostro adiacet mari. Nemo omnium, quo iretur,
 sciebat, praeter C. Laelium. Is, classe circummissus, ita
 moderari cursum navium iussus erat, ut eodem tempore
 exercitus ostenderetur, et classis portum intraret. Septimo
 die ab Ibero Carthaginem ventum est simul terra marique.
 Carthagi- Castra ab regione urbis, qua in septentrionem versa est, po-
 nis N. situs. sita: his ab tergo (nam frons natura tuta erat) vallum obie-
 ctum. Ceterum sita Carthago sic est. Sinus est maris media
 fere Hispaniae ora, maxime Africo vento oppositus, et quin-
 gentos passus introrsus retractus, paullulo plus passuum in
 latitudinem patens. Huins in ostio sinus parva insula ob-
 iecta ab alto portum ab omnibus ventis, praeterquam Africo,
 tutum facit. Ab intimo sinu paeninsula excurrit, tumulus
 is ipse, in quo condita urbs est, ab ortu solis et a meridie
 cincta mari: ab occasu stagnum claudit, paullum et ad
 septentrionem fusum; incertae altitudinis, utcunque ex-
 aestuat aut deficit mare. Continenti urbem iugum ducen-
 tos fere et quinquaginta passus patens coniungit. Unde
 quum tam parvi operis munitio esset, non obiecit vallum
 imperator Romanus: seu fiduciam hosti superbe ostentans,
 sive ut subeunti saepe ad moenia urbis recursus pateret.
 43. Cetera, quae munienda erant, quum perfecisset, navcs etiam
 in portu, velut marinam quoque ostentans obsidionem,
 instruxit: circumvectusque classem, quum monuisset prae-
 fectos navium, ut vigilias nocturnas intenti servarent, omnia
 ubique primo obsessum hostem conari: regressus in castra,
 ut consilii sui rationem, quod ab urbe potissimum oppu-

1 *In tres tam diversas regiones]* *centorum passuum.* CREV.
 cf. Supr. 20.

2 *Quingentos passus]* Ex Polybio,
 x. 10. legendum est, *ad bis mille et*
quingentos passus: ipse enim *ad vi-*
ginti stadia habet. Sed et ex eodem
 mox legas *paullulo plus mille et du-*

3 *Utcunque]* *Utcunque* per prout
 interpretantur viri docti, quemadmo-
 dum supr. xxi. 35. hanc particulam
 dici, allato Plauti ap. Poen. iii. 5. 9.
 loco, movet Gronov.

gnanda bellum orsus esset, militibus ostenderet, et spem U. C. 542.
 potiundae cohortando faceret, concione advocata ita disse- A. C. 210.
 ruit: ‘Ad urbem unam oppugnandam si quis vos adductos Cohortatur
 ‘credit, is magis operis vestri, quam emolumenti rationem milites
 ‘exactam, milites, habet. Oppugnabitis enim vere moenia Scipio.
 ‘unius urbis, sed in una urbe universam ceperitis Hispa-
 ‘niam. Hic sunt obsides omnium nobilium regum popu-
 ‘lorumque: qui, simul in potestate vestra erunt, extemplo
 ‘omnia, quae nunc sub Carthaginiensibus sunt, in ditionem
 ‘tradent. Hic pecunia omnis hostium, sine qua neque illi
 ‘gerere bellum possunt, quippe qui mercenarios exercitus
 ‘alant; et quae nobis maximo usui ad conciliandos animos
 ‘barbarorum erit. Hic tormenta, arma, armamenta, et om-
 ‘nis apparatus belli est, qui simul et vos instruet, et hostes
 ‘nudabit. Potiemur praeterea quum pulcherrima opulen-
 ‘tissimaque urbe, tum opportunissima portu egregio, unde
 ‘terra marique, quae belli usus poscunt, suppeditentur.
 ‘Quae quum magna ipsi habebimus, tum dempserimus
 ‘hostibus multo maiora. Haec illis arx, hoc horreum, ae-
 ‘rarium, armamentarium, hoc omnium rerum receptacu-
 ‘lum est. Hinc rectus in Africam cursus est: haec una
 4 ‘inter Pyrenaeum et Gades statio: hinc omni Hispaniae
 ‘imminet Africa. Sed, quoniam vos instructos et ordina-
 ‘tos cognosco, ad Carthaginem Novam oppugnandam totis
 ‘viribus et bono animo transeamus.’ Quumque omnes
 una voce, ‘hoc faciendum,’ sueclamarent, eos Carthaginem
 duxit. Tum terra marique eam oppugnari iubet.

Contra Mago Poenorum dux, quum terra marique in- 44.
 strui oppugnationem videret, et ipse copias ita disponit.
 Oppidanorum duo millia ab ea parte, qua castra Romana
 erant, opponit: quingentis militibus arcem insedit: quin-
 gentos tumultu urbis in orientem verso imponit: multitudi-
 nem aliam, quo clamor, quo subita vocasset res, intentam Erumpunt
 ad omnia, occurrere iubet. Patefacta deinde porta, eos, Poeni.
 quos in via ferente ad castra hostium instruxerat, mittit.
 Romani, duce ipso praecipiente, parumper cessere, ut pro-
 piores subsidiis in certamine ipso summittendis essent. Et
 primo haud impari stetero acie: subsidia deinde, identi-
 dem summissa e castris, non averterunt solum in fugam Avertuntur
 hostes, sed adeo effusis institerunt, ut, nisi receptui cecinis- in fugam.
 set, permixti fugientibus irrupturi fuisse in urbem videren-
 tur. Trepidatio vero non in proelio maior, quam tota urbe
 fuit. Multae stationes pavore atque fuga desertae sunt, re-

4 *Hinc omni Hispaniae imminet Africa*] Elegans et audax loquendi figura, quam sic fere exponit Gronovius. Hinc, tanquam ex qua-

dam, imminet Africa, id est Poenus, toti Hispaniae, cui iugum partim imposuit, partim minatur. CREV.

U. C. 542. lictique muri; quum, qua cuique erat proximum, desiluis-
 A. C. 210. sent. Quod ubi egressus Scipio in tumulum, quem Mer-
 curii vocant, animadvertit, multis partibus nudata defenso-
 ribus moenia esse; omnes e castris excitos ire ad oppu-
 gnandam urbem, et ferre scalas iubet. Ipse, trium prae se
 Scipio ad urbem suc-
 cedit. iuvenum validorum scutis oppositis, (ingens enim iam vis
 omnis generis telorum e muris volabat) ad urbem succedit,
 hortatur, imperat, quae in rem sunt: quodque plurimum
 ad accendendos militum animos intererat, testis spectator-
 que virtutis atque ignaviae cuiusque adest. Itaque in vul-
 nera ac tela ruunt; neque illos muri, neque superstantes
 armati arcere queunt, quin certatim ascendant. Et ab na-
 vibus eodem tempore ea, quae mari alluitur, pars urbis op-
 pugnari coepta est. Ceterum tumultus inde maior, quam
 vis, adhiberi poterat. Dum applicant, dum partim expo-
 nunt scalas militesque, dum, qua cuique proximum est, in
 terram evadere properant, ipsa festinatione et certamine
 45. alii alios impediunt. Inter haec repleverat iam Poenus
 armatis muros, et vis magna, ex ingenti copia congesta, te-
 lorum suppeditabat. Sed neque viri, nec tela, nec quic-
 quam aliud aequae, quam moenia ipsa sese, defendebant.
 Rarae enim scalae altitudini acquari poterant: et, quo
 quaecque altiores, eo infirmiores erant. Itaque, quum sum-
 mus quisque evadere non posset, subirent tamen alii, onere
 ipso frangebantur. Quidam, stantibus scalis, quum altitudo
 caliginem oculis offudisset, ad terram delati sunt. Et quum
 passim homines scalaeque ruerent, et ipso successu audacia
 atque alacritas hostium cresceret, signum receptui datum
 est; quod spem non praesentis modo ab tanto certamine
 ac labore quietis obsessis, sed etiam in posterum dedit,
 scalis et corona capi urbem non posse: opera et difficilia
 esse, et tempus datura, ad ferendam opem, imperatoribus
 suis.

Scalae
 frustra ad-
 motae.

Per vada
 urbem Sci-
 pio ingre-
 ditur.

Vix prior tumultus conticuerat, quum Scipio ab defessis
 iam vulneratisque recentes integrosque alios accipere scalas
 iubet, et vi maiore aggredi urbem. Ipse, ut ei nuntiatum
 est, aestum decedere, quod per pisatores Tarraconenses,
 nunc levibus cymbis, nunc, ubi eae siderent, vadis perva-
 9 gatos stagnum, compertum habebat, facilem pedibus ad
 murum transitum dari, eo secum armatos duxit. Medium

5 *Oppositis*] cf. Polyb. x. 13.

6 *Partim*] Hanc vocem superva-
 caneam esse censet Crevier. qui *ra-
 ptim*, inverso suarum literarum or-
 dine, reponendum vult.

7 *Evadere*] Nempe in summum
 murum.

8 *Certamine*] Dum certant inter
 se, quis maius studium maioremque
 celeritatem adhibeat. CREV.

9 *Ubi eae siderent*] In fundo li-
 moso haerent. cf. Tac. Ann. i. 70.
 RASCHIG.

ferme dici erat: et ad id, quod sua sponte cedente in mare U. C. 542.
aestu trahebatur aqua, acer etiam septentrio ortus inclina- A. C. 210.
tum stagnum eodem, quo aestus, ferebat, et adeo nudaverat
vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix
superaret. Hoc, cura ac ratione compertum, in prodigium
ac deos vertens Scipio, qui ad transitum Romanis mare
verterent, et stagno auferrent, viasque ante nunquam initas
humano vestigio aperirent, Neptunum iubebat ducem iti-
neris sequi, ac medio stagno evadere ad moenia. Ab terra 46.
ingens labor succedentibus erat: nec altitudine tantum
¹ moenium impediabantur, sed quod euntes ad ancipites
utrinque ictus subiectos habebant Romanos; ut latera in-
festiora subeuntibus, quam adversa corpora, essent. At
parte in alia quingentis et per stagnum facilis transitus, et
in murum ascensus inde fuit. Nam neque opere emunitus
² erat, ut ubi ipsius loci ac stagni praesidio satis creditum
foret; nec ulla armatorum statio aut custodia opposita,
intentis omnibus ad opem eo ferendam, unde periculum
ostendebatur. Ubi urbem sine certamine intravere, per-
gunt inde, quanto maximo cursu poterant, ad eam portam,
circa quam omne contractum certamen erat. In quod
adeo intenti omnium non animi solum fuere, sed etiam
oculi auresque pugnantium spectantiumque et adhortan-
tium pugnantes, ut nemo ante ab tergo senserit captam
urbem, quam tela in aversos inciderunt, et utrinque an-
cipitem hostem habebant. Tunc, turbatis defensoribus metu, ^{Urbs}
et moenia capta, et porta intus forisque pariter refringi ^{capta.}
³ coepta: et mox caedendo confractis, ne iter impediretur,
foribus, armati impetum fecerunt. Magna multitudo et
muros transcendebat; sed hi passim ad caedem oppidano-
rum versi. Illa, quae portam ingressa erat, iusta acies,
cum ducibus, cum ordinibus, media urbe in forum pro-
⁴ cessit. Inde quum duobus itineribus fugientes videret
hostes, alios ad tumulum in orientem versum, qui teneba-
tur quingentorum militum praesidio, alios in arcem, in
quam et ipse Mago cum omnibus fere armatis, qui muris
pulsus fuerant, refugerat; partim copiarum ad tumulum ex-

¹ *Sed quod euntes*] Clariss. Crevier. vel in voce *euntes* mendum latere, vel ad *habebant* subintelligendum esse *moenia* cum Gronovio iudicat: qui *euneis*, aut tale quid vocabulum, moenia habuisse partes aliquas obli-
quas et procurrentes significans, pro vocibus *quod euntes* reponendum con-
iicit.

² *Ut ubi ipsius loci*] sc. Quippe ubi.

³ *Confractis*] *Refringitur porta.*

quae per vim aperitur; *confringuntur fores*, quae securum ictibus prorsus conciduntur. RASCHG.

⁴ *Fugientes videret hostes*] Nempe Scipio. Hoc non ideo monemus, quod quicquam possit esse dubii, sed ut observemus toto hoc capite nusquam Scipionis mentionem factam. Unde necesse fuisset hic nomen eius exprimi, nisi styli calor Livium abstulisset. CREV.

U. C. 542. pugnandum mittit, partim ipse ad arcem ducit. Et tumu-
 A. C. 210. lus primo impetu est captus, et Mago, arcem conatus de-
 fendere, quum omnia hostium plena videret, neque spem
 ullam esse, se arcemque et praesidium dedit. Quoad
 dedita arx est, caedes tota urbe passim factae; nec ulli
 puberum, qui obvius fuit, parcebatur. Tum, signo dato,
 caedibus finis factus. Ad praedam victores versi, quae in-
 gens omnis generis fuit.

Praeda in-
 gens.

47. Liberorum capitum virile secus ad decem millia capta. 5
 Captivi. Inde, qui cives Novae Carthaginis erant, dimisit: urbem-
 que et sua omnia, quae reliqua iis bellum fecerat, restituit.
 Opifices ad duo millia hominum erant: eos publicos fore 6
 populi Romani edixit, cum spe propinqua libertatis, si ad
 ministeria belli enixe operam navassent. Ceteram multi-
 tudinem incolarum iuvenum, ac validorum servorum, in 7
 classem ad supplementum remigum dedit: et auxerat na-
 vibus octo captivis classem. Extra hanc multitudinem
 Hispanorum obsides erant: quorum perinde, ac si socio-
 rum liberi essent, cura habita. Captus et apparatus ingens
 belli; catapultae maximae formae centum viginti, minores
 ducentae octoginta et una: ballistae maiores viginti tres,
 minores quinquaginta duae: scorpionum maiorum mino-
 rumque et armorum telorumque ingens numerus: signa
 Apparat⁸
 belli cap-⁹
 tus. tusa. militaria septuaginta quattuor. Et auri argentique relata
 ad imperatorem magna vis: paterae aureae fuerunt du-
 centae septuaginta sex, libras ferme omnes pondo: argenti
 facti signatique decem et octo millia et trecenta pondo: 8
 9
 Auri et
 argentum. vasorum argenteorum magnus numerus. Haec omnia C.
 Flamini quaestori appensa annumerataque sunt. Tritici
 quadraginta millia modium, hordei ducenta septuaginta.
 Naves onerariae sexaginta tres in portu expugnatae captae-
 que: quaedam cum suis oneribus, frumento, armis, aere
 praetera, ferroque, et linteis, et sparto, et navali alia ma-
 teria ad classem aedificandam: ut minimum omnium, inter
 tantas opes belli captas, Carthago ipsa fuerit.

5 *Virile secus*] Sic edendum cura-
 vit Gronovius, quum prius legeretur
virilis sexus; et hanc lectionem, quam
 unus ms. praefert, et duo alii suadere vi-
 dentur, multis exemplis firmat. Idem-
 que observat hanc esse proprietatem
 huius locutionis *virile* aut *muliebre*
seus, ut nusquam fere ponatur, nisi
 pro eo quod dicimus vulgo *virilis* aut
muliebris sexus; in accusandi nimi-
 rum casu, quem regat intellecta prae-
 positio κατὰ, vel secundum. CREV.
 cf. Tac. Ann. iv. 62. Hist. v. 13.

6 *Publicos fore populi Romani*]
 sc. Publicis ministeriis obnoxios. cf.

Polyb. x. 17.

7 *Incolarum*] Qui Carthagine ha-
 bitarent, neque tamen cives essent.
 CREV.

8 *Libras ferme omnes pondo*] cf.
 Supr. iii. 29.

9 *Argenti facti*] *Infecti*, ut infr.
 xxxiv. 10. ubi argento infecto signa-
 tum opponitur, coniecit Gronov.

1 *Sparto*] Spartum est herbae
 sponte nascentis praesertim in Hispania
 genus, quae ad vincula ac retinacula
 compingenda utilis est. cf. Plin.
 H. N. xix. 2. CREV.

Eo die Scipio, C. Laelio cum sociis navalibus urbem U. C. 542.
 custodire iusso, ipse in castra legiones reduxit: fessosque A. C. 210.
 milites omnibus uno die belli operibus (quippe qui et acie 48.
 dimicassent, et capienda urbe tantum laboris periculique
 adissent, et capta, cum iis, qui in arcem confugerant, ini-
 quo etiam loco pugnassent) curare corpora iussit. Postero Scipio gra-
 die, militibus navalibusque sociis convocatis, primum diis tias Diis
 immortalibus laudesque et grates egit, qui se non urbis agit.
 solum opulentissimae omnium in Hispania uno die com-
 potem fecissent, sed ante eo congegississent omnis paene
 Africae atque Hispaniae opes: ut neque hostibus quic-
 quam relinqueretur, et sibi ac suis omnia superessent. Mi- Collaudat
 litum deinde virtutem collaudavit, quod eos non eruptio milites.
 hostium, non altitudo moenium, non inexplorata stagni
 vada, non castellum in alto tumultu situm, non munitissima
 arx deterruisset, quo minus transcenderent omnia per-
 rumperentque. Itaque, quanquam omnibus omnia debe-
 ret, praecipuum muralis coronae decus eius esse, qui pri-
 mus murum ascendisset: profiteretur, qui se dignum eo
 duceret dono. Duo professi sunt: Q. Trebellius centurio
 2 legionis quartae, et Sex. Digitius socius navalis. Nec ipsi
 tam inter se acriter contendebant, quam studia excitave-
 rant uterque sui corporis hominum. Sociis C. Laelius
 praefectus classis; legionariis M. Sempronius Tuditanus
 aderat. Ea contentio quum prope seditionem veniret, Sci-
 pio tres recuperatores quum se daturum pronuntiasset, qui,
 cognita causa testibusque auditis, iudicarent, uter prior in
 oppidum transcendisset; C. Laelio et M. Sempronio advo-
 cati partis utriusque P. Cornelium Caudinum de medio
 3 adiecit; eosque tres recuperatores considerare, et causam
 4 cognoscere iussit. Quum res eo maiore ageretur certa-
 mine, quod admoti tantae dignitatis non tam advocati,
 quam moderatores studiorum fuerant; C. Laelius, relicto
 consilio, ad tribunal ad Scipionem accedit, eumque docet,
 ‘rem sine modo ac modestia agi: ac prope esse, ut manus
 ‘inter se conserant. Ceterum, etiamsi vis absit, nihilo mi-
 ‘nus detestabili exemplo rem agi; quippe ubi fraude ac
 ‘periurio decus petatur virtutis. Stare hinc legionarios

2 *Socius navalis*] In hoc capite
socii navales non intelliguntur remi-
 ges, sed milites tuendis navibus attri-
 buti, qui infr. *classiei milites* vocan-
 tur. CREV.

3 *Recuperatores*] sc. “Iudices qui
 a Praetore in privatis controversiis,
 quacunque de re ageretur, dari con-
 sueverant. Itaque *recuperatores* ii
 fere appellabantur, qui apud nos *iur-*

dicēs delegati.” cf. Dacrius ad Fe-
 stum v. *Reeiperatio*.

4 *Quod admoti*] Nam prius illi af-
 fuerunt certantibus, sed ita eleganter,
 ut potius regerent temperarentque
 studia utrinque faventium, quam ac-
 cenderent: nunc ab illis abstracti, et
 iudices dati, multitudinem effraenatio-
 rem reliquerant. GROSV.

U. C. 542. 'milites, hinc classicos, per omnes deos paratos iurare, ma-
 A. C. 210. 'gis quae velint, quam quae sciant, vera esse, et obstrin-
 'gere periurio non se solum suumque caput, sed signa mi-
 'litaria, et aquilas, sacramentique religionem. Haec se ad 5
 'eum de sententia P. Cornelii et M. Sempronii deferre.'
 Scipio, collaudato Laelio, ad concionem advocavit, pronun-
 tiavitque, 'Se satis compertum habere, Q. Trebellium et
 'Sex. Digitium pariter in murum escendisse: seque eos
 'ambos, virtutis causa, coronis muralibus donare.' Tum
 reliquos, prout cuique meritum virtusque erat, donavit:
 ante omnes C. Laelium praefectum classis et omni genere
 laudis sibimet ipse aequavit, et corona aurea ac triginta
 bubus donavit.

49. Tum obsides civitatum Hispaniae vocari iussit: quorum
 quantus numerus fuerit, piget scribere, quippe quum alibi
 trecentos ferme, alibi septingentos viginti quinque fuisse
 inveniam. Aequae et alia inter auctores discrepant. Prae-
 sidium Punicum alius decem, alius septem, alius haud plus
 quam duum millium fuisse scribit. Capta alibi decem mil-
 lia capitum, alibi supra quinque et viginti invenias. Scor-
 piones maiores minoresque ad sexaginta captos scripserim,
 si auctorem Graecum sequar Silenum: si Valerium Antia-6
 tem, maiorum scorpionum sex millia, minorum tredecim:
 adeo nullus mentiendi modus est. Ne de ducibus quidem
 convenit. Plerique Laelium praefuisse classi; sunt, qui
 M. Iunium Silanum dicant. Arinem praefuisse Punico
 praesidio, deditumque Romanis, Antias Valerius; Mago-
 nem alii scriptores tradunt. Non de numero navium cap-
 tarum, non de pondere auri atque argenti, et redactae
 pecuniae, convenit. Si aliquibus assentiri necesse est, me-
 dia simillima veris sunt. Ceterum Scipio, vocatis obsidi-
 bus, primum universos bonum animum habere iussit. 'Ve-
 nisse eos in populi Romani potestatem, qui beneficio,
 'quam metu, obligare homines malit; exterarumque gentes
 'fide ac societate iunctas habere, quam tristi subiectas ser-

Scipionis
 in obsides
 humanitas.

5 *Sacramentique religionem*] Quip-
 pe Laelius periculum esse putabat,
 ne, qui per signa militaria pelerave-
 rint, eadem irae deorum obiiant, et
 in poenae partem secum trahant.
 CREV.

6 *Si auctorem Graecum sequar Si-
 lenum: si Valerium Antiatem*] Quis
 non miretur diligentiam Livii in ap-
 pellandis iis auctoribus quos refellit,
 quibus derogat finem; dum Polybii
 nomen, cuius e libro x. totam hanc
 expugnatae Carthaginis Novae narra-
 tionem pene ad verbum expressit, al-

to silentio premit? Idem et in aliis
 locis ab eo factitatum aliquoties iam
 monuimus, ut in transitu Alpium,
 Tarenti proditione, expugnatione Sy-
 racusarum, etc. Ceterum de Sileno
 historico pauca nobis dicenda suppe-
 tunt. Scripserat res Romanas a pri-
 mordio urbis, teste Dion. i. 6. Athe-
 naeus, xii. 11. mentionem facit Sileni
 Calactini, qui historiam Siculam con-
 diderit: quem quidem eundem esse
 cum hoc rerum Romanarum scriptore
 nihil vetat. De Valerio Antiate egi-
 mus supr. iii. 5. CREV.

‘vitio.’ Deinde, acceptis nominibus civitatum, recensuit U. C. 542.
 captivos, quot cuiusque populi essent: et nuntios domum A. C. 210.
 misit, ut ad suos quisque recipiendos veniret. Si quarum
 forte civitatum legati aderant, iis praesentibus suos resti-
 tuit: ceterorum curam benigne tuendorum C. Flamini-
 o quaestori attribuit. Inter haec e media turba obsidum mu-
 lier magno natu, Mandonii uxor, qui frater Indibilis Iler-
 getum reguli erat, flens ad pedes imperatoris procubuit,
 7 obtestarique coepit, ut curam cultumque feminarum im-
 pensius custodibus commendaret. Quum Scipio, ‘nihil
 ‘perfecto defuturum,’ diceret; tum rursus mulier, ‘Haud
 ‘magni ista facimus,’ inquit: ‘quid enim huic fortunae non
 ‘satis est? Alia me cura, aetatem harum intuentem, (nam
 ‘ipsa iam extra periculum iniuriæ muliebris sum) stimu-
 ‘lat.’ Aetate et forma florentes circa erant Indibilis filiae,
 aliaeque nobilitate pari, quæ omnes eam pro parente cole-
 bant. Tum Scipio, ‘Meæ populique Romani disciplinae
 ‘causa facerem,’ inquit, ‘ne quid, quod sanctum usquam
 ‘esset, apud nos violaretur. Nunc, ut id curem impensius,
 ‘vestra quoque virtus dignitasque facit: quæ ne in malis
 ‘quidem oblitæ decoris matronalis estis.’ Spectatae de-
 inde integritatis viro tradidit eas, tuerique haud secus vere-
 cunde ac modeste, quam hospitum coniuges ac matres,
 iussit.

Captiva deinde a militibus adducitur ad eum adulta vir- 50.
 go, adeo eximia forma, ut, quacunque incedebat, conver- Sponsa Al-
 lucci pu-
 dice ser-
 vata.
 teret omnium oculos. Scipio, percunctatus patriam pa-
 rentesque, inter cetera accepit, desponsam eam principi
 8 Celtiberorum adolescenti: Allucio nomen erat. Extemplo
 igitur parentibus sponsoque ab domo accitis, quum interim
 audiret, deperire eum sponsæ amore, ubi primum venit,
 accuratiore eum sermone, quam parentes, alloquitur. ‘Iu- Oratio ad
 eum Sci-
 pionis.
 ‘venis,’ inquit, ‘iuvenem appello, quo minor sit inter nos
 ‘huius sermonis verecundia. Ego, quum sponsa tua capta
 ‘a militibus nostris ad me ducta esset, audiremque, eam
 ‘tibi cordi esse, et forma faceret fidem, quia ipse, si frui
 ‘liceret ludo ætatis, præsertim recto et legitimo amore, et
 ‘non respublica animum nostrum occupasset, veniam mihi
 ‘dari sponsam impensius amanti vellem: tuo, cuius pos-
 ‘sum, amori faveo. Fuit sponsa tua apud me eadem, qua
 ‘apud soceros tuos parentesque suos, verecundia: servata
 ‘tibi est, ut inviolatum et dignum me teque dari tibi do-

7 *Cultumque feminarum*] Vere-
 cundiam in feminas significare voluit
 Mandonii uxor, sed Scipio ambiguae
 significationis vocem *cultum* ad res,
 quæ habitum externum spectabant,

trahebat. cf. Polyb. x. 18. DOER.

8 *Allucio nomen erat*] Indibilis vo-
 catur ap. Val. Max. iv. 3. 1. Lucceius
 ap. Plut. cf. Polyb. x. 19, qui rem,
 non sponsi nomen, memorat. RUP.

U. C. 542. 'num posset. Hanc mercedem unam pro eo munere pa-
 A. C. 210. 'ciscor: amicus populo Romano sis. Et, si me virum
 'bonum credis esse, quales patrem patruumque meum iam
 'ante hae gentes norant, scias multos nostri similes in civi-
 'tate Romana esse; nec ullum in terris populum hodie
 'dici posse, quem minus tibi hostem tuisque esse velis, aut
 'amicum malis.' Adolescens, simul pudore et gaudio per-
 fusus, dextram Scipionis tenens, deos omnes invocare ad
 gratiam illi pro se referendam, quoniam sibi nequaquam
 satis facultatis, pro suo animo atque illius erga se merito,⁹
 esset. Parentes inde cognatique virginis appellati. Qui,
 quoniam gratis sibi redderetur virgo, ad quam redimendam
 satis magnum attulissent auri pondus, orare Scipionem, ut
 id ab se donum acciperet, coeperunt: haud minorem eius
 rei apud se gratiam futuram esse, affirmantes, quam red-
 ditae inviolatae foret virginis. Scipio, quando tanto opere
 peterent, accepturum se pollicitus, poni ante pedes iussit:
 vocatoque ad se Allucio, 'Super dotem,' inquit, 'quam ac-
 'cepturus a socero es, haec tibi a me dotalia dona acce-
 'dent:' aurumque tollere, ac sibi habere inssit. His laetus
 donis honoribusque dimissus domum, implevit populares
 laudibus meritis Scipionis: 'Venisse diis simillimum iuve-
 'nem, vincentem omnia, quum armis, tum benignitate ac
 'beneficiis.' Itaque, delectu clientium habito, cum de-
 lectis mille et quadringentis equitibus intra paucos dies ad
 Scipionem revertit.

Recipit
 sponsam
 cum mu-
 neribus.

51. Scipio retentum secum Laelium, dum captivos obsides-
 Laelius it que et praedam ex consilio eius disponderet, satis omnibus
 Romam. compositis, data quinquere, captivisque, Magone et quin-
 decim fere senatoribus, qui simul cum eo capti erant, in
 navem impositis, nuntium victoriae Romam mittit. Ipse
 paucos dies, quibus morari Carthagine statuerat, exercen-
 dis navalibus pedestribusque copiis absumpsit. Primo die
 legiones in arnis quattuor millium spatio decurrerunt: se-
 cundo die arma curare et tergere ante tentoria iussit: ter-²
 tio die rudibus inter se in modum iustae pugnae concurre-
 runt, praepilatisque missilibus iaculati sunt: quarto die³

Exercent
 copias Sci-
 pio.

⁹ *Illius erga se merito*] Vox *me-rito* in omnibus mss. omittitur, et ab Rhenano primum in textum recepta est, quippe sine ea sensus constare non possit.

¹ *Quindecim fere senatoribus*] Intellige ex Polybio senatores magnae Carthaginiis. Habet ille septendecim, quorum duos ait fuisse e sanctiore consilio seniorum, ἐκ τῆς γερονσίας, quindecim e consilio publico, ἐκ τῆς συγκλήτου. CREV. cf. Arist. Pol. ii. 8.

² *Iussit*] *Iussi* ex emendatione Gronov. reposuit Bekker.

³ *Praepilatisque missilibus*] Polybius, quem hic, ut modo monuimus, vertit Livius, habet ἐσφαρωμένοις γρόσφοις, id est, missilibus, quibus rotunda aliqua e ligno vel corio pila praefixa erat, ne pungerent ac vulnerarent: vel, quorum mucro a fabro rotundatus fuerat. Ut ut sit, haec vox a *pila* originem ducit. CREV.

quies data: quinto iterum in armis decursum est. Hunc U. C. 542.
 ordinem laboris quietisque, quoad Carthagine morati sunt, A. C. 210.
 servarunt. Remigium classicique milites, tranquillo in al-
 tum evecti, agilitatem navium simulacris navalis pugnae
 experiebantur. Haec extra urbem terra marique corpora
 simul animosque ad bellum acuebant. Urbs ipsa strepe-
 bat apparatu belli, fabris omnium generum in publica offi-
 cina inclusis. Dux cuncta pari cura obibat. Nunc in
 classe ac navali erat: nunc cum legionibus decurrebat:
 nunc operibus aspiciendis tempus dabat, quaeque in offi-
 cinis, quaeque in armamentario ac navalibus fabrorum mul-
 tudo plurima in singulos dies certamine ingenti faciebat.
⁴ His ita inchoatis, relictisque, qua quassati erant, muris, ut Tarra-
 dispositisque praesidiis ad custodiam urbis, Tarracoenem est conem.
 profectus, a multis legationibus protinus in via aditus: quas
 partim dato responso ex itinere dimisit, partim distulit Tar-
 racoenem, quo omnibus novis veteribusque sociis edixerat
 conventum. Et cuncti fere, qui eis Iberum incolunt, po-
⁵ puli, multi etiam ulterioris provinciae convenerunt. Car-
 thaginiensium duces primo ex industria famam captae Car-
 thaginis compresserunt: deinde, ut clarior res erat, quam
 ut tegi ac dissimulari posset, elevabant verbis. ‘Necopi-
 ‘nato adventu ac prope furto unius diei urbem unam His-
 ‘paniae interceptam. Cuius rei tam parvae praemio cla-
⁶ ‘tum insolentem iuvenem, immodico gaudio speciem ma-
 ‘gnae victoriae imposuisse. At, ubi appropinquare tres
 ‘duces, tres victores hostium exercitus audisset, occursum
 ‘ei extemplo domesticorum funerum memoriam.’
 Haec in vulgus iactabant, haudquaquam ipsi ignari, quan-
 tum sibi ad omnia virium, Carthagine amissa, decessisset.

⁴ *Qua quassati erant*] Hanc le-
 ctionem, ut quae ad cod. Put. scri-
 pturam proprius accedat, pro vulg.
qua quassi erant, reponendam coniecit
 Crevier.

⁵ *Uterioris provinciae*] Nondum
 Hispania ulterior inter provincias Ro-
 manas erat. Sed aut eo respicit Li-
 vius, quod Publius Cnaeusque pater
 et patruus Africani eam fere iam pro-
 vinciam fecerant, aut utitur phrasi
 suo temporis convenientiore. Haec

ferme Gronovius, sed Dukerus *pro-*
vinciam hic ita dici censet, ut omnem
 regionem, in qua bellum geratur,
 significet.

⁶ *Immodico gaudio*] Per immodi-
 cum gaudium, quo Carthaginis ex-
 pugnationem celebrabat, effecisse ut
 res per se parva speciem magnae
 victoriae habere videretur: quia nempe
 id necesse erat magnum videri, de
 quo tam immodicum gaudium esset,
 CREV.

EPITOME LIBRI XXVII.

CN. FULVIUS proconsul cum exercitu ab Hannibale ad Herdoneam caesus est. Meliore eventu a Claudio Marcello consule adversus eundem ad Numistronem pugnatum est. Inde Hannibal noctu recessit. Marcellus insecutus est, et subinde cedentem pressit, donec confligeret. Priore pugna Hannibal superior fuit, Marcellus insequenti. Fabius Maximus pater consul Tarentinos per proditionem recepit. In Hispania ad Baeculam Scipio cum Hasdrubale Hamilcaris conflixit, et vicit. Inter alia captum puerum regalem eximiae formae ad avunculum Masinissam cum donis dimisit. Claudius Marcellus, T. Quinctius Crispinus consules, speculandi causa progressi e castris, insidiis ab Hannibale circumventi sunt. Marcellus occisus fuit, Crispinus fugit. Res praeterea a P. Sulpicio praetore adversus Philippum et Achaeos gestas continet. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita centum triginta septem millia centum et octo: ex quo numero apparuit, quantum hominum tot proeliorum adversa fortuna populo Romano abstulisset. Hasdrubal, qui cum exercitu novo transcenderat Alpes, ut se Hannibali coniungeret, cum millibus hominum quinquaginta sex caesus est, M. Livii consulis ductu, sed non minore opera Claudii Neronis consulis. Qui, quum Hannibali oppositus esset, relictis castris, ita ut hostem falleret, cum electa manu profectus, Hasdrubalem circumvenit.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXVII.

HIC status rerum Hispaniae erat. In Italia consul Marcellus, Salapia per proditionem recepta, Maroneam et Meles de Samnitibus vi cepit. Ad tria millia militum ibi Hannibalis, quae praesidii causa relicta erant, oppressa. Praeda (et aliquantum eius fuit) militi concessa. Tritici quoque ducenta quadraginta millia modium, et centum decem millia hordei inventa. Ceterum nequaquam inde tantum gaudium fuit, quanta clades intra paucos dies accepta est, haud procul ab Herdonea urbe. Castra ibi Cn. Fulvius proconsul habebat, spe recipiendae Herdoneae, quae post Cannensem cladem ab Romanis defecerat, nec loco satis tuto posita, nec praesidiis firmata. Negligentiam insitam ingenio ducis augebat spes ea, quod labare iis adversus Poenum fidem senserat, postquam, Salapia amissa, excessisse his locis in Bruttios Hannibalem auditum est. Ea omnia, ab Herdonea per occultos nuntios delata Hannibali, simul curam sociac retinendae urbis, et spem fecere incautum hostem aggrediendi. Exercitu expedito, ita ut famam prope praeveniret, magnis itineribus ad Herdoneam contendit, et, quo plus terroris hosti obiceret, acie instructa accessit. Par audacia Romanus, consilio et viribus impar, copiis raptim eductis, conflixit. Quinta legio et sinistra ala acriter pugnam inierunt. Ceterum Hannibal, signo equitibus dato, ut, quum pedestres acies occupassent praesenti certamine oculos animosque, circumvecti, pars castra hostium, pars terga trepidantium invaderent, ipse in Fulvii similitudinem nominis, quod Cn. Fulvium praetorem bienio ante in iisdem devicerat locis, increpans, similem eventum pugnae fore affirmabat. Neque ea spes vana fuit. Nam, quum cominus acie et peditum certamine multi ce-

U. C. 542.
A. C. 210.
Quaedam
Samnii ur-
bes captae.

Hannibal
ad Herdo-
neam Cn.
Fulvium
vincit.

1 *Sinistra ala*] Milites sociales in sinistro aciei cornu positi. cf. supr. xxv. 21.

2 *Trepidantium*] Hoc verbo talis

indicatur tumultus, qualis in initio proelii esse solet, antequam milites concurrere atque ad manus venire coeperint. DRAC.

U. C. 542. cidissent Romanorum, starent tamen ordines signaque,
 A. C. 210. equestris a tergo tumultus, simul a castris clamor hostilis
 auditus, sextam ante legionem, quae, in secunda acie posita, 3
 prior ab Numidis turbata est; quintam deinde atque eos,
 qui ad prima signa erant, avertit. Pars in fugam effusi,
 pars in medio caesi: ubi et ipse Cn. Fulvius cum undecim
 tribunis militum cecidit. Romanorum sociorumque quot
 caesa in eo proelio millia sint, quis pro certo affirmet? quum
 tredecim millia alibi, alibi haud plus, quam septem, inve-
 niam. Castris praedaeque victor potitur. Herdoneam, quia
 et defecturam fuisse ad Romanos comperit, nec mansuram
 in fide, si inde abscessisset, multitudine omni Metapontum
 ac Thurios traducta, incendit: occidit principes, qui cum
 Fulvio colloquia occulta habuisse comperti sunt. Romani,
 qui ex tanta clade evaserant, diversis itineribus semerme 4
 ad Marcellum consulem in Samnium profugerunt.

Herdo-
 neam de-
 let, oppi-
 danosque
 migrare iu-
 bet.

2. Marcellus, nihil admodum tanta clade territus, literas
 Romam ad senatum de duce et exercitu ad Herdoneam
 amisso scribit. 'Ceterum, eundem se, qui post Cannen-
 sem pugnam ferocem victoria Hannibalem contudisset,
 ire adversus eum, brevem illi laetitiam, qua exsultet, fac-
 turum.' Et Romae quidem quum luctus ingens ex prae-
 terito, tum timor in futurum erat. Consul, ex Samnio in
 Lucanos transgressus, ad Numistrone in conspectu Han-
 nibalis loco plano, quum Poenus collem teneret, posuit
 castra. Addidit et aliam fidentis speciem, quod prior in
 aciem eduxit. Nec detrectavit Hannibal, ut signa portis
 offerri vidit. Ita tamen aciem instruxerunt, ut Poenus
 dextrum cornu in collem erigeret, Romani sinistrum ad
 oppidum applicarent. Ab hora tertia quum ad noctem 5
 pugnam extendissent, fessaeque pugnando primae acies es-
 sent, ab Romanis prima legio et dextra ala, ab Hannibale
 Hispani milites et funditor Baliaris, elephanti quoque, com-
 misso iam certamine in proelium acti. Diu pugna neutro
 inclinata stetit. Primae legioni tertia, dextrae alae sinistra
 subiit, et apud hostes integri a fessis pugnam acceperere.
 Novum atque atrox proelium ex tam segni repente exarsit,
 recentibus animis corporibusque: sed nox incerta victoria
 diremit pugnantes. Postero die Romani ab sole orto in
 multum diei stetero in acie: ubi nemo hostium adversus
 prodiit, spolia per otium legere, et congestos in unum lo-

Marcellus
 ad Hanni-
 balem con-
 tendit.

3 *Sextam ante*] Huic *ante*, respon-
 det sequens *deinde*.

4 *Semerme*] Voces a vocali in-
 cipientes, cum voce *semi* compositas,
 eiusdem voculae ultimam litteram i
 modo servare, modo abicere animad-
 vertit Drakenb.

5 *Ab hora tertia*] Hic aliquid loco
 motum fuisse credidit Crevier. et ex
 sequentibus pauca verba huc re-
 traxit, legens; *Diu pugna neutro in-
 clinata fuit. Ab hora tertia, etc.*
 Quo iure viderint critici.

cum cremavere suos. Nocte insequenti Hannibal silentio movit castra, et in Apuliam abiit: Marcellus, ubi lux fugam hostium aperuit, sauciis cum praesidio modico Numistrone relictis, praepositoque his L. Furio Purpurcone tribuno militum, vestigiis institit sequi. Ad Venusiam adeptus cum est. Ibi per dies aliquot quum ab stationibus procurreretur, mixta equitum peditumque tumultuosa magis praecelia, quam magna, et ferne omnia Romanis secunda fuerunt. Inde per Apuliam ducti exercitus sine ullo memorando certamine; quum Hannibal nocte signa moveret, locum insidiis quaerens; Marcellus, nisi certa luce, et explorato ante, non sequeretur.

U. C. 542.
A. C. 210.
Abiit Hannibal nocte, sequente Marcellus.

Capuae interim Flaccus dum bonis principum vendendis, 3. agro, qui publicatus fuerat, locando (locavit autem omnem frumento) tempus terit; ne deesset materia in Campanos saeviendo, novum in occulto gliscens per indicium protractum est facinus. Milites aedificiis emotos, simul ut 7 cum agro tecta urbis fruenda locarentur, simul metuens, ne suum quoque exercitum, sicut Hannibalis, nimia urbis amoenitas emolliret, in portis murisque sibi ipsos tecta militariter coegerat aedificare. Erant autem pleraque ex eratibus aut tabulis facta, alia arundine texta, stramento intecta omnia, velut de industria, alimentis ignis. Haec noctis una hora ut omnia incenderent, centum septuaginta Campani, principibus fratribus Blossiis, coniuraverant. Indicio eius rei ex familia Blossiorum facto, portis repente iussu proconsulis clausis, quum ad arma signo dato milites concurrissent; comprehensi omnes, qui in noxa erant, et, quaestione acriter habita, damnati necatique: indicibus libertas, et aeris dena millia data. Nucerninos et Acerranos querentes, ubi habitarent, non esse, Acerris ex parte incensis, Nuceria deleta, Romam Fulvius ad senatum misit. Acerranis permissum, ut aedificarent, quae incensa erant: Nucernini Atellam, quia id maluerant, Atellanis Calatiam migrare iussis, traducti.

Coniuratio Campanorum.

Inter multas magnasque res, quae, nunc secundae, nunc adversae, occupabant cogitationes hominum, ne Tarentinae quidem arcis excidit memoria. M. Ognlnius et P. Aquilius in Etruriam legati ad frumentum coemendum, quod

6 *Locavit autem omnem frumento*] Scilicet fructum agri publicati mancipibus locavit; ea conditione ut quotannis certum frumenti modum reipublicae penderent. cf. Niebhr. ii. n. 285. Festus v. *Venditiones*. Ceterum *agrum locare*, ut ap. Cic. in Verr. iii. 6., elliptice pro *agrum fruendum locare* dicitur. cf. Niebhr. ii. n. 291.

7 *Tecta urbis fruenda locarentur*] Similiter infr. xxxii. 7. *censores portoria venalium . . . fruenda locarunt*, h. e. censores locabant ius vectigalis, sive fructus percipiendi, quod redemptores lege dicta conducebant.

8 *Ex familia Blossiorum*] Intellige a servo quodam ex familia Blossiorum. DOER.

U. C. 542. Tarentum portaretur, profecti: et mille milites de exercitu
A. C. 210. urbano, par numerus Romanorum sociorumque, eodem in 9
praesidium cum frumento missi sunt.

4. Iam aestas in exitu erat, comitiorumque consularium in-
Marcellus instabat tempus. Sed literae Marcelli, negantis e republica
instat Hannibali. esse, vestigium abscedi ab Hannibale, cui cedenti certa-
menque abnuenti gravis ipse instaret, curam iniecerant, ne
aut consulem, tum maxime res agentem, a bello avocarent,
aut in annum consules deessent. Optimum visum est,
quancquam extra Italiam esset, Valerium potius consulem
ex Sicilia revocari. Ad eum literae iussu senatus ab L.
Manlio praetore urbis missae, cum literis consulis M. Mar-
celli: ut ex iis nosceret, quae causa Patribus eum potius,
quam collegam, revocandi ex provincia esset.

Syphacis
legati ad
Rom.

Rom. le-
gati ad Sy-
phacem.

Legati
Alexandri-
am missi.

Eo fere tempore legati ab rege Syphace Romam vene-
runt, quae is prospera proelia cum Carthaginiensibus fe-
cisset, memorantes. ‘Regem nec inimiciorem ulli populo,
‘quam Carthaginiensi, nec amiciorem, quam Romano,’
affirmabant ‘esse. Misisse eum antea legatos in Hispa-
niam ad Cn. et P. Cornelios, imperatores Romanos: nunc
‘ab ipso velut fonte petere Romanam amicitiam voluisse.’
Senatus non legatis modo benigne respondit, sed et ipse
legatos cum donis ad regem misit, L. Genucium, P. Poete-
lium, P. Popillium. Dona tulere, togam et tunicam pur-
puream, sellam eburneam, pateram ex quinque pondo auri
factam. Protinus et alios Africae regulos iussi adire. Iis
quoque quae darentur, portata, togae praetextae, et terna 2
pondo paterae aureae. Et Alexandriam ad Ptolemaeum 3
Cleopatramque reges M. Atilius et M. Acilius legati, ad
commemorandam renovandamque amicitiam missi, dona
tulere, regi togam et tunicam purpuream cum sella ebur-
nea: reginae pallam pictam cum amiculo purpureo. 4

Multa ea aestate, qua haec facta sunt, ex propinquis
urbibus agrisque nuntiata sunt prodigia: Tusculi agnum
cum ubere lactenti natum: Iovis aedis culmen fulmine

9 *Romanorum*] Hanc vocem, et particulam *que*, e margine in textum irrepsisse suspicatur Duker. quum urbanis legionibus socii non ascripti fuerint. Fieri tamen potest, ut Livius haec incuria scripserit, et quingentos Romanos e legionibus urbanis, paremque numerum sociorum missos fuisse intellexerit.

1 *Vestigium abscedi*] h. e. Vel unum passum. DOER. cf. Cic. pro Caecina. 14. *Facere vestigium in possessionem*. Crevierius vocem *vestigium* regi censet a praepositione intellecta, e. g. *secundum*.

2 *Terna pondo*] sc. *Terna* pondera librarum *pondo*. cf. sup. iii. 29. xxvi. 47.

3 *Ptolemaeum*] sc. Philopator, regem Aegypti, qui paullo ante initium secundi Punici belli regnare occoeperat. Cum eo hic renovatur amicitia, inchoata ab avo eius Philadelpho. CREV.

4 *Pallam*] Pallium ad usum feminarum, acui pictum. “Amiculum,” inquit Festus, “genus est vestimenti a circumiectu dictum.” Nempe *amiculum* ab *amicio*, quod ab *am*, sive *ἀμφι*, circum, et *icio*, iacio. CREV.

ictum, ac prope omni tecto nudatum: iisdem ferme diebus, U. C. 542.
 Anagninae terram ante portam ictam, diem ac noctem sine A. C. 210.
 5 ullo ignis alimento arsisse: et aves, ad compitum Anagninum,
 in luco Dianae nidos in arboribus reliquisse: Tarracinae in
 mari haud procul portu angues magnitudinis mirae lascivi-
 entium piscium modo exsultasse: Tarquiniis porcum cum
 ore humano genitum: et in agro Capenate, ad lucum Fero-
 niae, quattuor signa sanguine multo diem ac noctem su-
 dasse. Haec prodigia hostiis maioribus procurata decreto
 pontificum: et supplicatio diem unum Romae ad omnia
 pulvinaria, alterum, in Capenate agro, ad Feroniae lucum,
 indicta.

M. Valerius consul literis excitus, provincia exercituque 5.
 mandato Cincio praetori, M. Valerio Messalla praefecto
 classis cum parte navium in Africam praedatum simul spe-
 culatumque, quae populus Carthaginiensis ageret pararet-
 que, misso, ipse decem navibus Romam profectus quum
 prospere pervenisset, senatum extemplo habuit. Ibi de
 6 suis rebus gestis commemoravit. ‘Quum annos prope sex-
 ‘aginta in Sicilia terra marique saepe magnis cladibus bel-
 7 ‘latum esset, se eam provinciam confecisse. Neminem
 ‘Carthaginiensem in Sicilia esse: neminem Siculum, qui
 ‘metu inde fugati afuerint, non esse: omnes in urbes, in
 ‘agros suos reductos, arare, serere: desertam recoli tandem
 ‘terram, frugiferam ipsis cultoribus, populoque Romano
 8 ‘pace ac bello fidissimum annonae subsidium.’ Exin
 Mutine, et si quorum aliorum merita erga populum Roma-
 num erant, in senatum introductis, honores omnibus, ad
 exsolvendam fidem a consule, habiti. Mutines etiam civis
 Romanus factus, rogatione ab tribuno plebis, ex auctoritate
 Patrum, ad plebem lata.

Dum haec Romae geruntur, M. Valerius Messalla quin-
 quaginta navibus quum ante lucem ad Africam accessisset, Classis
Rom. Afri-
cam popu-
latur.
 improvise in agrum Uticensem excensionem fecit: cum-
 que late depopulatus, multis mortalibus cum alia omnis
 generis praeda captis, ad naves rediit, atque in Siciliam
 transmisit: tertio decimo die, quam profectus inde erat,
 Lilybaeum revectus. Ex captivis, quaestione habita, haec
 comperta, consuliue Laevino omnia ordine perscripta, ut
 sciret, quo in statu res Africae essent. ‘Quinque millia

5 *Compitum Anagninum*] Hoc no-
 men loci, id est, vici alicuius, sive
 oppiduli, esse monet Douiatius. At
 quo auctore id affirmet, docere neg-
 lexit. Res per se ipsa admodum est
 verisimilis. CREV.

6 *Annos prope sexaginta*] Ab anno

nimirum 488. U. C. a quo hic quin-
 quagesimus quintus annus agitur.
 CREV.

7 *Provinciam confecisse*] Debel-
 lasse. cf. supr. xxvi. 21.

8 *Exin Mutine*] Qui Agrigentum
 prodidisse traditur, supr. xxvi. 40.

U. C. 542. 'Numidarum cum Masinissa, Galae filio, acerrimo iuvene,
 A. C. 210. 'Carthagine esse; et alios per totam Africam milites mer-
 'cede conduci, qui in Hispaniam ad Hasdrubalem traice-
 'rentur: ut is, quam maximo exercitu primo quoque tem-
 'pore in Italiam transgressus, iungeret se Hannibali. In
 'eo positam victoriam credere Carthaginienses. Classem
 'praeterea ingentem apparari ad Siciliam repetendam,
 'eamque se credere brevi traiectionem.' Haec recitata a
 concerta-
 tio de dic-
 tatore di-
 cendo.
 consule ita movere senatum, ut non exspectanda comitia
 consuli censerent, sed dictatorem comitiorum habendorum
 causa dici, et extemplo in provinciam redeundum. Illa
 disceptatio tenebat, quod consul in Sicilia se M. Valerium
 Messallam, qui tum classi praesesset, dictatorem dicturum
 esse aiebat: Patres extra Romanum agrum (eum autem 9
 Italia terminari) negabant dictatorem dici posse. M. Lu-
 cretius tribunus plebis quum de ea re consuleret, ita de-
 crevit senatus, 'Ut consul prius, quam ab urbe discederet,
 'populum rogaret, quem dictatorem dici placeret; cumque,
 'quem populus iussisset, diceret dictatorem. Si consul
 'noluisset, praetor populum rogaret: si ne is quidem vellet,
 'tum tribuni ad plebem ferrent.' Quum consul se populum
 rogaturum negasset, quod suae potestatis esset, praetorem-
 que vetuisset rogare; tribuni plebis rogarunt, plebesque 2
 scivit, ut Q. Fulvius, qui tum ad Capuam erat, dictator
 diceretur. Sed, quo die id plebis concilium futurum erat,
 consul clam nocte in Siciliam abiit: destitutique Patres
 literas ad M. Claudium mittendas censuerunt, ut desertae
 ab collega reipublicae subveniret, diceretque, quem populus
 iussisset, dictatorem. Ita a M. Claudio consule Q. Fulvius
 Q. Fulvius
 dictator.
 dictatus, et ex eodem plebiscito et ab Q. Fulvio dic- 3
 6. tatore P. Licinius Crassus pontifex maximus magister equi-
 tum dictus. Dictator postquam Romam venit, Cn. Sem-
 pronium Blaesum legatum, quem ad Capuam habuerat, in
 Etruriam provinciam ad exercitum misit, in locum C. Cal-
 purnii praetoris; quem, ut Capuae exercituique suo prae-
 Comitia.
 Certamen
 inter dicta-
 torem et
 tribunos
 plebis.
 esset, literis excivit. Ipse comitia, in quem diem primum
 potuit, edixit: quae, certamine inter tribunos dictatorem-
 que iniecto, perfici non potuerunt. Galeria iuniorum, quae 4

9 *Eum autem Italia terminari*] Haec ita accipienda sunt, ut nullus extra Italiam ager pro Romano haberetur, non ut omnis Italiae ager Romanus esset. CREV.

1 *Quod suae potestatis esset*] Arbitrium vero liberum dictatorem, quem vellet, dicendi consulem habuisse negat Niebhr. i. n. 1251.

2 *Tribuni plebis rogarunt*] cf. Supr.

iv. 26. ubi senatus tribunos appellat adversus consules dictatorem dicere nolentes.

3 *Ex eodem plebiscito*] Hinc magistrum equitum antiquitus ex auctoritate plebeiorum equitum, non ad arbitrium dictatoris, dictum fuisse censet Niebhr. i. n. 1258, 1259.

4 *Galeria iuniorum*] cf. Supr. x. 22. xxiv. 7. xxvi. 22.

sorte praerogativa erat, Q. Fulvium et Q. Fabium consules ^{U. C. 542.}
 5 dixerat, eodemque iure vocatae inclinassent, nisi tribuni ^{A. C. 210.}
 plebis C. et L. Arennii se interposuissent: qui, 'neque
 6 'magistratum continuari satis civile esse,' aiebant; 'et
 'multo foedioris exempli, eum ipsum creari, qui comitia
 'haberet. Itaque, si suum nomen dictator acciperet, se
 'comitiis intercessuros: si aliorum, praeterquam ipsius,
 'ratio haberetur, comitiis se moram non facere.' Dictator
 causam comitiorum auctoritate senatus, plebiscito, exemplis
 tutabatur. 'Namque, Cn. Servilio consule, quum C. Fla-
 'minius alter consul ad Trasimenum cecidisset, ex aucto-
 'ritate Patrum ad plebem latum, plebemque scivisse, ut,
 'quoad bellum in Italia esset, ex iis, qui consules fuissent,
 'quos et quoties vellet, reficiendi consules populo ius esset:
 'exemplumque eam in rem se habere vetus L. Postumii
 'Megelli, qui interrex iis comitiis, quae ipse habuisset,
 'consul cum C. Iunio Bubulco creatus esset; recens Q.
 'Fabii, qui sibi continuari consulatum, nisi id bono publico
 'fieret, profecto nunquam sisset.' His orationibus quum
 diu certatum esset, postremo ita inter dictatorem ac tribu-
 nos convenit, ut eo, quod censuisset senatus, staretur.
 Patribus id tempus reipublicae visum est, ut per veteres, et
 expertos, bellique peritos imperatores respublica gereretur.
 Itaque moram fieri comitiis non placere. Concedentibus
 tribunis, comitia habita. Declarati consules Q. Fabius
 Maximus quintum, Q. Fulvius Flaccus quartum. Praetores
 inde creati, L. Veturius Philo, T. Quinctius Crispinus, C.
 Hostilius Tubulus, C. Aurunculeius. Magistratibus in
 annum creatis, Q. Fulvius dictatura se abdicavit.

Extremo aetatis huius classis Punica navium quadra-
 ginta, cum praefecto Hamilcare in Sardiniam traiccta, Ol-
 biensem primo, dein, postquam ibi P. Manlius Vulso prae-
 tor cum exercitu apparuit, circumacta inde ad alterum in-
 sulae latus, Caralitanum agrum vastavit, et cum praeda
 omnis generis in Africam rediit.

Sacerdotes Romani eo anno mortui aliquot suffectique.
 C. Servilius pontifex factus in locum T. Otacilii Crassi.
 7 Ti. Sempronius Ti. F. Longus augur factus in locum T.
 Otacilii Crassi. Decemvir item sacris faciundis in locum

5 *Iure vocatae*] cf. Supr. v. 18. *Iure vocatae* reliquae dicebantur tri-
 bus, sive centuriae, praeter praeroga-
 tivam, cuius suffragio renuntiato, in
 eandem sententiam ceterae plerum-
 que inclinabant.

6 *Satis civile*] sc. Congruum ae-
 quae inter cives libertati, quippe ple-
 biscito ann. U. C. 413, cautum erat,

ne quis eundem magistratum intra
 decem annos caperet: quod haud du-
 bie sublatum fuisset, si magistratus,
 a dictatura ad consulatum transiturus,
 cuivis continuatus esset.

7 *Ti. Sempronius . . . T. Otacilii
 Crassi*] Haec verba unciolis inclusit
 Drakenb. quum Livius infr. xli. 21.
 mortem huius Ti. Sempronii referens,

U. C. 542. Ti. Sempronii C. F. Longi Ti. Sempronius Ti. F. Longus
A. C. 210. suffectus. M. Marcius rex sacrorum mortuus est, et M. Aemilius Papus maximus curio: neque in eorum locum sacerdotes eo anno suffecti.

Censores. Et censores hic annus habuit L. Veturium Philonem et P. Licinium Crassum, maximum pontificem. Crassus Licinius nec consul, nec praetor ante fuerat, quam censor est factus: ex aedilitate gradum ad censuram fecit. Sed hi censores neque senatum legerunt, nec quicquam publicae rei egerunt: mors diremit L. Veturii. Inde et Licinius censura se abdicavit. Aediles curules L. Veturius et P. Licinius Varus ludos Romanos diem unum instaurarunt. Aediles plebis Q. Catus et L. Porcius Licinus ex multatio argento signa aenea ad Cereris dedere: et ludos, pro temporis eius copia, magnifici apparatus fecerunt.

7. Exitu anni huius, die quarto et tricesimo, quam ab Tarracone profectus erat, C. Laelius legatus Scipionis Romam venit: isque, cum agmine captivorum ingressus urbem, magnum concursum hominum fecit. Postero die in senatum introductus, captam Carthaginem, caput Hispaniae, uno die, receptasque aliquot urbes, quae defecissent, novasque in societatem ascitas, exposuit. Ex captivis compta his fere congruentia, quae in literis fuerant M. Valerii Messallae. Maxime movit Patres Hasdrubalis transitus in Italiam, vix Hannibali atque eius armis subsistentem. Productus et in concionem Laelius eadem edisseruit. Senatus ob res feliciter a P. Scipione gestas supplicationem in unum diem decrevit. C. Laelium primo quoque tempore, cum quibus venerat navibus, redire in Hispaniam iussit.

Carthaginis expugnationem in hunc annum contuli, multis auctoribus; haud nescius, quosdam esse, qui anno insequenti captam tradiderint: quod mihi minus simile veri visum est, annum integrum Scipionem nihil gerundo in Hispania consumpsisse.

U. C. 543. Q. Fabio Maximo quintum, Q. Fulvio Flacco quartum
A. C. 209. consulibus, Idibus Martiis, quo die magistratum inierunt,

cum decemvirum sacrorum fuisse, et quis illi in hoc sacerdotio successerit, memorat, at auguratus non meminuit; sed Gronov. fide mss. nisus, haec haud dubie Livii verba fuisse censet, et apud Romanos sacerdotia plura in singulos haud raro collata fuisse variis exemplis confirmat.

8 *Maximus curio*] cf. Supr. iii. 7.

9 *Inde et Licinius censura se abdicavit*] Quia religioni esset in demortui locum censorem suffici. cf. supr. v. 31.

1 *Diem unum instaurarunt*] h. e. Diem unum ad quatrimum adiecerunt. cf. supr. xxv. 2. Niebhr. ii. n. 68.

2 *Ludos*] sc. Plebeios, Cereri, Libero Liberaeque factos. cf. Cic. in Verr. v. 14.

3 *Vix Hannibali . . . subsistentem*] Id est, vix parem: quemadmodum apud Cic. ad Divers. xi. 10. *subsistere sumptui*, quod ex optimis mss. reposuerunt Victorius et Gebhardus. Cr.

Italia ambobus provincia decreta; regionibus tamen partitum imperium: Fabius ad Tarentum, Fulvius in Lucanis ac Brutiis rem gereret. M. Claudio prorogatum in annum imperium. Praetores sortiti provincias: C. Hostilius Tullius urbanam, L. Veturius Philo peregrinam cum Gallia, T. Quinctius Crispinus Capuam, C. Aurunculeius Sardiniam. Exercitus ita per provincias divisi. Fulvio duae legiones, quas in Sicilia M. Valerius Laevinus haberet: Q. Fabio, quibus in Etruria C. Calpurnius praefuisset, decretae. Exercitus urbanus ut in Etruriam succederet: C. Calpurnius eidem praecesset provinciae exercituique: Capuam exercitumque, quem Q. Fulvius habuisset, T. Quinctius obtineret. L. Veturius ab C. Laetorio propraetore provinciam exercitumque, qui tum iam Arimini erat, acciperet. M. Marcello, quibus consul bene rem gesserat, legiones decretae. M. Valerio cum L. Cincio (his quoque est enim prorogatum in Sicilia imperium) Cannensis exercitus datus: eumque supplere ex militibus, qui ex legionibus Cn. Fulvii superessent, iussi. Conquisitos eos consules in Siciliam miserunt: additaque eadem militiae ignominia, sub qua Cannenses militabant, quique ex praetoris Cn. Fulvii exercitu, ob similis iram fugae, missi eo ab senatu fuerant. C. Aurunculeio eadem in Sardinia legiones, quibus P. Manlius Vulso eam provinciam obtinuerat, decretae. P. Sulpicio, eadem legione eademque classe Macedoniam obtinere iusso, prorogatum in annum imperium. Triginta quinqueremes ex Sicilia Tarentum ad Q. Fabium consulem mitti iussae: cetera classe praedatum in Africam aut ipsum M. Valerium Laevinum traicere; aut mittere, seu L. Cincium, seu M. Valerium Messallam. Nec de Hispania quicquam mutatum, nisi quod non in annum Scipioni Silanoque, sed donec revocati ab senatu forent, prorogatum imperium est. Ita provinciae exercituumque in eum annum partita imperia.

Inter maiorum rerum curas comitia maximi curionis, quum in locum M. Aemilii sacerdos crearetur, vetus exciterent certamen; patriciis negantibus C. Mamilius Vitulus, qui unus ex plebe petebat, habendam rationem esse, quia nemo ante eum, nisi ex Patribus, id sacerdotium habuisset.

8.

C. Mamilius primus ex plebe maximus curio.

4 *L. Veturius ab C. Laetorio*] Pro *L. Veturius*, quod Pighius reposuit, codices *C. Hostilius* prae se ferunt: sed Pighii coniectura iis, quae infr. 10. et 22. memorantur, praeclare firmatur.

5 *Praetoris Cn. Fulvii*] Triennio ante circa Herdoneam ab Hannibale victi. cf. supr. xxv. 21.

6 *P. Sulpicio*] Quem supr. xxvi. 28. exercitum omnem praeter socios dimittere iussum fuisse animadvertit Pighius. Hinc, quum, prorogato imperio, infr. 22, nulla legionis mentio facta sit, vel Livium hallucinatum esse, vel librarios peccasse Perizonius coniecit.

U. C. 543. Tribuni appellati ad senatum reiecerunt. Senatus populi 7
 A. C. 209. potestatem fecit. Ita primus ex plebe creatus maximus
 Flamen Dialis in-
 vitus inau-
 guratur C.
 Valerius. curio C. Mamilius Vitulus. Et flaminem Dialem invitum
 inaugurari coegit P. Licinius pontifex maximus C. Vale-
 rium Flaccum. Decemvir sacris faciundis creatus in locum
 Q. Mucii Scaevolae demortui C. Laetorius. Causam in-
 augurari coacti flaminis libens reticnissem, ni ex mala fama
 in bonam vertisset. Ob adolescentiam negligentem luxu-
 riosamque C. Flaccus flamen captus a P. Licinio pontifice
 maximo erat, L. Flacco fratri germano cognatisque aliis ob
 eadem vitia invisus. Is, ut animum eius cura sacrorum et
 caerimoniarum cepit, ita repente exiit antiquos mores, ut
 nemo tota iuventute haberetur prior, nec probatior primo-
 ribus Patrum, suis pariter alienisque, esset. Huius famae
 consensu elatus ad iustam fiduciam sui, rem intermissam
 per multos annos ob indignitatem flaminum priorum repe-
 titiv, ut in senatum introiret. Ingressum eum curiam quum
 L. Licinius praetor inde eduxisset, tribunos plebis appella-
 vit flamen. Vetustum ius sacerdotii repetebat: datum id
 cum toga praetexta et sella curuli flaminio esse. Praetor,
 non exoletis vetustate annalium exemplis stare ius, sed re-
 centissimae cuiusque consuetudinis usu, volebat: nec pa-
 trum, nec avorum memoria Dialem quemquam id ius usur-
 passe. Tribuni, rem inertia flaminum obliteratam ipsis,
 non sacerdotio, damno fuisse, quum aequum censuissent,
 ne ipso quidem contra tendente praetore, magno assensu
 Patrum plebisque, flaminem in senatum introduxerunt;
 omnibus ita existimantibus, magis sanctitate vitae, quam
 sacerdotii iure, rem eam flaminem obtinuisse.

Iure sacer-
 dotii sena-
 tum ingre-
 ditur.

Consules prius, quam in provincias irent, duas urbanas 9
 legiones, in supplementum, quantum opus erat ceteris
 exercitibus militum, scripserunt. Urbanum veterem exer-
 citum Fulvius consul C. Fulvio Flacco legato (frater hic
 consulis erat) in Etruriam dedit ducendum, et legiones,
 quae in Etruria erant, Roman deducendas. Et Fabius

7 *Senatus populi potestatem fecit*] Senatus censuit liberam huiusce rei
 potestatem populo esse relinquendam.
 Sic Sallust. B. Ing. 78. *Graeci optio-
 nem Carthaginensium faciunt.* Cr.

8 *Flamen captus*] Verbum in hac
 re proprium. Dicebatur enim flamen
capi, vestalis *capi*, id est, eligi a pon-
 tifice maximo. Vid. A. Gellium, i.
 12. Quod autem hic L. Flaccus fla-
 men captus memoratur a pontifice
 maximo ob adolescentiam negligem-
 tem luxuriosamque, nimirum vel spe-
 ravit pontifex maximus, id quod even-
 nit, fore ut animus eius cura sacro-

rum et caerimoniarum occupatus vi-
 tia exueret; vel, quia clarissimo ge-
 nere ortus adolescens ob pravos mores
 nullum publicum munus adipisci posse
 videretur, ideo solari cognatus eius
 voluit, hoc ei impertito sacerdotio.
 CREV.

9 *Duas urbanas legiones*] Viti-
 sam esse huius loci interpunctionem
 suspicatur Crevier. qui *duas urbanas
 legiones*; legendum vult, quippe *le-
 giones urbanae* a militibus, qui ad
 subita belli ministeria praesto essent,
 omnino diversae essent.

consul reliquias exercitus Fulviani conquistas (fuere autem U. C. 543.
ad tria millia trecenti triginta sex) Q. Maximum filium A. C. 209.
ducere in Siciliam ad M. Valerium proconsulem iussit: Exercitus
atque ab eo duas legiones et triginta quinquereemes accipere. in Sicilia.
Nihil hae eductae ex insula legiones minuerunt nec viribus
nec specie eius provinciae praesidium. Nam quum, praeter
egregie suppletas duas veteres legiones, transfugarum etiam
Numidarum equitum peditumque magnam vim haberet,
Siculos quoque, qui in exercitu Epicydis aut Poenorum
fuerant, belli peritos viros, milites scripsit. Ea externa
auxilia quum singulis Romanis legionibus adiunxisset, duo-
rum speciem exercituum servavit: altero L. Cincium par-
tem insulae, qua regnum Hieronis fuerat, tueri iussit: altero
1 ipse ceteram insulam tuebatur, divisam quondam Romani
Punicique imperii finibus; classe quoque navium septua-
ginta partita, ut omni ambitu litorum praesidia orae mariti-
mae essent. Ipse cum Mutinis equitatu provinciam pera-
2 grabat, ut visceret agros, cultaque ab incultis notaret, et per-
inde dominos laudaret castigaretque. Ita tantum ea cura
frumenti provenit, ut et Romam mitteret, et Catanam con-
velheret, unde exercitui, qui ad Tarentum aestiva acturus
esset, posset praebere.

Ceterum transportati milites in Siciliam (et erant maior 9.
pars Latini nominis sociorumque) prope magni motus
causa fuere: adeo ex parvis saepe magnarum momenta re-
rum pendent. Frenitus enim inter Latinos sociosque in Querelae
conciliis ortus: 'Decimum annum delectibus, stipendiis sociorum
'exhaustos esse: quotannis ferme clade magna pugnare. et Latini
'Alios in acie occidi, alios morbo absumi: magis perire sibi nominis.
'civem, qui ab Romano miles lectus sit, quam qui a Poeno
'captus. Quippe ab hoste gratis remitti in patriam: ab
'Romanis extra Italiam in exsilium verius, quam in mili-
'tiam, ablegari. Octavum iam ibi annum senescere Can-
'nensem militem, moriturum ante, quam Italia hostis
'(quippe nunc quum maxime florens viribus) excedat. Si
'veteres milites non redeant in patriam, novi legantur, brevi
'neminem superfuturum. Itaque, quod propediem res
'ipsa negatura sit, priusquam ad ultimam solitudinem
'atque egestatem perveniant, negandum populo Romano
'esse. Si consentientes in hoc socios videant Romani, pro-
'fecto de pace cum Carthaginiensibus iungenda cogitatu-
ros:

1 *Divisam quondam*] Hanc di-
visionem nunquam locum habuisse
censet Duker. Sed Crevier. tempus
belli Punici primi fortasse a nostro
respici monet.

2 *Perinde dominos*] *Proinde* Gro-
novius emendat, quem auctorem se-

cutus est Bekker. Voculas *pro*, *prae*,
et *per*. saepissime in mss. permutari,
quum librarii passim compendia, qui-
bus notari solebant, confuderint. mo-
net Drakenb. De vocula *perinde*, cf.
Ruhnken. Opusc. p. 748.

U. C. 543. 'aliter nunquam, vivo Hannibale, sine bello Italiam fore.'
 A. C. 209. Haec acta in conciliis. Triginta tum coloniae populi Ro- 3
 Coloniae mani erant. Ex iis duodecim, quum omnium legationes 4
 duodecim Romae essent, negaverunt consulibus esse, unde milites
 negant se pecuniamque darent. Eae fuere Ardea, Nepete, Sutrium,
 daturas Ro- Alba, Carseoli, Cora, Suessa, Circeii, Setia, Cales, Narnia,
 milites Ro- Interamna. Nova re consules icti, quum abstertere eos a
 manis. Castigan- tur a Coss. tam detestabili consilio vellent, castigando increpandoque
 plus, quam leniter agendo, profecturos rati, 'eos ausos esse
 'consulibus dicere,' aiebant, 'quod consules, in senatu ut
 'pronuntiarent, in animum inducere non possent. Non
 'enim detrectationem eam munerum militiae, sed apertam
 'defectionem a populo Romano esse. Redirent itaque
 'propere in colonias, et, tanquam integra re, locuti magis,
 'quam ausi, tantum nefas, cum suis consulerent: admone-
 'rent, non Campanos, neque Tarentinos eos esse, sed Ro-
 'manos; inde oriundos, inde in colonias atque in agrum
 'bello captum stirpis augendae causa missos: quae liberi
 'parentibus deberent, ea illos Romanis debere, si ulla
 'pietas, si memoria antiquae patriae esset. Consulerent
 'igitur de integro: nam, tum quidem quae temere agitas-
 'sent, ea prodendi imperii Romani, tradendae Hannibali
 'victoriae esse.' Quum alternis haec consules diu iactas-
 sent, nihil moti legati, 'neque se, quod domum renun-
 'tiarent, habere,' dixerunt, 'neque senatum suum, quid
 'novi consuleret, ubi nec miles, qui legeretur, nec pecunia,
 'quae daretur in stipendium, esset.' Quum obstinatos eos
 viderent consules, rem ad senatum detulerunt: ubi tantus
 pavor animis omnium est iniectus, ut magna pars, 'actum
 'de imperio,' diceret. 'Idem alias colonias facturas; idem
 'socios concessisse omnes, ad prodendam Hannibali urbem
 10. 'Romanam.' Consules hortari et consolari senatum, et
 dicere, 'Alias colonias in fide atque officio pristino fore;
 'eas quoque ipsas, quae officio decessissent, si legati circa
 'eas colonias mittantur, qui castigent, non qui precentur,
 'verecundiam imperii habituras esse.' Permissum ab se-
 natu iis quum esset, agerent, facerentque, ut e republica
 ducerent; pertentatis prius aliarum coloniarum animis,
 citaverunt legatos, quaesiveruntque ab iis, 'ecquid milites
 'ex formula paratos haberent?' Pro duodeviginti coloniis 5

3 *Triginta tum coloniae*] Tres et quadraginta colonias a Romanis ab urbe condita usque ad hoc tempus deductas fuisse Livio auctore docet Sigonius. Unde aut reliquas in potestate Hannibalis iam fuisse, aut ad subsidia Romam mittenda non satis valuisse, cum Crevierio existimes.

4 *Legationes Romae*] sc. Vel ob eam causam a consulibus evocatae, vel ultro Romam profectae, ut Lips. de Mil. Rom. i. 7. animadvertit. Duk.

5 *Ex formula*] Qua descriptum erat, quantum quaeque colonia militum deberet. Vid. supr. xxii. 57. CREV.

M. Sextilius Fregellanus respondit: 'et milites ex formula U. C. 543.
'paratos esse: et, si pluribus opus esset, plures daturus; A. C. 209.
'et, quicquid aliud imperaret velletque populus Romanus, Reliquae
'enixe facturos. Ad id sibi neque opes deesse, animum in officio
'etiam superesse.' Consules, sibi parum videri, praefati, sunt.
pro merito eorum, sua voce collaudari eos, nisi universi Pa-
tres iis in curia gratias egissent, sequi in senatum inusserunt.
Senatus, quam poterat honoratissimo decreto allocutus eos,
mandat consulibus, ut ad populum quoque eos producerent,
et inter multa alia praelara, quae ipsis maioribusque suis
praestitissent, recens etiam meritum eorum in rempub-
licam commemorarent. Ne nunc quidem post tot saecula
sileantur, fraudulenturve laude sua. Signini fuere, et Norba-
ni, Saticulanique, et Brundisini, et Fregellani, et Lucerini,
et Venusini, et Hadriani, et Firmiani, et Ariminenses: et ab
altero mari, Pontiani, et Paestani, et Cosani: et mediter-
ranei, Beneventani, et Aesernini, et Spoletini, et Placen-
tini, et Cremonenses. Harum coloniarum subsidio tum
imperium populi Romani stetit: iisque gratiae et in se-
natus, et ad populum actae. Duodecim aliarum coloniarum,
quae detrectaverunt imperium, mentionem fieri Patres ve-
tuerunt, neque illos dimitti, neque retineri, neque appellari
a consulibus. Ea tacita castigatio maxime ex dignitate
populi Romani visa est.

Cetera expedientibus, quae ad bellum opus erant, con-
sulibus, aurum vicesimarium, quod in sanctiore aerario ad
ultimos casus servabatur, promi placuit. Prompta ad
quattuor millia pondo auri. Inde quingena pondo data
consulibus, et M. Marcello, et P. Sulpicio proconsulibus,
et L. Veturio praetori, qui Galliam provinciam sortitus
erat; additumque Fabio consuli centum pondo auri
praecipuum, quod in arcem Tarentinam portaretur. Ce-
tero usi sunt ad vestimenta praesenti pecunia locanda ex-
ercitui, qui in Hispania bellum secunda sua fama ducisque
gerebat.

Prodigia quoque, priusquam ab urbe consules proficisce-
rentur, procurari placuit. In Albano monte tacta de coelo

11.

Prodigia.

6 *Post tot saecula*] Paulo plus du-
centi anni effluxerant ab hoc tempore
ad illud, quo Livius suam historiam
scribebat. An et hic *γέveα* intelligi
debent? Vid. supr. ix. 18. CREV.

7 *Ariminenses*] Hinc Savignius
locum apud Ciceron. Orat. pro A.
Caecina c. 35. refinxit, *duodeviginti*
pro *duodecim* coloniis legendum sua-
dens. cf. Museum Philolog. Cantab.
ii. p. 156.

VOL. II.

8 *Aurum vicesimarium*] Aurum
congestum paullatim ex vicesima par-
te pretii eorum, qui manumitteban-
tur; quae quidem solvi coepta fuerat
anno U. C. 398. Vid. supr. vii. 16.
CLERICUS.

9 *In sanctiore aerario*] sc. Recon-
ditione, unde, nisi in gravissimis discri-
minibus, non depromeretur.

1 *Ad vestimenta*] Quae exercitui
praeibenda conducerent redemptores,

A a

U. C. 543. erant signum Iovis, arborque templo propinqua, et Ostiae ²
 A. C. 209. lacus, et Capuae murus, Fortunaeque aedes, et Sinuessae
 murus portaque. Haec de coelo tacta. Cruentam etiam
 fluxisse aquam Albanam, quidam auctores erant: et Romae
 intus cellam aedis Fortis Fortunae de capite signum, quod ³
 in corona erat, in manus sponte sua prolapsum. Et Pri-
 verni satis constabat bovem locutum, vulturiumque fre-
 quenti foro in tabernam devolasse, et Sinuessae natum am-
 biguo inter marem ac feminam sexu infantem: quos an-
 drogynos vulgus (ut pleraque, faciliore ad duplicanda verba
 Graeco sermone) appellat: et lacte pluisset, et cum ele-
 phanti capite puerum natum. Ea prodigia hostiis maiori-
 bus procurata, et supplicatio circa omnia pulvinaria, et ob- ⁴
 secratio in unum diem indicta: et decretum, ut C. Hosti-
 lius praetor ludos Apollini, sicut his annis voti factique
 erant, voveret faceretque.

Censores. Per eos dies et censoribus creandis Q. Fulvius consul
 comitia habuit. Creati censores, ambo qui nondum con-
 sules fuerant, M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tu-
 ditanus. Hi censores ut agrum Campanum fruendum ⁵
 locarent, ex auctoritate Patrum latum in plebem est, ple- ⁶
 besque scivit. Senatus lectionem contentio inter censores
 de principe legendo tenuit. Sempronii lectio erat: cete-
 rum Cornelius 'morem traditum a patribus sequendum'
 aiebat, 'ut, qui primus censor ex iis, qui viverent, fuisset,
 'cum principem legerent.' Is T. Manlius Torquatus erat.
 Sempronius, 'cui dii sortem legendi dedissent, et ius li-
 'berum eosdem dedisse deos. Se id suo arbitrio facturum:
 'lecturumque Q. Fabium Maximum, quem tum principem
 'Romanae civitatis esse, vel Hannibale iudice, victurus ⁷
 'esset.' Quum diu certatum verbis esset, concedente col-
 lega, lectus a Sempronio princeps in senatu Q. Fabius
 Maximus consul: inde alius lectus senatus, octo praeteritis,

De legen-
 do prin-
 cipe sena-
 tus conten-
 tio.

² *Ostiae lacus*] Quum *lacum* de coelo tactum fuisse nupiam alibi legerit, nec quomodo id dici possit, intellexerit, *lucus* hoc loco Livium fortasse scripsisse coniecit Crevier.

³ *Intus cellam*] *Intus domum* apud Plaut. Mil. Glor. ii. 6. 55. citat Gronovius.

⁴ *Obsecratio . . . indicta*] *Obsecratio* sumitur hic specialiore sensu pro ritu quodam peculiari supplicandi diis, quemadmodum supr. iv. 21. *Obsecratio . . . a populo duumviris praeventibus est facta.* CREV.

⁵ *Ut agrum Campanum fruendum locarent*] sc. Ut fructum sen vectigal, quod possessores reipublicae pende-

rent, mancipibus locarent. Noster, ut Crevier. monet, memoravit supr. 3. agrum Campanum a Fulvio locatum esse. Sed nimirum haec res solenniore ritu peragitur a censoribus, quorum proprium hoc munus erat, ex auctoritate Patrum plebisque iussu.

⁶ *Latum in plebem*] Hanc inusitatam loquendi formam tantum non respuit Crevier. quum semper alias scriptores antiqui dixerint *ferre ad plebem*, quam lectionem edd. quaedam prae se ferunt.

⁷ *Victurus esset*] Evicturus esset. cf. Cic. ad Divers. xi. 28. "Perinde ac si iam vicerit, obitum eius rei publicae fuisse utilem."

inter quos L. Caccilius Metellus erat, infamis auctor de-
serendae Italiae post Cannensem cladem. In equestribus U. C. 543.
A. C. 209.
quoque notis eadem servata causa: sed erant perpauci,
quos ea infamia attingeret. Illis omnibus (et multi erant) Notati
Cannenses
equites.
adempti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia
erant. Addiderunt acerbitati etiam tempus, ne praeterita
stipendia procederent iis, quae equo publico emeruerant,
sed dena stipendia equis privatis facerent. Magnum prae-
terea numerum eorum conquisiverunt, qui equo merere
deberent: atque ex iis, qui principio eius belli septendecim
annos nati fuerant, neque militaverant, omnes acrarios fe-
cerunt. Locaverunt inde reficienda, quae circa forum
incendio consumpta erant, septem tabernas, macellum,
atrium regium.

Transactis omnibus, quae Romae agenda erant, consules 12.
ad bellum profecti. Prior Fulvius praegressus Capuam.
Post paucos dies consecutus Fabius; qui et collegam coram Fabius sta-
tuit Taren-
tum op-
pugnare.
obtestatus, et per literas Marcellum, ut quam acerrimo
bello detinerent Hannibalem, dum ipse Tarentum oppu-
gnaret: ea urbe adempta hosti iam undique pulso, nec ubi
consisteret, nec quid fidum respiceret habenti, ne remo-
randi quidem causam in Italia fore. Rhegium etiam nun-
tium mittit ad praefectum praesidii, quod ab Laevino
1 consule adversus Bruttios ibi locatum erat, octo millia ho-
minum: pars maxima ab Agathyrna, sicut antea dictum
est, ex Sicilia traducta, raptò vivere hominum assuetorum.
2 Additi erant Bruttiorum indidem perfugae, et audacia et
audendi omnia necessitatibus pares. Hanc manum ad
Bruttium primum agrum depopulandum duci iussit, inde
ad Cauloniam urbem oppugnandam. Imperata non im-
pigre solum, sed etiam avide, exsecuti, direptis fugatisque
cultoribus agri, summa vi urbem oppugnabant. Marcellus, Marcellus
ad Canu-
sium Han-
nibali oc-
currit.
et consulis literis excitus, et quia ita in animum induxerat,
neminem ducem Romanum tam parem Hannibali, quam
se, esse, ubi primum in agris pabuli copia fuit, ex hibernis
profectus, ad Canusium Hannibali occurrit. Sollicitabat Recedit
Hannibal,
sequente
Marcello.
ad defectionem Canusinos Poenus: ceterum, ut appropin-
quare Marcellum audivit, castra inde movit. Aperta erat

8 *Ne praeterita stipendia procederent iis, quae equo publico emeruerant*] Ne praeteritorum stipendiorum, quae equo publico emeruerant, ulla ratio haberetur. Hinc dena stipendia facere equis privatis iubentur. Tot enim annis, nempe decem, finiebatur equestris militiae tempus, teste Polyb. vi. 19. CREV.

9 *Septem tabernas*] cf. Supr. xxvi.

27.

1 *Octo millia hominum . . . vivere hominum assuetorum*] Alterutro loco vox hominum abundare videtur. Utrum autem ex posteriore Crevierius, an ex priori loco Gronovius expungendam rectius censuerit, viderint lectores.

2 *Indidem*] Ex hac ipsa regione, in qua Rhegium erat. CREV.

U. C. 543. regio, sine ullis ad insidias latebris; itaque in loca saltuosa
 A. C. 209. cedere inde coepit. Marcellus vestigiis instabat, castraque
 castris conferebat: et, opere perfecto, extemplo in aciem
 legiones educebat. Hannibal, turmatim per equites peditumque iaculatores levia certamina serens, casum universae pugnae non necessarium ducebat: tractus est tamen ad id, quod vitabat, certamen. Nocte praegressum assequitur locis planis ac patentibus Marcellus: castra inde ponentem, pugnando undique in munitores, operibus prohibet. Ita signa collata, pugnatumque totis copiis: et, quum iam nox instaret, Marte aequo discessum est. Castra, exiguo distantia spatio, raptim ante noctem permunita. Postero die luce prima Marcellus in aciem copias eduxit. Nec Hannibal detrectavit certamen, multis verbis adhortatus milites, 'ut, memores Trasimeni Cannarumque, contunderent ferociam hostis: urgere atque instare eum: non iter quietos facere, non castra ponere pati, non respirare aut circumspicere: quotidie simul orientem solem et Romanam aciem in campis videndam esse. Si uno proelio haud incruentus abeat, quietius deinde tranquilliusque eum bel-
 laturum.' His irritati adhortationibus, simulque taedio ferociae hostium quotidie instantium lacescentiumque, acriter proelium ineunt. Pugnatum amplius duabus horis est. Cedere inde ab Romanis dextra ala et extraordinarii coepere. Quod ubi Marcellus vidit, duodevicesimam legionem in primam aciem inducit. Dum alii trepidi cedunt, alii segniter subeunt, turbata tota acies est, dein prorsus fusa; et, vincente pudorem metu, terga dabant. Cecidere in pugna fugaque ad duo millia et septingenti civium sociorumque: in his quattuor Romani centuriones, duo tribuni militum, M. Licinius et M. Helvius. Signa militaria quattuor de ala, prima quae fugit; duo de legione, quae cedentibus sociis successerat, amissa.

Proelium
aequo
Marte.

Alterum
proelium,
in quo su-
perior Poe-
nus.

13. Marcellus, postquam in castra reditum est, concionem adeo saevam atque acerbam apud milites habuit, ut proelio, per diem totum infelicitate tolerato, tristior iis irati ducis oratio esset. 'Diis immortalibus, ut in tali re, laudes gratasque,' inquit, 'ago, quod victor hostis, cum tanto pavore incidentibus vobis in vallum portasque, non ipsa castra est aggressus. Deservissetis profecto eodem terrore castra,

Exercitus
acriter a
Marcello
incepitus.

3. *Dextra ala et extraordinarii*] Socii pars *alares* erant, pars *extraordinarii*. Ex omni enim sociali exercitu eligebantur appositissimi ad ea omnia quae vera virtute egent, quos a ceteris abiungebant et vocabant *extraordinarios*. Ex equitibus pars tertia, ex peditibus quinta sumebatur.

Reliquos in duas alas, dextram et sinistram, dividebant. Haec fere Polyb. vi. 26. quem interpretatur Lipsius, de Mil. Rom. ii. 7. Erant igitur *alares* et *extraordinarii*, tum equites tum pedites. Hic de peditibus sermo est. CREV.

‘quo omisistis pugnam. Qui pavor hic, qui terror, quae
 ‘repente, qui, et cum quibus pugnaretis, oblivio animos
 ‘cepit? Nempe iidem sunt hi hostes, quos vincendo et
 ‘victos sequendo priorem aetatem absumpsistis; quibus
 ‘dies noctesque fugientibus per hos dies institistis; quos
 ‘levibus proeliis fatigastis; quos hesterno die nec iter
 ‘facere, nec castra ponere passi estis. Omitto ea, quibus
 4 ‘gloriari potestis: cuius et ipsius pudere ac poenitere vos
 ‘oportet, referam. Nempe, aequis manibus hesterno die
 ‘diremistis pugnam. Quid haec nox, quid hic dies attulit?
 ‘Vestrae his copiae imminutae sunt, an illorum auctae?
 ‘Non equidem mihi cum exercitu meo loqui videor, nec
 ‘cum Romanis militibus: corpora tantum atque arma
 ‘eadem sunt. An, si eosdem animos habuissetis, terga
 ‘vestra vidisset hostis? signa alicui manipulo aut cohorti
 5 ‘abstulisset? Adhuc caesis Romanis legionibus gloria-
 ‘batur. Vos illi hodierno die primum fugati exercitus
 ‘dedistis decus.’ Clamor inde ortus, ut veniam eius dei
 daret; ubi vellet, deinde experiretur militum suorum
 animos. ‘Ego vero experiar,’ inquit, ‘milites: et vos
 ‘crastino die in aciem educam, ut victores potius, quam
 ‘victi, veniam impetretis, quam petitis.’ Cohortibus, quae
 signa amiserant, hordeum dari iussit: centurionesque ma-
 6 nipulorum, quorum signa amissa fuerant, destriectis gladiis
 discinctos destituit; et, ut postero die omnes, equites, pe-
 dites, armati adessent, edixit. Ita concio dimissa faten-
 tium, iure ac merito sese increpitos; neque illo die virum
 quemquam in acie Romana fuisse, praeter unum ducem;
 cui aut morte satisfaciendum, aut egregia victoria esset.
 Postero die ornati armatique ad edictum aderant. Impe-
 rator eos collaudat, pronuntiatque, ‘a quibus orta pridie
 ‘fuga esset, cohortesque, quae signa amisissent, se in pri-
 ‘mam aciem inducturum. Edicere iam sese, omnibus
 ‘pugnandum ac vincendum esse: et annitendum singulis
 ‘universisque, ne prius hesternae fugae, quam hodiernae
 ‘victoriae, fama Romam perveniat.’ Inde cibo corpora
 firmare iussi, ut, si longior pugna esset, viribus sufficerent.
 Ubi omnia dicta factaque sunt, quibus excitarentur animi
 militum, in aciem procedunt. Quod ubi Hannibali nun-
 tiatum est: ‘Cum eo nimirum,’ inquit, ‘hoste res est, qui

14.

Tertium
proelium.

4 *Cuius et ipsius*] Id referam, quod vobis ipsum pudori esse deberet, nempe aequatam vobis hesterno die cum hostibus pugnam. CREV.

5 *Adhuc caesis*] Hactenus gloria-batur Hannibal caesas a se Romanas legiones; at nunquam integras fuga-verat. Vos ei hoc decus hodie pri-

mum dedistis. CREV.

6 *Destriectis gladiis discinctos*] Stare eos Marcellus iussit per aliquantum temporis, discinctos cum nudatis et evaginatīs gladiis: quod erat poenae militaris genus, memoratum ap. Sue-ton. Aug. 24. CREV.

U. C. 543. 'nec bonam, nec malam ferre fortunam potest. Seu vicit,
 A. C. 209. 'ferociter instat victis; seu victus est, instaurat cum victo-
 'ribus certamen.' Signa inde canere iussit; copias educit.
 Pugnatum utrimque aliquanto, quam pridie, acrius est:
 Poenis ad obtinendum hesternum decus annitentibus, Ro-⁷
 manis ad demendam ignominiam. Sinistra ala ab Romanis⁸
 et cohortes, quae amiserant signa, in prima acie pugnabant,
 et legio vicesima ab dextro cornu instructa. L. Cornelius
 Lentulus et C. Claudius Nero legati cornibus praeerant,
 Marcellus mediam aciem, hortator testisque praesens, fir-
 mabat. Ab Hannibale Hispani primam obtinebant fron-
 tem, et id roboris in omni exercitu erat. Quum anceps
 diu pugna esset, Hannibal elephantos in primam aciem
 induci iussit: si quem iniicere ea res tumultum ac pavorem
 posset. Et primo turbarunt signa ordinesque, et partim
 occuleatis, partim dissipatis terrore, qui circa erant, nuda-
 verant una parte aciem: latiusque fuga manasset, ni C.
 Decimius Flavius tribunus militum, signo arrepto primi⁹
 hastati, manipulum eius signi se sequi iussisset. Duxit,
 ubi maxime tumultum conglobatae belluae faciebant, pila-
 que in eas coniici iussit. Haesere omnia tela haud difficili
 ex propinquo in tanta corpora ictu, et tam conferta turba.
 Fugantur. Sed ut non omnes vulnerati sunt: ita, in quorum tergis
 infixi steteri pila, (ut est genus anceps) in fugam versi¹
 etiam integros avertere. Tum iam non unus manipulus,
 sed pro se quisque miles, qui modo assequi agmen fugien-
 tium elephantorum poterat, pila coniicere. Eo magis ruere
 in suos belluae; tantoque maiorem stragem edere, quam
 inter hostes ediderant, quanto acrius pavor consternatam²
 agit, quam insidentis magistri imperio regitur. In pertur-
 batam transeursu belluarum aciem signa inferunt Romani
 pedites: et haud magno certamine dissipatos trepidan-
 tesque avertunt. Tum in fugientes equitatum immittit
 Vincit Marcellus. Marcellus, nec ante finis sequendi est factus, quam in castra
 paventes compulsi sunt. Nam super alia, quae terrorem
 trepidationemque facerent, elephantique quoque duo in ipsa
 porta corruerant, coactique erant milites per fossam val-
 lumque ruere in castra. Ibi maxima hostium caedes facta:
 caesa ad octo millia hominum, quinque elephantique. Nec

⁷ *Obtinendum*] Retinendum, con-
 servandum.

⁸ *Sinistra ala ... et legio vicesima*] Pronuntiaverat Marcellus se in pri-
 mam aciem inducturum eos, a quibus
 pridie fuga orta esset: in praecedenti
 autem pugna fuga oritur a dextra
 ala, ac deinde duodevicesima legione.
 Itaque mirum videri debet, quod hic

sinistra ala et vicesima legio in prima
 acie pugnent. CREV.

⁹ *Signo ... primi hastati*] Signo
 primi manipuli hastatorum.

¹ *Ut est genus anceps*] Quod ele-
 phanti tam in suos, quam in hostes
 ruant. SIGON.

² *Consternatam*] Subaudi *belluam*.

Romanis incruenta victoria fuit: mille ferme et septingenti U. C. 543.
 de duabus legionibus, et sociorum supra mille et trecentos A. C. 209.
 occisi: vulnerati permulti civium sociorumque. Hannibal Retrocedit
 nocte proxima castra movit. Cupientem insequi Marcel- Hannibal.
 lum prohibuit multitudo sauciorum. Speculatores, qui 15.
 prosequerentur agmen, missi, postero die retulerunt, Brut-
 tios Hannibalem petere.

3 Iisdem fere diebus et ad Q. Fulvium consulem Hirpini, Deseritur
 et Lucani, et Volcentes, traditis praesidiis Hannibalis, quae ab Hirpi-
 in urbibus habebant, dediderunt sese, clementerque a con- nis, aliis-
 sule, cum verborum tantum castigatione ob errorem prae- que.
 teritum, accepti sunt; et Bruttii similis spes veniae facta
 est: quum ab iis Vibius et Pactius fratres, longe nobilissimi
 gentis eius, eandem, quae data Lucanis erat, conditionem
 deditionis petentes venissent. Q. Fabius consul oppidum
 in Sallentinis Manduriam vi cepit. Ibi ad quattuor millia
 hominum capta, et ceterae praedae aliquantum. Inde Fabius Ta-
 Tarentum profectus, in ipsis faucibus portus posuit castra. rentum op-
 Naves, quas Livius tutandis commeatibus habuerat, partim pugnatus.
 machinationibus onerat apparatuque moenium oppugnan-
 dorum, partim tormentis et saxis omnique missilium telorum
 genere instruit, onerarias quoque, non eas solum, quae
 remis agerentur; ut alii machinas scalasque ad muros fer-
 rent, alii procul ex navibus vulnerarent moenium propu-
 gnatores. Eae naves, ab aperto mari ut urbem aggredie-
 rentur, instructae parataeque sunt. Et erat liberum mare,
 classe Punica, quum Philippus oppugnare Aetolos pararet,
 Coreyam transmissa. In Bruttii interim Caulonis oppu-
 gnatores, sub adventum Hannibalis, ne opprimerentur, in
 tumultum, a praesenti impetu tutum, se recepere.

Fabium, Tarentum obsidentem, leve dictu momentum ad
 4 rem ingentem potiundam adiuvit. Praesidium Bruttiorum
 datum ab Hannibale Tarentini habebant. Eius praesidii
 praefectus deperibat amore mulierculae, cuius frater in
 exercitu Fabii consulis erat. Is, certior literis sororis Tarentum
 factus de nova consuetudine advenae locupletis, atque inter proditione
 populares tam honorati, spein nactus per sororem quolibet
 impelli amantem posse, quid speraret, ad consulem detulit.
 Quae quum haud vana cogitatio visa esset, pro perfuga
 iussus Tarentum transire, ac per sororem praefecto concili-
 atus, primo occulte animum eius tentando, dein satis explo-
 rata levitate, blanditiis muliebribus perpulit eum ad prodi-

3 *Volcentes*] Qui Volscæ, sive Osca, origine essent, Sabellica immigratione profugi in Lucaniam acti. Hoc vocabulum miram nominum Italicorum varietatem praeclare refert censeat

Niehr. i. n. 219. iii. n. 653.

4 *Praesidium Bruttiorum*] Id est, cohortem Bruttiorum, quae in partem veniret tuendae urbis.

U. C. 543. tionem custodiae loci, cui praepositus erat. Ubi et ratio
 A. C. 209. agendae rei, et tempus convenit, miles, nocte per intervalla
 stationum clam ex urbe emissus, ea, quae acta erant, quae-
 que ut agerentur, convenerat, ad consulem refert. Fabius
 vigilia prima, dato signo iis, qui in arce erant, quique custo-
 diam portus habebant, ipse circuito portu ab regione urbis
 in orientem versa occultus consedit. Canere inde tubae
 simul ab arce, simul a portu et ab navibus, quae ab aperto
 mari appulsae erant; clamorque undique cum ingenti tu-
 multu, unde minimum periculi erat, de industria ortus.
 Consul interim silentio continebat suos. Igitur Democrates,
 qui praefectus antea classis fuerat, forte illo loco praepositus, 5
 postquam quies omnia circa se vidit, alias partes eo tumultu
 personare, ut captae urbis interdum excitaretur clamor,
 veritus ne inter cunctationem suam consul aliquam vim
 faceret, signaque inferret, praesidium ad arcem, unde
 maxime terribilis accidebat sonus, traducit. Fabius, quum
 et ex temporis spatio et ex silentio ipso (quod, ubi paullo
 ante strepabant excitantes vocantesque ad arma, inde nulla
 accidebat vox) deductas custodias sensisset; ferri scalas ad
 eam partem muri, qua Bruttiorum cohortem praesidium
 agitare prodicionis conciliator muntiaverat, iubet. Ea pri-
 mum est captus murus, adiuvantibus recipientibusque Brut-
 tiis: et transcendum in urbem est. Inde et proxima re-
 fracta porta, ut frequenti agmine signa inferrentur. Tum,
 clamore sublato, sub ortum ferme lucis, nullo obvio armato,
 in forum perveniunt: omnesque undique, qui ad arcem
 portumque pugnabant, in se converterunt. Proelium in
 aditu fori maiore impetu, quam perseverantia, commissum
 est. Non animo, non armis, non arte belli, non vigore aut
 viribus corporis, par Romano Tarentinus erat. Igitur, pilis
 tantum coniectis, prius paene, quam consererent manus,
 terga dederunt, dilapsique per nota urbis itinera in suas
 amicorumque domos. Duo ex ducibus Nico et Democrates
 fortiter pugnantes cecidere. Philemenus, qui prodicionis 6
 ad Hannibalem auctor fuerat, quum citato equo ex proelio
 avectus esset; vacuus paullo post equus errans per urbem
 cognitus, corpus nusquam inventum est. Creditum vulgo
 est, in puteum apertum ex equo praecipitasse. Cartha-
 lonem autem, praefectum praesidii Punici, cum commemo- 7
 ratione paterni hospitii, positis armis, venientem ad con-

5 *Illo loco praepositus*] Intellige
praesidio. GRONOV.

6 *Philemenus*] Hic Tarenti prodi-
 tor *Philemenus* vocatur supr. xxv. 8.
 et 9. Scripti fere *Philemenes*: Po-
 lybius, Φιλήμενος. CREV.

7 *Cum commemoratione paterni
 hospitii . . . venientem ad consulem*]
 Quum veniret ad consulem, comme-
 morans sibi paternum esse cum eo
 hospitium. Intelligendus est autem
 Carthalo id commemorasse, non apud

sulem, miles obuius obtruncat. Alii alios passim sine discrimine armatos, inermes, caedunt, Carthaginenses Tarentinosque pariter. Brutii quoque multi interfecti, seu per errorem, seu vetere in eos insito odio, seu ad proditiōis famam, ut vi potius atque armis captum Tarentum videretur, exstinguendam. Tum ab caede ad diripiendam urbem discursum. Millia triginta servilium capitum dicuntur capti: argenti vis ingens facti signatique: auri octoginta tria pondo: signa tabulaeque, prope ut Syracusarum ornamenta aequaverint. Sed maiore animo generis eius praeda abstinuit Fabius, quam Marcellus; qui interrogante scriba, quid fieri signis vellet, (ingentis magnitudinis dii sunt, suo quisque habitu in modum pugnantium formati) ‘deos iratos Tarentinis relinqui’ iussit. Murus inde, qui urbem ab arce dirimebat, dirutus est ac disiectus.

Dum haec Tarenti aguntur, Hannibal iis, qui Cauloniam obsidebant, in deditionem acceptis, audita oppugnatione Tarenti, dies noctesque cursim agmine acto, quin, festinans ad opem ferendam, captam urbem audisset; ‘Et Romani,’ inquit, ‘suum Hannibalem habent. Eadem, qua ceperamus, arte Tarentum amisimus.’ Ne tamen fugientis modo convertisse agmen videretur, quo constiterat loco, quinque millia ferme ab urbe posuit castra. Ibi paucos moratus dies, Metapontum sese recepit. Inde duos Metapontinos cum literis principum eius civitatis ad Fabium Tarentum mittit, fidem ab consule accepturos, impunita iis priora fore, si Metapontum ei cum praesidio Punico prodidissent. Fabius, vera, quae afferrent, esse ratus, diem, qua accessurus esset Metapontum, constituit; literasque ad principes dedit, quae ad Hannibalem delatae sunt. Enimvero laetus successu fraudis, si ne Fabius quidem dolo invictus fuisset, haud procul Metaponto insidias ponit. Fabio auspicianti prius, quam egrederetur ab Tarento, aves semel atque iterum non addixerunt. Hostia quoque caesa consulenti deos

U. C. 543.
A. C. 209.
Multi passim occisi.

Accurrit Hannibal, serum post urbem captam auxilium.

consulem, quem antequam adiret, occisus est; sed apud eos quos circa se habebat. CREV.

8 Interrogante scriba . . . relinqui iussit] Hanc locutionem vix Livianam esse iudicat Drakenb. quippe *iubere alicui* optimi aevi scriptoribus vix conveniret; sed *iubere* cum dativo hic iungi negat Raschig. qui *iussit scribae relinqui*, idem quod *iussit scribam relinquere*, velle censet, atque huic loco anacoluthon quoddam inesse, cuiusmodi plurima apud veteres scriptores exempla inveniuntur. cf.

Tac. Ann. xiii. 15. et 40.

9 Quid fieri signis vellet] Aliquid hic depravatum vel omisum esse coniecit Crevier., quia verisimile non est, omnia Tarentinis signa ingentis magnitudinis fuisse, nec quemque Deorum, nisi in modum pugnantis, formatum. Roellius mutata distinctione loco subveniri posse existimat, *quid fieri signis vellet ingentis magnitudinis*, (Dii sunt etc.)

1 Constiterat loco] Edd. plures *constituerat*, subaud. agmen, prae se ferunt, quod Bekker. retinet.

U. C. 543. *haruspex*, cavendum a fraude hostili et ab insidiis, praedixit.
 A. C. 209. Metapontini, postquam ad constitutam non venerat diem, remissi, ut cunctantem hortarentur, repente comprehensi, metu gravioris quaestionis, detegunt insidias.

17. Aestatis eius principio, qua haec agebantur, P. Scipio in

Hispaniae
 res, Roma-
 nis secun-
 dae.

Hispania quum hiemem totam reconciliandis barbarorum animis, partim donis, partim remissione obsidum captivorumque, absumpsisset; Edesco ad eum, clarus inter duces Hispanos, venit. Erant coniux liberique eius apud Romanos. Sed praeter eam causam etiam velut fortuita inclinatio animorum, quae Hispaniam omnem averterat ad Romanum a Punico imperio, traxit eum. Eadem causa Indibili Mandonioque fuit, haud dubie omnis Hispaniae principibus, cum omni popularium manu, relicto Hasdrubale, secedendi in imminentes castris eius tumulos, unde per continentia iuga tutus receptus ad Romanos esset. Hasdrubal, quum hostium res tantis augescere incrementis cerneret, suas imminui, ac fore, ut, nisi audendo aliquid moveret, qua coepissent, fluere, dimicare quam primum statuit. Scipio avidior etiam certaminis erat, quum a spe, quam successus rerum augebat; tum quod prius, quam iungerentur hostium exercitus, cum uno dimicare duce exercituque, quam simul cum universis, malebat. Ceterum, etiam, si cum pluribus pariter dimicandum foret, arte quadam copias auxerat. Nam quum videret, nullum esse navium usum, quia vacua omnis Hispaniae ora classibus Punicis erat, subductis navibus Tarracone, navales socios terrestribus copiis addidit. Et armorum affatim erat captorum Carthagine, et quae post captam eam fecerat, tanto opificum numero incluso. Cum iis copiis Scipio, veris principio ab Tarracone egressus, (iam enim et Laelius redierat ab Roma, sine quo nihil maioris rei motum volebat) ducere ad hostem pergit. Per omnia pacata eunti, ut cuiusque populi fines transiret, prosequentibus excipientibusque sociis, Indibilis et Mandonius cum suis copiis occurrerunt. Indibilis pro utroque locutus, haudquaquam ut barbarus stolide incauteque, sed potius cum verecunda gravitate: propiorque excusanti transitionem ut necessariam, quam glorianti eam velut primam occasio-² nem raptam. ‘Scire enim se, transfugae nomen execrabile ‘veteribus sociis, novis suspectum esse: neque cum se re-³prehendere morem hominum, si tamen anceps odium causa, 3

Indibilis
 et Mando-
 nius ad
 Rom. de-
 ficiunt.

² *Glorianti eam*] *Gloriari* cum quarto casu construit etiam Cic. de Senect. 10. DRAC.

³ *Si tamen anceps odium*] Si tamen geminum illud odium tum a

veteribus sociis, tum a novis, causa uniuscuiusque inspecta, non nomen ipsum transfugae faciat. CREV. cf. Thucyd. iii. 9. ubi Mitylenaeorum legati similia loquuntur.

‘non nomen, faciat.’ Merita inde sua in duces Carthagi- U. C. 543.
 nienses commemoravit, avaritiam contra eorum, superbiam- A. C. 209.
 que, et omnis generis iniurias in se atque populares. ‘Ita-
 ‘que corpus duntaxat suum ad id tempus apud eos fuisse:
 ‘animum iam pridem ibi esse, ubi ius ac fas crederent coli.
 ‘Ad deos quoque confugere supplices, qui nequeant homi-
 ‘num vim atque iniurias pati. Se id Scipionem orare, ut
 ‘transitio sibi nec fraudi apud eum, nec honori sit: quales
 ‘ex hac die experiundo cognorit, perinde operae eorum
 ‘pretium faceret.’ Ita prorsus respondet facturum Roma-
 nus: nec pro transfugis habiturum, qui non duxerint so-
 cietatem ratam, ubi nec divini quicquam, nec humani
 sanctum esset. Productae deinde in conspectum iis con-
 iuges liberique lacrimantibus gaudio redduntur, atque eo
 die in hospitium abducti. Postero die foedere accepta fides;
 dimissique ad copias adducendas. Iisdem deinde castris
 tendebant, donec ducibus iis ad hostem perventum est.

Proximus Carthaginiensium exercitus Hasdrubalis prope 18.
 urbem Baeculam erat. Pro castris equitum stationes ha- Ad Has-
 5 bebat. In eas velites antesignanisque, et qui primi agminis drubalem
 erant, advenientes ex itinere, priusquam castris locum ca- contendit
 perent, adeo contemptum impetum fecerunt, ut facile appa- Scipio.
 reret, quid utrique parti animorum esset. In castra trepida
 fuga compulsi equites sunt: signaque Romana portis prope
 ipsi illata. Atque illo quidem die, irritatis tantum ad cer-
 tamen animis, castra Romani posuerunt. Nocte Hasdru-
 bal in tumultum copias recipit, plano campo in summo pa-
 tentem: fluvius ab tergo; ante circaque velut ripa praeceps
 oram eius omnem eingeat. Suberat et altera inferior
 summissa fastigio planities: eam quoque altera crepido
 haud facilior in ascensum ambibat. In hunc inferiorem
 campum postero die Hasdrubal, postquam stantem pro
 castris hostium aciem vidit, equites Numidas, leviumque
 armorum Baliares, et Afros dimisit. Scipio, circumvectus Milites
 ordines signaque, ostendebat, ‘hostem, praedamnata spe hortatur.
 ‘aquo dimicandi campo, captantem tumulos, loci fiducia,
 ‘non virtutis armorumque, stare in conspectu. Sed altiora
 ‘moenia habuisse Carthaginem, quae transcendisset miles
 ‘Romanus. Nec tumulos, nec arcem, ne mare quidem
 7 ‘armis obstitisse suis. Ad id fore altitudines, quas cepissent

4 *Avaritiam contra eorum*] cf. Polyb. Exc. de Virt. et Vitiis ix. 11. ubi Hasdrubal, pecunia nequicquam ab Indibile flagitata, eum filias suas obsides dare coegit.

5 *Antesignanisque*] Schelium ad Hygin. p. 1052. docuisse, *antesignanos* Livio esse primam gravis armaturae aciem, animadvertit Drakenb.

6 *Et qui primi agminis*] sc. Socii, vel si qui alii agmen in itinere forte ducerent.

7 *Ad id fore altitudines*] Nihil aliud profuturas hostibus altitudines quas cepissent, nisi ut fuga illis impeditior fieret, per praecipitia et praerupta salientibus. CREV.

U. C. 543. 'hostes, ut per praecipitia et praerupta salientes fugerent :
 A. C. 209. 'eam quoque se illis fugam clausurum.' Cohortesque duas,
 alteram tenere fauces vallis, per quam deferretur amnis,
 iubet; alteram, viam insidere, quae ab urbe per tumuli
 obliqua in agros ferret. Ipse expeditos, qui pridie stationes
 hostium pepulerant, ad levem armaturam, infimo stantem
 Aggreditur hostem. supercilio, ducit. Per aspreta primo, nihil aliud quam via
 impediti, iere. Deinde, ut sub ictum venerunt, telorum
 primo omnis generis vis ingens effusa est in eos: ipsi con-
 tra, saxa, quae locus strata passim, omnia ferme missilia, 8
 praebet, ingerere, non milites solum, sed etiam turba calo-
 num immixta armatis. Ceterum, quanquam ascensus diffi-
 cilis erat, et prope obruebantur telis saxisque, assuetudine
 tamen succedendi muros, et pertinacia animi, subierunt
 primi. Qui, simul cepere aliquid aequi loci, ubi firmo
 consisterent gradu, levem et concursatorem hostem, atque
 intervallo tutum, quum procul missilibus pugna eludi-
 tur, instabilem eundem ad cominus conserendas manus,
 expulerunt loco, et cum caede magna in aciem altiori super-
 stantem tumulo impegere. Inde Scipio, iussis adversus
 mediam evadere aciem victoribus, ceteras copias cum Laelio
 dividit; atque cum parte dextra tumuli circumire, donec
 mollioris ascensus viam inveniret, iubet. Ipse ab laeva,
 circuitu haud magno, in transversos hostes incurrit. Inde
 primo turbata acies est, dum ad circumsonantem undique
 clamorem flectere cornua et obvertere ordines volunt.
 Hoc tumultu et Laelius subiit; et, dum pedem referunt, ne
 ab tergo vulnerarentur, laxata prima acies, locusque ad 9
 evadendum et mediis datus est; qui per tam iniquum
 locum, stantibus integris ordinibus, elephantisque ante
 signa locatis, nunquam evasissent. Quum ab omni parte
 caedes fieret, Scipio, qui laevo cornu in dextrum in-
 cucurrerat, maxime in nuda hostium latera pugnabat.
 Et iam ne fugae quidem patebat locus. Nam et statio-
 nes utrimque Romanae dextra laevaue insederant vias:
 et portam castrorum ducis principumque fuga clause-
 rat; addita trepidatione elephantorum, quos territos acque
 atque hostes timebant. Caesa igitur ad octo millia homi-
 num.

19. Hasdrubal iam ante, quam dimicaret, pecunia rapta, ele-
 phantisque praemissis, quam plurimos poterat, de fuga ex-
 cipiens, praeter Tagum flumen ad Pyrenaeum tendit.

8 *Omnia ferme missilia*] Quae qui-
 dem saxa omnia ferme erant eius-
 modi, ut manu capi et mitti possent.
 CREV.

9 *Laxata prima acies*] Laxata est
 prima acies Poenorum, locusque da-

tus est ad subeundum in altio-
 rem tumulum mediae quoque Romano-
 rum aciei; quae nunquam subiisset,
 si stetissent integri hostium ordines,
 elephantique ante signa locati man-
 sissent. CREV.

Scipio, castris hostium potitus, quum praeter libera capita U. C. 543. A. C. 209. Praeda et captivi. omnem praedam militibus concessisset, in recensendis capitivis decem millia peditum, duo millia equitum invenit. Ex iis Hispanos sine pretio omnes domum dimisit: Afros vendere quaestorem iussit. Circumfusa inde multitudo Hispanorum, et ante deditorum, et pridie captorum, regem eum ingenti consensu appellavit. Tum Scipio, silentio per Scipio velat se regem appellari. praekonem facto, 'sibi maximum nomen imperatoris esse,' dixit, 'quo se milites sui appellassent. Regium nomen 'alibi magnum, Romae intolerabile esse. Regalem animum in se esse, si id in hominis ingenio amplissimum ducerent, tacite iudicarent; vocis usurpatione abstinerent.' Sensere etiam barbari magnitudinem animi; cuius miraculo 2 nominis alii mortales stuperent, id ex tam alto fastigio aspernantis. Dona inde regulis principibusque Hispanorum divisa, et ex magna copia captorum equorum trecentos, quos vellet, eligere Indibilem iussit. Quum Afros venderet iussu imperatoris quaestor, puerum adultum inter eos forma insigni, quum audisset regii generis esse, ad Scipionem misit. Quem quum peremeretur Scipio, 'quis, et cuius, Massiva Numida. et cur id aetatis in castris finisset? Numidam esse,' ait, 'Massivam populares vocare. Orbum a patre relictum, 3 apud matrem avum Galam, regem Numidarum, educatum, cum avunculo Masinissa, qui nuper cum equitatu subsidio Carthaginiensibus venisset, in Hispaniam traiecisse. Prohibitum propter aetatem a Masinissa, nunquam ante proelium iniisse. Eo die, quo pugnatum cum Romanis esset, in scio avunculo, clam armis equoque sumpto, 4 in aciem exisse: ibi, prolapsa equo effusum in praeceps, 'captum ab Romanis esse.' Scipio, quum asservari Numidam iussisset, quae pro tribunali agenda erant, peragit. Inde, quum se in praetorium recepisset, vocatum eum interrogat, 'velletne ad Masinissam reverti?' Quum, effusis gaudio lacrimis, 'cupere vero,' diceret; tum puero anulum aureum, tunicam lato clavo, cum Hispano sagulo et aurea fibula, equumque ornatum donat, iussisque prosequi, quoad vellet, equitibus, dimisit.

De bello inde consilium habitum. Et, auctoribus qui- 20.

¹ *Nomen Imperatoris* quo se milites sui appellassent] Hic nomen Imperatoris accipiendum est, non vulgari sensu pro duce tantum exercitus, sed pro eo duce, qui, hostibus magno proelio fuis, a militibus Imperator salutatus est: *prisco erga duces honore*, inquit Tac. Ann. iii. 74. *qui bene gesta republica gaudio et impetu victoris exercitus conclamabantur.* CR.

² *Ex tam alto fastigio*] Quasi ex alto despicientis huius nominis magnitudinem, velut infra se positam.

³ *Eductum*] Editi vulgo *educatum*. Sed Livius supr. xxi. 43. *An me in praetorio patris . . . eductum.*

⁴ *Avunculo*] cf. Infr. xxviii. 35. ubi Masinissa se patruum Massivae profitetur, ut qui patris frater esset.

Remittitur a Scipione ad avunculum Masinissam.

U. C. 543. busdam, ut confestim Hasdrubalem consequeretur, anceps
 A. C. 209. id ratus, ne Mago atque alter Hasdrubal cum eo iungerent 5
 copias, praesidio tantum ad insidendum Pyrenaeum misso,
 ipse reliquum aestatis recipiendis in fidem Hispaniae po-
 pulis absumpsit.

Hasdrubali Paucis post proelium factum ad Baeculam diebus, quum
 H. F. se Scipio, rediens iam Tarraconem, saltu Castulonensi exces-
 coniungunt sisset, Hasdrubal Gisgonis filius et Mago imperatores ex
 Hasdrubal ulteriore Hispania ad Hasdrubalem venere, serum post
 G. F. et Mago. male gestam rem auxilium; consilio in cetera exsequenda
 belli haud parum opportuni. Ibi conferentibus, quid in
 cuiusque provinciae regione animorum Hispanis esset, unus
 Hasdrubal Gisgonis, ultimam Hispaniae oram, quae ad
 Oceanum et Gades vergit, ignaram adhuc Romanorum es-
 se, coque Carthaginensibus satis fidam, censebat. Inter
 Poenorum consilia, Hasdrubalem alterum et Magonem constabat, 'beneficiis
 'Scipionis occupatos omnium animos publice privatimque
 'esse: nec transitionibus finem ante fore, quam omnes
 'Hispani milites aut in ultima Hispaniae amoti, aut tra-
 'ducti in Galliam forent. Itaque, etiamsi senatus Cartha-
 'ginensium non censuisset, eundum tamen Hasdrubali 6
 'fuisse in Italiam, ubi belli caput rerumque summa esset;
 'simul, ut Hispanos omnes procul ab nomine Scipionis ex
 'Hispania abduceret. Exercitum eius, quum transitioni-
 'bus, tum adverso proelio imminutum, Hispanis repleti 7
 'militibus. Et Magonem, Hasdrubali Gisgonis filio tra-
 'dito exercitu, ipsum cum grandi pecunia ad conducenda
 'mercede auxilia in Baliares traicere: Hasdrubalem Gis-
 'gonis cum exercitu penitus in Lusitaniam abire, nec cum
 'Romanis manus conserere. Masinissae ex omni equitatu,
 'quod roboris esset, tria millia equitum expleri; eumque
 'vagum per citeriorem Hispaniam sociis opem ferre, hos-8
 'tium oppida atque agros populari.' His decretis, ad ex-
 sequenda, quae statuerant, duces digressi. Haec eo anno
 in Hispania acta.

Romae fama Scipionis in dies crescere. Fabio Taren-
 tum captum astu magis, quam virtute, gloriae tamen esse.
 Fulvii senescere fama. Marcellus etiam adverso rumore

5 *Atque alter Hasdrubal*] Vox alter ex coniectura Gronovii in textum admissa est: sed ap. Bekker. aliosque locum non invenit.

6 *Non censuisset*] Contra quidem supr. xxiii. 27. allatum fuisse a Carthagine traditur, "ut Hasdrubal primo quoque tempore in Italiam exercitum duceret."

7 *Repleti militibus*] Supple oportet:

quae vox latet quodammodo inclusa in τῶν eundum, quod in praecedenti membro reperitur. CREV.

8 *Citeriorem Hispaniam*] Quum hic Poeni loquantur, ea, quae dicitur hoc loco *citerior* Hispania, intelligenda videtur quam Romani vocabant *ulteriorem*, nempe ab Ibero amne ad Oceanum. CREV.

esse, super quam quod primo male pugnauerat, quia, va- U. C. 543.
gaute per Italiam Hannibale, media aestate Venusiani in A. C. 209.
tectis milites abduxisset. Inimicus erat ei C. Publicius Bi-
bulus tribunus plebis. Is iam a prima pugna, quae adversa
fuerat, assiduis concionibus infamem invisumque plebei
Claudium fecerat, et iam de imperio abrogando eius age-
bat: quum tamen necessarii Claudii obtinuerunt, ut, re-
lictis Venusiae legato, Marcellus Romam rediret ad pur-
ganda ea, quae inimici decernerent: nec de imperio eius
abrogando, absente ipso, ageretur. Forte sub idem tempus
et Marcellus ad deprecandam ignominiam, et Q. Fulvius
consul comitiorum causa Romam venit. Actum de impe- 21.
rio Marcelli in circo Flamini est, ingenti concursu plebis
que et omnium ordinum. Accusavitque tribunus plebis, Accusatur
non Marcellum modo, sed omnem nobilitatem. 'Fraude Marcellus.
' eorum et cunctatione fieri, ut Hannibal decimum iam an-
' num Italiam provinciam habeat: diutius ibi, quam Car-
' thagine, vixerit. Habere fructum imperii prorogati Mar-
' cello populum Romanum: his caesum exercitum eius ae-
' stiva Venusiae sub tectis agere.' Hanc tribuni orationem Absolvitur
ita obruit Marcellus commemoratione rerum suarum, ut et Cos.
non rogatio solum de imperio eius abrogando antiquaretur, creatur.
sed postero die consulem eum ingenti consensu centuriae
omnes crearent. Additur collega T. Quinctius Crispinus,
qui tum praetor erat. Postero die praetores creati P. Li-
cinius Crassus Dives, pontifex maximus, P. Licinius Varus,
1 Sex. Iulius Caesar, Q. Claudius Flamen.

Comitiorum ipsorum diebus sollicita civitas de Etruriae
defectione fuit. Principium eius rei ab Arretinis fieri, C.
Calpurnius scripserat, qui eam provinciam pro praetore ob-
tinebat. Itaque confestim eo missus Marcellus, consul de-
signatus, qui rem inspiceret, ac, si digna videretur, exer-
citu accito, bellum ex Apulia in Etruriam transferret. Eo
metu compressi Etrusci quieverunt. Tarentinorum legatis
pacem petentibus cum libertate ac legibus suis responsum
ab senatu est, ut redirent, quum Fabius consul Romam
venisset.

2 Ludi et Romani et plebei eo anno in singulos dies in-
staurati. Aediles curules fuere L. Cornelius Caudinus et Aediles.
Ser. Sulpicius Galba: plebei C. Servilius et Q. Caecilius

9 *Ad purganda ea, quae... decernerent*] Melius noster dixisset, ad purganda crimina, ob quae decernerentur. cf. infr. xxxiv. 5.

1 *Sex. Iulius Caesar*] Hunc primum *Caesarem* in historia Romana

memorari, annotat Graevius ad Sueton. Caes. I. DUK.

2 *In singulos dies instaurati*] h. e. Unus dies ad quadriduum adiectus est. cf. supr. xxv. 3. xxvii. 6. Niebhr. ii. n. 68.

U. C. 543. Metellus. Servilium negabant iure aut tribunum plebis
 A. C. 209. fuisse, aut aedilem esse; quod patrem eius, quem triumvi-
 rum agrarium occisum a Boiis circa Mutinam esse opinio
 per decem annos fuerat, vivere, atque in hostium potestate
 esse, satis constabat.

22.

U. C. 544. Undecimo anno Punici belli consulatum inierunt M. Mar-
 A. C. 208. cellus quintum (ut numeretur consulatus, quem vitio crea-
 M. Claudio V. tus non gessit) et T. Quinctius Crispinus. Utrisque con-
 T. Quinctio Coss. sulibus Italia decreta provincia est, et duo consulares prioris
 Provincia- rum divi- sio. anni exercitus: (tertius tum erat Venusiae, cui M. Mar-
 cellus praefuerat) ita ut ex tribus eligerent duo, quos vel-
 lent; tertius ei traderetur, cui Tarentum et Sallentini pro-
 vincia evenisset. Ceterae provinciae ita divisae praetoribus.
 P. Licinio Varo urbana, P. Licinio Crasso pontifici maximo
 peregrina, et quo senatus censuisset: Sex. Iulio Caesari
 Sicilia, Q. Claudio Flamini Tarentum. Prorogatum impe-
 rium in annum est Q. Fulvio Flacco, ut provinciam Ca-
 puam, quae T. Quinctii praetoris fuerat, cum una legione
 obtineret: prorogatum et C. Hostilio Tubulo est, ut pro
 praetore in Etruriam ad duas legiones succederet C. Cal-
 purnio: prorogatum et L. Veturio Philoni est, ut pro prae-
 tore Galliam eandem provinciam cum iisdem duabus le-
 gionibus obtineret, quibus praetor obtinuisset. Quod in
 L. Veturio, idem in C. Aurunculeio decretum ab senatu,
 latumque de prorogando imperio ad populum est, qui prae-
 tor Sardiniam provinciam cum duabus legionibus obtinue-
 rat. Additae ei ad praesidium provinciae quinquaginta
 naves, quas P. Scipio ex Hispania misisset. Et P. Scipioni,
 et M. Silano suae Hispaniae, suique exercitus in annum
 decreti. Scipio ex octoginta navibus, quas aut secum ex
 Italia adductas aut captas Carthagine habebat, quinqu-
 aginta in Sardiniam transmittere iussus: quia fama erat,
 magnum navalem apparatus eo anno Carthagine esse;
 ducentis navibus omnem oram Italiae, Siciliaeque, ac Sar-
 diniae impleturos. Et in Sicilia ita divisa res est. Sex.

3 *Servilium negabant iure aut tri-
 bunum plebis fuisse, aut aedilem esse*
 Quia nempe, ut discimus ex Livio
 xxx. 19. vetabant leges quemquam,
 patre qui curuli sella sedisset vivo,
 aut tribunum, aut aedilem plebis esse.
 CREV.

4 *Quem triumvirum agrarium*] cf.
 Supr. xxi. 25.

5 *In hostium potestate*] cf. Inst.
 Gaii i. § 129. "Si ab hostibus captus
 fuerit parens, quamvis servus interim
 hostium fiat, tamen pendet ius libe-

rorum propter ius postliminii."

6 *Additae ei ad praesidium*] Gro-
 novius *additum ei et praesidium pro-*
vinciae quinquaginta naves, emenda-
 vit, quem Bekker. secutus est.

7 *Et P. Scipioni*] Supr. 7. Sci-
 pioni Silanoque prorogatum imperium
 dicitur, non in annum, sed donec re-
 vocati ab senatu forent. Quod si ita
 est, nihil opus fuit nunc eis in annum
 suas Hispanias suosque exercitus de-
 cerni. CREV.

Caesari exercitus Cannensis est datus. M. Valerius Laevinus (ei quoque enim prorogatum imperium est) classem, quae ad Siciliam erat, navium septuaginta obtineret. Adderet eo triginta naves, quae ad Tarentum priore anno fuerant: cum ea centum navium classe, si videretur ei, praedatum in Africam traiceret. Et P. Sulpicio, ut eadem classe Macedoniam Gracciamque provinciam haberet, prorogatum in annum imperium est. De duabus, quae ad urbem Romam fuerant, legionibus nihil mutatum. Supplementum, quo opus esset, scriberent consules, permissum. Una et viginti legionibus eo anno defensum imperium Romanum est. Et P. Licinio Varo praetori urbis negotium datum, 'ut naves longas triginta veteres reficeret, quae Ostiae erant, et viginti novas naves sociis navalibus impleret: ut quinquaginta navium classe oram maris vicinam urbi Romanae tueri posset.' C. Calpurnius vetitus ab Arretio movere exercitum, nisi quum successor venisset. Idem et Tubulo imperatum, ut inde praecipue caveret, ne qua nova consilia caperentur.

Praetores in provincias profecti. Consules religio tenebat, quod, prodigiis aliquot nuntiatis, non facile litabant. Et ex Campania nuntiata erant, Capuae duas aedes, Fortunae et Martis, et sepulcra aliquot de coelo tacta. Cumis (adeo minimis etiam rebus prava religio inserit deos) mures in aede Iovis aurum rosisse. Casini examen apium ingens in foro consedisce. Et Ostiae murum portamque de coelo tactam. Caere vulturium volasse in aedem Iovis. Volsiniis sanguine lacum manasse. Horum prodigiorum causa diem unum supplicatio fuit. Per dies aliquot hostiae maiores sine litatione caesae, diuque non impetrata pax deum. In capita consulum, republica incolumi, exitiabilis prodigiorum eventus vertit.

Ludi Apollinares, Q. Fulvio, Ap. Claudio consulibus, a P. Cornelio Sulla praetore urbis primum facti erant. Inde omnes deinceps praetores urbani fecerant: sed in unum annum vovebant, dicque incerta faciebant. Eo anno pestilentia gravis incidit in urbem agrosque: quae tamen magis

8 *Idem et Tubulo imperatum*] *Eidem pro idem* in textum recepit Bekker. Perizonium secutus, id quod Drakenb. probat, atque ita mox *caverent* legendum censet.

9 *Inde*] Ab Arretio, quae urbs a Romanis valde suspecta est. CREV.

1 *Non facile litabant*] *Litare* est in extis victimarum indicia placati numinis invenire, unde paullo infra *hostiae maiores sine litatione caesae*.

cf. infr. xli. 15. RASCH.

2 *Ludi Apollinares*] De eorum origine, cf. supr. xxv. 12.

3 *Sed in unum annum*] Senatus iam antea decreverat, supr. xxvi. 23, ut hi ludi in perpetuum voverentur, h. e. quotannis de integro voverentur, sed certum diem non constituerat. Postquam iis status dies assignatus est, videntur desisse singulis diebus voveri. DUK.

U. C. 544. in longos morbos, quam in perniciales, evasit. Eius pesti-
 A. C. 208. lentiae causa et supplicatum per compita tota urbe est, et
 P. Licinius Varus praetor urbis legem ferre ad populum
 iussus, ut hi ludi in perpetuum in statam diem voverentur.
 Ludi Apol- Ipse primus ita vovit, fecitque ante diem tertium Nonas
 linaires in perpetuum
 voti. Quintiles. Is dies deinde sollennis servatus.

24. De Arretinis et fama in dies gravior, et cura crescere
 Patribus. Itaque C. Hostilio scriptum est, ne differret ob-
 siders ab Arretinis accipere: et, cui traderet Romam dedu-
 cendos, C. Terentius Varro cum imperio missus. Qui ut
 advenit, extemplo Hostilius legionem unam, quae ante ur-
 bem castra habebat, signa in urbem ferre iussit, praesidia-
 que locis idoneis disposuit: tum in foro citatis senatoribus
 obsides imperavit. Quum senatus biduum ad consideran-
 dum peteret tempus, aut ipsos extemplo dare, aut se po-
 stero die senatorum omnes liberos sumpturum, edixit. Inde
 portas custodire iussi tribuni militum, praefectique socium,
 et centuriones, ne quis nocte urbe exiret. Id segnius
 negligentiusque factum. Septem principes senatus, prius-
 quam custodiae in portis locarentur, ante noctem cum li-
 beris evaserunt. Postero die luce prima, quum senatus in
 forum citari coeptus esset, desiderati, bonaque eorum ve-
 nuerunt. A ceteris senatoribus centum viginti obsides,
 liberi ipsorum, accepti, traditique C. Terentio Romam de-
 ducendi. Is omnia suspectiora, quam ante fuerant, in se-
 natu fecit. Itaque, tanquam imminente Etrusco tumultu,
 legionem alteram ex urbanis Arretium ducere iussus ipse
 C. Terentius, eamque habere in praesidio urbis. C. Hos-
 tilium cum cetero exercitu placet totam provinciam per-
 agrare, et cavere, ne qua occasio novare cupientibus res
 daretur. C. Terentius, ut Arretium cum legione venit,
 claves portarum quum magistratus poposcisset, negantibus
 iis comparere, fraude amotas magis ratus, quam negligentia
 intercidisse, ipse alias claves omnibus portis imposuit: ca-
 vitque cum cura, ut omnia in potestate sua essent. Hosti-
 lium intentius monuit, ut in eo spem, non moturos quic-
 quam Etruscos, poneret, si, ne quid moveri posset, cavis-
 set.

Suspecti
 Etrusci.

25. De Tarentinis inde magna contentione in senatu actum
 coram Fabio, defendente ipso, quos ceperat armis, aliis in-
 fensis, et plerisque aequantibus eos Campanorum noxae
 poenaeque. Senatusconsultum in sententiam M'. Acilii
 factum est, ut oppidum praesidio custodiretur: Tarentini-

De Taren-
 tinis in se-
 natu
 actum.

4 *Biduum . . . tempus*] In hac lo-
 cutione abundat τὸ *tempus*, quum
biduum per se notet tempus duorum

dierum, quemadmodum τὸ *mulier* in
 locutione *vidua mulier*, ap. Ter. in
 Heaut. v. 1. 82. Duk.

5 que omnes intra moenia continerentur: res integra postea referretur, quum tranquillior status Italiae esset. Et de M. Livio, praefecto arcis Tarentinae, haud minore certamine actum est, aliis senatusconsulto notantibus praefectum, quod eius socordia Tarentum proditum hosti esset; aliis praemia decernentibus, quod per quinquennium arcem tutatus esset, maximeque unius eius opera receptum Tarentum foret; 6 mediis ad censores, non ad senatum, notionem de eo pertinere dicentibus: cuius sententiae et Fabius fuit. Adiecit tamen, 'fateri se, opera Livii Tarentum receptum, quod 7 amici eius vulgo in senatu iactassent; neque enim reci- 8 piundum fuisse, nisi amissum foret.'

Consulum alter T. Quinctius Crispinus ad exercitum, quem Q. Fulvius Flaccus habuerat, cum supplemento in Lucanos est profectus. Marcellum aliae atque aliae obiectae animo religiones tenebant. In quibus, quod, quum bello Gallico ad Clastidium aedem Honori et Virtuti vo- 9 visset, dedicatio eius a pontificibus impediabatur: quod negabant, unam cellam duobus recte dedicari: quia, si de coelo tacta, aut prodigii aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret: quod, utri deo res divina fieret, sciri non 1 posset. Neque enim duobus, nisi certis, deis rite una hostia fieri. Ita addita Virtutis aedes appropriato opere: neque tamen ab ipso aedes eae dedicatae sunt. Tum deum ad exercitum, quem priore anno Venusiae reliquerat, cum supplemento proficiscitur.

Locros in Brutiis Crispinus oppugnare conatus, quia magnam famam attulisse Fabio Tarentum rebatur, omne genus tormentorum machinarumque ex Sicilia arcessierat: et naves indidem accitae erant, quae vergentem ad mare partem urbis oppugnarent. Ea omissa oppugnatio est, quia Lacinium Hannibal admovent copias: et collegam eduxisse iam ab Venusia exercitum fama erat, cui coniungi volebat. Itaque in Apuliam ex Brutiis reditum, et inter Venusiam Bantiamque, minus trium millium passuum intervallo, consules binis castris consederant. In eandem regionem et Hannibal rediit, averso ab Locris bello. Ibi

5 *Res integra postea referretur*] Res postea de integro expendenda senatus deliberationi subiiceretur.

6 *Mediis*] Iis qui mediam sententiae viam sequebantur.

7 *Notionem*] Quum noscere pariter atque notare censorum esset, censoria notio passim ap. Ciceronem iudicii censorium significat.

8 *Nisi amissum foret*] Idem Fabii dictum inveneris ap. Cic. de Senect.

4.

9 *Bello Gallico ad Clastidium*] Quum pugna equestri, Gallorum duce Viridomaro occiso, spolia opima cepit. cf. supr. Epit. xx. Polyb. ii. 34.

1 *Nisi certis*] Crevier, interpretatur, nisi certo constaret utrique eam deberi: fieri tamen potest, ut vox certis Deos quosdam significet, quibus de more una eademque hostia sacrificabatur. Ceterum post vocem fieri rem divinam subaudias, ita ut una hostia casu sexto accipias.

U. C. 544. ambo consules, ingenio feroces, prope quotidie in aciem
 A. C. 208. exire; haud dubia spe, si duobus exercitibus consularibus
 Ambo Coss. iunctis commisisset sese hostis, debellari posse. Hannibal
 oppositi quia cum Marcello bis priore anno congressus vicerat vi-
 Hannibali. 26. ctusque erat, ut, cum eodem si dimicandum foret, nec
 spem, nec metum ex vano haberet; ita duobus consulibus
 Qui ad in- haudquaquam sese parem futurum credebat. Itaque, totus
 sidias con- in suas artes versus, insidiis locum quaerebat. Levia tamen
 vertitur, proelia inter bina castra vario eventu fiebant: quibus quum
 extrahi aestatem posse consules crederent, nihilo minus op-
 pugnari Locros posse rati, L. Cincio, ut ex Sicilia Locros 2
 cum classe traiceret, scribunt. Et, ut ab terra quoque
 oppugnari moenia possent, ab Tarento partem exercitus, 3
 qui in praesidio erat, duci eo iusserunt. Ea ita futura per
 quosdam Thurinos compertum Hannibali quum esset, mit-
 tit ad insidendam ab Tarento viam. Ibi sub tumultu Pete-
 liae tria millia equitum, peditum duo in occulto locata: in
 quae inexplorato euntes Romani quum incidissent, ad duo
 millia armatorum caesa, mille et quingenti ferme vivi capti:
 alii dissipati fuga per agros saltusque Tarentum rediere.

Tumulus erat silvestris inter Punica et Romana castra,
 ab neutris primo occupatus: quia Romani, qualis pars eius,
 quae vergeret ad hostium castra, esset, ignorabant; Han-
 nibal insidiis, quam castris, aptiorem eum crediderat. Ita-
 que nocte ad id missas aliquot Numidarum turmas medio
 in saltu condiderat, quorum interdum nemo ab statione mo-
 vebatur, ne aut arma, aut ipsi procul conspicerentur. Fre-
 mebant vulgo in castris Romanis, occupandum eum tumu-
 lum esse, et castello firmandum; ne, si occupatus ab Han-
 nibale foret, velut in cervicibus haberent hostem. Movit ea
 res Marcellum, et collegae, 'Quin imus,' inquit, 'ipsi cum 4
 'equitibus paucis exploratum? Subiecta res oculis nostris
 'certius dabit consilium.' Consentiente Crispino, cum
 equitibus ducentis et viginti, ex quibus quadraginta Fre-
 gellani, ceteri Etrusci erant, profisciscuntur. Secuti M. Mar-
 cellus consulis filius, et A. Manlius, tribuni militum: simul
 et duo praefecti socium, L. Arennius, et M'. Aulius. Im-
 molasse eo die quidam memoriae prodidere consulem Mar-
 cellum, et, prima hostia caesa, iecur sine capite inventum; 5
 in secunda omnia comparuisse, quae assolent. Auctum 6
 etiam visum in capite: nec id sane haruspici placuisse,

Explora-
 tum eunt
 Coss.

2 *L. Cincio*] Cui in Sicilia proro-
 gatum imperium erat, supr. 7.

3 *Partem exercitus*] Dimidiam par-
 tem intelligit Crevier.

4 *Quin imus*] Ut supr. i. 57. *quis*
conscendimus equos, h. e. cur non?

5 *Iecur sine capite*] De iecinoris

capite, cf. supr. viii. 9.

6 *Auctum etiam*] Simile extisp-
 cium referre Lucanum i. 626. ani-
 madvertit Rhenanus. *Auctum* pro
 casu quarto substantivi *auctus* accipit
 Crevier.

quod, secundum trunca et turpia exta, nimis laeta apparu- U. C. 544.
issent. Ceterum consulem Marcellum tanta cupiditas tene- A. C. 208.
bat dimicandi cum Hannibale, ut nunquam satis castra cas- 27.
tris collata crederet. Tum quoque vallo egrediens signum
7 dedit, ut ad locum miles esset paratus: ut, si collis, in quem
speculatum irent, placuisset, vasa colligerent, ac sequerentur.
Exiguum campi ante castra erat: inde in collem aperta
undique et conspecta ferebat via. Numidis speculator, ne- Insidiis ex-
quaquam in spem tantae rei positus, sed si quos vagos, icipiuntur
pabuli aut lignorum causa longius a castris progressos, Coss.
possent excipere, signum dat, ut pariter ab suis quisque
latebris exorirentur. Non ante apparuere, quibus obviis
ab iugo ipso consurgendum erat, quam circumnieri, qui a
8 tergo includerent viam. Tum undique omnes exorti, et
clamore sublato impetum fecere. Quum in ea valle con-
sules essent, ut neque evadere possent in iugum occupatum
ab hoste, nec receptum ab tergo circumventi haberent;
extrahi tamen diutius certamen potuisset, ni coepta ab
Etruscis fuga pavore ceteris inieciisset. Non tamen omi-
sere pugnam deserti ab Etruscis Fregellani, donec integri
consules hortando, ipsique ex parte pugnando rem sustine-
bant. Sed, postquam vulneratos ambo consules, Marcellum Marcellus
etiam transfixum lancea prolabentem ex equo moribundum occiditur.
videre, tum et ipsi (perpauci autem supererant) cum Cris- Crispinus
pino consule duobus iaculis icto, et Marcello adolescente, vulneratus
saucio et ipso, effugerunt. Interfectus A. Manlius tribunus fugit.
militum, et ex duobus praefectis socium M. Aulus occisus,
L. Arennius captus. Et lictores consulum quinque vivi in
hostium potestatem venerunt: ceteri aut interfecti, aut cum
consule effugerunt. Equites tres et quadraginta, aut in
proelio, aut in fuga, ceciderunt, duodeviginti vivi capti.
Tumultuatum et in castris fuerat, ut consulibus irent sub-
sidio; quum consulem et filium alterius consulis saucios,
exiguasque infelicis expeditionis reliquias, ad castra veni-
entes cernunt. Mors Marcelli quum alioqui miserabilis
fuit, tum quod nec pro aetate (maior iam enim sexaginta
annis erat), neque pro veteris prudentia ducis, tam im-
provide se, collegamque, et prope totam rempublicam, in
praeceps dederat.

Multos circa unam rem ambitus fecerim, si, quae de Varia fama
Marcelli morte variant auctores, omnia exsequi velim. Ut de morte
9 omittam alios, L. Coelius triplicem rei gestae ordinem edit: Marcelli.

7 *Ad locum miles]* *Ad locum*, in quo nihil variant mss. Crevier, exponendum putat *statim*, ut idem sit atque *illico*, quod corruptum est ex duabus vocibus *in loco*.

8 *Includerent]* Hanc vocem pro *intercluderent* passim dici monet Gronovius.

9 *Ordinem edit: unam traditam]* Haec genere inter se non convenire

U. C. 544. unam traditam fama; alteram scriptam laudatione filii, qui
 A. C. 208. rei gestae interfuerit; tertiam, quam ipse pro inquisita ac
 sibi comperta affert. Ceterum ita fama variat, ut tamen
 plerique loci speculandi causa castris egressum; omnes in-
 sidiis circumventum tradant.

28. Hannibal, magnum terrorem hostibus, morte consulis
 unius, vulnere alterius, iniectum esse ratus, ne cui deesset
 occasione, castra in tumulum, in quo pugnatum erat, ex-
 templo transfert. Ibi inventum Marcelli corpus sepelit.
 Crispinus, et morte collegae, et suo vulnere territus, silentio
 insequentis noctis profectus, quos proximos nactus est mon-
 tes, in iis loco alto et tuto undique castra posuit. Ibi duo
 duces sagaciter moti sunt, alter ad inferendam, alter ad
 cavendam fraudem. Annulo Marcelli simul cum corpore
 Hannibal potitus erat. Eius signi errore ne cui dolus
 necteretur a Pocno, metuens Crispinus, circa civitates
 proximas miserat nuntios: occisum collegam esse, annu-
 loque eius hostem potitum: ne quibus literis crederent
 nomine Marcelli compositis. Paulo ante hic nuntius con-
 sulis Salapian venerat, quum literae ab Hannibale allatae
 sunt, Marcelli nomine compositae: ‘Se nocte, quae diem
 ‘illum secutura esset, Salapian venturum: parati milites
 ‘essent, qui in praesidio erant, si quo opera eorum opus
 ‘esset.’ Sensere Salapitani fraudem: et ab ira, non defec-
 tionis modo, sed etiam equitum interfectorum, rati occa-
 sionem supplicii peti, remisso retro nuntio, (perfuga autem

Hannibal
 ad Sala-
 piam sua-
 met fraude
 captus.

animadvertit Perizonius, qui emen-
 dandam putat *seriem* pro voce *ordi-
 nem*. Crevier. *τὸ traditam* ad voces
 quae praecessere, nempe *rei gestae*,
 referebat, id quod aliis doctissimis
 placuit.

1 *Laudatione filii*] Obscura est quae-
 stio, utrum laudatio quaedam patris
 a filio, an filii a quovis cognato dicta
 hic intelligatur, quum laudatoribus
 filii proclivius esset memoriam rerum
 gestarum vitiare, famamque honorum
 fallente mendacio aucupari. cf. Creu-
 zer. R. Ant. § 298.

2 *Parati milites essent*] Carent
 prima voce scripti, tum Gronoviani,
 tum nostri. Sed nulli codici, ne ex-
 imio quidem illi Puteanaeo, tantum
 tribuimus, ut ibi statim mendum esse
 existimemus, ubi illi dissident a vul-
 gatis: praesertim si ratio evidens appa-
 reat cur eam quae recepta est lec-
 tionem tuamur: ut hoc loco, ubi
 sensus omnino flagitat vocem *parati*.
 Gronovius ea omissa suspicatur le-
 gendum *vigiles essent*, id est, vigila-
 rent, intenti essent. Quanto simpli-

cior, aptior, clarior sit vulgata lectio,
 quis non statim videt? In ea ergo
 acquiescamus, ne, si semel clara et
 aperta tentare conati fuimus, statim
 atque aliquot mss. in alia abeunt, om-
 nia iam incerta fiant. Sic hoc ipso
 capite, paullo superius, ubi vulgares
 libri habent *alter ad inferendam, alter
 ad evendam fraudem*; Puteanaeus,
alter ad inferendam fraudem, omissis
 mediis. Supr. 14. mutilus quoque est
 idem codex, et in hac Hannibalis no-
 tabili de Marcello voce, *seu vicit*,
ferociter instat victis; *seu victus est*,
instaurat cum victoribus certamen,
transilit τὰ victis seu. Et alibi sae-
 pius tales defectus in optimo libro
 annotavimus. Statuimus itaque mul-
 tum tribuendum esse scriptis codici-
 bus, praesertim si sint venerandae an-
 tiquitatis: sed ita tamen, ut sensus
 quoque ratio habeatur. Et ubi proba
 lectio occurrit, cui nostri mss. repu-
 gnent, credendum est priores editores
 aliorum codicum copiam habuisse,
 ex quibus eam hauserint. CREV.

Romanus erat) ut sine arbitro milites, quae vellent, agerent, oppidanos per muros urbisque opportuna loca in stationibus disponunt: custodias vigilasque in eam noctem intentius instruunt. Circa portam, qua venturum hostem rebantur, quod roboris in praesidio erat, opponunt. Hannibal quarta vigilia ferme ad urbem accessit. Primi agminis erant perfugae Romanorum, et arma Romana habebant. Ii, ubi ad portam est ventum, Latine omnes loquentes excitant vigiles, apeririue portam iubent: consulem adesse. Vigiles, velut ad vocem eorum excitati, tumultuari, trepidare, moliri portam. Cataracta deiecta clausa erat. Eam partim vectibus levant: partim funibus subducunt in tantum altitudinis, ut subire recti possent. Vixdum satis patebat iter, quum perfugae certatim ruunt per portam: et quum sexcenti ferme intrassent, remisso fune, quo suspensa erat, cataracta magno sonitu cecidit. Salapitani, alii perfugas negligenter ex itinere suspensa humeris, ut inter pacatos, gerentes arma, invadunt: alii e turri eius portae murisque saxis, sudibus, pilis, absterrent hostem. Ita inde Hannibal suamet ipse fraude captus abiit: profectusque ad Locrorum solvendam obsidionem, quam Cincius summa vi, operibus tormentorumque omni genere ex Sicilia advecto, oppugnabat. Magoni, iam haud ferme fidenti, retenturum defensurumque se urbem, prima spes, morte nuntiata Marcelli, affulsit. Secutus inde nuntius, Hannibalem, Numidarum equitatu praemisso, ipsum, quantum accelerare posset, cum peditum agmine sequi. Itaque ubi primum Numidas edito e speculis signo adventare sensit, et ipse, patefacta repente porta, ferox in hostes erumpit. Et primo, magis quia improvise id fecerat, quam quod par viribus esset, anceps certamen erat: deinde, ut supervenere Numidae, tantus pavor Romanis est iniectus, ut passim ad mare ac naves fugerent; relictis operibus machinisque, quibus muros quatiebant. Ita adventu Hannibalis soluta Locrorum obsidio est.

Locrorum
obsidionem
solvit.

Crispinus, postquam in Bruttios profectum Hannibalem sensit, exercitum, cui collega praefuerat, M. Marcellum tribunum militum Venusiam abducere iussit. Ipse, cum legionibus suis Capuam profectus, vix lecticae agitationem prae gravitate vulneryum patiens, Romam literas de morte collegae scripsit, quantoque ipse in discrimine esset. ‘Se comitorum causa non posse Romam venire: quia nec

29.

Crispinus
it Capuam.

3 *Cataracta deiecta*] Cataracta est porta pensilis e transversis lignis ferroque in reticuli modum compacta, quae addita principi portae claudit aditum quum demissa est, in altum

sublata aperit. CREY.

4 *M. Marcellum*] Intellige consulis interfecti filium, cuius supr. 26. mentio facta est. RASCH.

U. C. 544. 'viae laborem passurus videretur, et de Tarento sollicitus
 A. C. 208. 'esset, ne ex Bruttiiis Hannibal eo converteret agmen. Le-
 'gatos opus esse ad se mitti, viros prudentes: cum quibus,
 'quae vellet, de republica loqueretur.' Hae literae recita-
 tae magnum et luctum morte alterius consulis, et metum
 de altero fecerunt. Itaque et Q. Fabium filium ad exer-
 citum Venusiam miserunt: et ad consulem tres legati mis-
 si, Sext. Iulius Caesar, L. Licinius Pollio, L. Cincius Ali-
 mentus, quum paucis ante diebus ex Sicilia redisset. Hi
 nuntiare consuli iussi, ut, si ad comitia ipse Romam venire
 non posset, dictatorem in agro Romano diceret comitiorum
 causa. Si consul Tarentum profectus esset, Q. Claudium
 praetorem placere in eam regionem inde abducere legiones,
 in qua plurimas sociorum urbes tueri posset.

Classis Ro-
 mana Afri-
 cam popu-
 latur.

Vincit
 classem
 Punicam.

Eadem aestate M. Valerius cum classe centum navium ex
 Sicilia in Africam transmisit: et, ad Clupeam urbem exscen-
 sione facta, agrum late, nullo ferme obvio armato, vastabat.
 Inde ad naves raptim praedatores recepti, quia repente fama
 accidit, classem Punicam adventare. Octoginta erant et
 tres naves. Cum iis haud procul Clupea prospere pugnat
 Romanus. Decem et octo navibus captis, fugatis aliis,
 cum magna terrestri navalique praeda, Lilybaeum rediit.

Eadem aestate et Philippus implorantibus Achaeis aux-
 ilium tulit: quos et Machanidas tyrannus Lacedaemonio-
 rum finitimo bello urebat; et Aetoli, navibus per fretum,
 quod Naupactum et Patras interfluit, (Rhion incolae vo-
 cant) exercitu traiecto, depopulati erant. Attalum quoque
 regem Asiae, quia Aetoli summum gentis suae magistra-
 tum ad eum proximo concilio detulerant, fama erat in Eu-
 ropam traiectionem. Ob haec Philippo in Graeciam de-
 scendenti ad Lamiam urbem Aetoli, duce Pyrrhia, qui
 praetor in eum annum cum absente Attalo creatus erat,
 occurrerunt. Habebant et ab Attalo auxilia secum: et
 mille ferme ex Romana classe, a P. Sulpicio missos. Ad-
 versus hunc ducem atque has copias Philippus bis prospero
 eventu pugnavit: mille admodum hostium utraque pugna
 occidit. Inde quum Aetoli metu compulsi Lamiae urbis
 moenibus tenerent sese, Philippus ad Phalara exercitum
 reduxit. In Maliaco sinu is locus est, quondam frequen-
 ter habitatus propter egregium portum, tutasque circa sta-
 tiones, et aliam opportunitatem maritimam terrestremque.
 Eo legati ab rege Aegypti Ptolemaeo, Rhodiisque, et Athe-
 niensibus, et Chiis venerunt, ad dirimendum inter Phi-

30.
 Res Grae-
 ciae.

Aetoli a
 Philippo
 victi.

5 *In agro Romano*] sc. Qui Ro-
 manae ditionis esset. cf. supr. 5.

6 *Mille admodum*] *Admodum* hic
 pro *ferè* accipit Gronovius, pro *planc*

Doering. positum esse censet.

7 *In Maliaco sinu*] In ora adia-
 cente ad sinum Maliacum. Vid. infr.
 xxviii. 5. CREV.

lippium atque Aetolos bellum. Adhibitus ab Aetolis et ex U. C. 544.
 finitimis pacificator Amynder, rex Athamanum. Om- A. C. 208.
 nium autem non tanta pro Aetolis cura erat, ferocioribus Legati
 9 quam pro ingeniis Graecorum gentis: quam ne Philippus conveniunt
 regnumque eius, grave libertati futurum, rebus Graeciae ad bellum
 immisceretur. De pace dilata consultatio est in concilium dirimen-
 Achaeorum; concilioque ei et locus et dies certa indicta. dum.
 Interim triginta dierum indutiae impetratae. Profectus Indutiae
 inde rex per Thessaliam Boeotiamque, Chalcidem Euboeae 30. dierum.
 venit, ut Attalum, quem classe Euboeam petiturum audi-
 erat, portibus et litorum appulsu arceret. Inde, praesidio Philippus
 relicto adversus Attalum, si forte interim traieccisset, pro- it in Pelo-
 1 fectus ipse cum paucis equitum levisque armaturae, Argos pponesum.
 2 venit. Ibi curatione Heraeorum Nemeorumque suffragiis
 3 populi ad eum delata, quia se Macedonum reges ex ea
 civitate oriundos referunt, Heraeis peractis, ab ipso ludicro
 4 extemplo Aegium profectus est, ad indictum multo ante
 sociorum concilium. Ibi de Aetolico finiendo bello actum,
 ne causa aut Romanis, aut Attalo intrandi Graeciam esset.
 Sed ea omnia, vixdum indutiarum tempore circumacto, Aetoli
 Aetoli turbavere, postquam et Attalum Aeginam venisse, spem pacis
 et Romanam classem stare ad Naupactum audivere. turbant.
 Vocati enim in concilium Achaeorum, in quo eadem lega-
 tiones erant, quae ad Phalara egerant de pace, primum
 questi sunt quaedam parva contra fidem conventionis tem-
 pore indutiarum facta: postremo negarunt dirimi bellum
 posse, nisi Messeniis Achaei Pylum redderent, Romanis

8 *Ferocioribus quam pro ingeniis Graecorum gentis*] Possis utcumque exponere: ferocioribus quam pro ingeniis gentis alicuius Graecorum. Sed hoc illepidum est et inelegans. Libenter crederemus dedisse Livium: *ferociori, quam pro ingeniis Graecorum, gente*: id est, cuius ferocia male conveniret cum humanissimis Graecorum moribus. CREV. Hanc lectionem a Crevier, probatam, ex conjectura Gronovii in textum reposuit Bekker. Sed vulgarem defendit Drakenb. ut quae a stylo Liviano minime abhorreat, quoniam haud raro duplicem genitivum, alterum ex altero pendentem, ap. nostrum deprehendimus. cf. supr. xxv. 15. *hostium insidiarum ignarus*.

9 *Ne Philippus regnumque eius*] Apparet ex orationibus Lycisci Acarnanis, et legatorum Ptolemaei, apud Polyb. libb. ix. et xi. maiorem ab Romanis metum fuisse, quam a Phi-

lippo. GRONOV.

1 *Heraeorum*] Ludorum in honorem Iunonis, qui Graecis Ἡρα dicitur. CREV.

2 *Nemeorum*] Ludi quoque fuere, sic dicti a Nemea sylva; quos quidam in Archemori, alii in Hereulis honorem institutos memorant. CREV.

3 *Ex ea civitate oriundos referunt*] Nimirum reges Macedonum genus ducebant a Carano Argivo, regni Macedonici conditore, si Iustinum vii. 2. auctorem sequamur, vel a Perdicca Temenida, si Herodotum viii. 137. audiamus, quem vide v. 22. et Thucyd. ii. 99.

4 *Aegium profectus est*] Concilia Achaeorum *Aegium* indicta infr. xxviii. 7. xxxv. 48. legi, animadvertit Drakenb. Olim *Rhium* hic legebatur, quum codices *regium* prae se ferunt, sed Polybius Achaeos Rhium ne semel quidem coactos memorat. *Aegium* emendavit Glareanus.

U. C. 544. restitueretur Atintania, Scerdilaedo et Pleurato Ardyaei. 5
 A. C. 208. Enimvero indignum ratus Philippus, victos victori sibi ultro
 condiciones ferre: 'Ne antea quidem se aut de pace au-
 disse, aut indutias pepigisse,' dixit, 'spem ullam habentem
 quieturos Aetolos; sed ut omnes socios testes haberet, se
 pacis, illos belli causam quaesisse.' Ita infecta pace con-
 cilium dimisit, quattuor millibus armatorum relictis ad
 praesidium Achaeorum, et quinque longis navibus acceptis.
 Quas si adiecisset missae nuper ad se classi Carthaginien-
 sium, et ex Bithynia ab rege Prusia venientibus navibus,
 statuerat navali proelio lacessere Romanos, iam diu in ea
 regione potentes maris. Ipse ab eo concilio Argos re-
 gressus: iam enim Nemeorum appetebat tempus, quae 6
 celebrari volebat praesentia sua.

31. Occupato rege apparatu ludorum, et per dies festos li-
 centius, quam inter belli tempora, remittente animum, P.
 Sulpicius, ab Naupacto profectus, classem appulit inter
 Sicyonem et Corinthum, agrumque nobilissimae fertilitatis
 effuse vastavit. Fama eius rei Philippum ab ludis excivit:
 raptimque cum equitatu profectus, iussis subsequi pediti-
 bus, palatos passim per agros gravesque praeda, ut qui ni-
 hil tale metuerent, adortus Romanos, compulsi in naves.
 Repelluntur Romani a Phil-
 ippo. Classis Romana, haudquaquam lacta praeda, Naupactum
 rediit. Philippo quoque ludorum, qui reliqui erant, cele- 7
 britatem quantaecunque, de Romanis tamen, victoriae
 partae fama auxerat; lactitiaque ingenti celebrati festi dies:
 eo magis etiam, quod populariter dempto capitis insigni,
 purpuraque, atque alio regio habitu, aequaverat ceteris se
 in speciem: quo nihil gratius est civitatibus liberis. Prae-
 buissetque haud dubiam eo facto spem libertatis, nisi om-
 nia intoleranda libidine foeda ac deformia effecisset. Va-
 gabatur enim cum uno aut altero comite per maritas domos 8
 dies noctesque: et, summittendo se in privatum fastigium, 9
 quo minus conspectus, eo solutior erat: et libertatem quum
 aliis vanam ostendisset, totam in suam licentiam verterat.

5 *Atintania*] Regio Illyrici, a Ro-
 manis in deditionem accepta aliquot
 annis ante initium huius secundi Pu-
 nici belli. Vide supr. xx. 30. Occu-
 patis autem hoc bello Romanis, Phi-
 lippus, ut apparet ex hoc loco, eam
 invaserat. CREV.

6 *Quae celebrari*] Quibus celebri-
 tatem addi et spectantium concursum
 augeri praesentia sua volebat. CREV.

7 *Philippo quoque*] Ita Gronovius
 pro vulg. *Philippus*. Sensus erit:
 Fama victoriae, non quidem magnae,
 tamen, quod de Romanis parta erat,
 satis clarae, celebritatem dierum, qui

ludis supererant, auxerat Philippo, qui
 maiore ob novum hoc decus cum glo-
 ria illis praefuit. CREV.

8 *Per maritas domos*] sc. In quibus
 degunt matrimonio iuncti. Ita *torus*
maritus est apud Ovid. Her. ii. 41.
Sacra marita, Her. xii. 87. DRAC.

9 *Summittendo se*] Vocem *se* ex
 emendatione Gronov. delevit Bekker.
 quum hoc intelligatur, *summittendo*
fastigium suum vel regium *in priva-*
tum; sed lectionem nostram, quam-
 vis duriores, tutantur codd. Viet. et
 Haverc.

Neque enim omnia euebat aut eblandiebatur, sed vim etiam flagitiis adhibebat: periculosumque et viris et parentibus erat, moram incommoda severitate libidini regiae fecisse. Uni etiam principi Achaeorum Arato adempta uxor nomine Polycratia, ac spe regiarum nuptiarum in Macedoniam asportata fuerat.

Per haec flagitia sollenni Nemeorum peracto, paucisque additis diebus, Dynas est profectus, ad praesidium Actolorum, quod ab Eleis accitum acceptumque in urbem erat, eiiciendum. Cycliadas (penes eum summa imperii erat) Achaeique ad Dynas regi occurrere: et Eleorum accensi odio, quod a ceteris Achaeis dissentirent: et infensi Actolis, quos Romanum quoque adversus se movisse bellum credebant. Profecti ab Dymis, coniuncto exercitu transiunt Larisum amnem, qui Eleum agrum ab Dymaco dirimit. Primum diem, quo fines hostium ingressi sunt, populando absumpserunt. Postero die acie instructa ad urbem accesserunt, praemissis equitibus; qui, obequitando portis, promptum ad excursiones genus lacerarent Actolorum. Ignorabant, Sulpicium cum quindecim navibus ab Naupacto Cyllenen traicisse, et, expositis in terram quatuor millibus armatorum, silentio noctis, ne conspici agmen posset, intrasse Elim. Itaque improvisa res ingentem iniecit terrorem, postquam inter Actolos Eleosque Romana signa atque arma cognovere. Et primo recipere suos voluerat rex: dein, contracto iam inter Actolos et Trallos (Illyriorum id est genus) certamine, quum urgeri videret suos, et ipse rex cum equitatu in cohortem Romanam incurrit. Ibi equus pilo traiectus quum prolapsus per caput regem effudisset, atrox pugna utrimque accensa est, et ab Romanis impetu in regem facto, et protegentibus regiis. Insignis et ipsius pugna fuit, quum pedes inter equites coactus esset proclium inire. Dein, quum iam impar certamen esset, caderentque circa eum multi, et vulnerarentur, raptus ab suis, atque alteri equo iniectus, fugit. Eo die castra quinque millia passuum ab urbe Eleorum posuit. Postero ad castellum (Pyrgum vocant) copias omnes eduxit: quo agrestium multitudinem cum pecoribus metu populationum compulsam audierat. Eam inconditam inermemque multitudinem primo statim terrore adveniens cepit: compensaveratque ea praeda, quod ignominiae ad Elim acceptum fuerat. Dividenti praedam captivosque (fuerant au-

U. C. 544.
A. C. 208.
Adversus
Actolos
proficiscitur, in Elim.

32.

Sulpicius
Cyllenen
traiecit.

Rex vincitur.

1 *Arato adempta uxor*] Ex Plut. in Arato versus finem, colligere licet hunc Aratum, cui uxorem ademit Philippus, fuisse Aratum iuniorem, filium eius Arati, cuius consilio et

opera respublica Achaeorum coealit. CREV.

2 *Per caput*] Intellige caput equi, per quod et eiusdem collum rex lapsus est. CREV.

U. C. 544. tem quattuor millia hominum, pecoris omnis generis ad
 A. C. 208. millia viginti) nuntius ex Macedonia venit, Eropum quen-
 dam, corrupto arcis praesidiique praefecto, Lychnidum ce-
 pisse: tenere et Dassaretiorum quosdam vicos, et Dardanos
 etiam concire. Omisso igitur Achaico bello, relictis tamen
 duobus millibus et quingentis omnis generis armatorum
 cum Menippo et Polyphanta ducibus ad praesidium socio-
 rum, profectus ab Dymis, per Achaïam Boeotiamque et 4
 Euboeam, decimis castris Demetriadem in Thessaliam per-
 venit. Ibi alii, maiorem afferentes tumultum, nuntii oc-
 currunt: Dardanos, in Macedoniam effusos, Orestidem iam
 tenere, ac descendisse in Argestaeum campum: famamque 5
 inter barbaros celebrem esse, Philippum occisum. Expe-
 ditione ea, qua cum populatoribus agri ad Sicyonem pugna-
 vit, in arborem illatus impetu equi, ad eminentem rimum
 cornu alterum galeae praefregit. Id inventum ab Actolo 6
 quodam, perlatumque in Aetoliam ad Scerdilaedum, cui
 notum erat insigne galeae, famam interfecti regis vulgavit.
 Post profectionem ex Achaia regis, Sulpicius, Aeginam
 classe profectus, cum Attalo sese coniunxit. Achaci cum
 Aetolis Eleisque haud procul Messene prosperam pugnam
 fecerunt. Attalus rex et P. Sulpicius Aeginae hiberna-
 runt.

Redit in
 Macedoni-
 am.

33.

Dardani
 Macedoni-
 am popu-
 lantur.

Achaci
 bene rem
 gerunt.

Crispini
 Cos. mors.
 Dictator
 Torquatus.

Ludi
 magni.

Exitu huius anni T. Quinctius Crispinus consul, dictatore
 comitiorum ludorumque faciendorum causa dicto T. Manlio
 Torquato, ex vulnere moritur. Alii Tarenti, alii in Cam-
 pania mortuum tradunt. Id quod nullo ante bello accide-
 rat, duo consules, sine memorando proelio interfecti, velut
 orbam rempublicam reliquerant. Dictator Manlius magis-
 trum equitum C. Servilium (tum aedilis curulis erat) dixit.
 Senatus, quo die primum est habitus, ludos magnos facere
 dictatorem iussit, quos M. Aemilius praetor urbis, C. Flami-
 nio, Cn. Servilio consulibus, fecerat, et in quinquennium
 voverat. Tum dictator et ludos fecit, et in insequens
 lustrum vovit. Ceterum, quum duo consulares exercitus

3 *Lychnidum*] Hanc vocem pro
 vulg. *Bachindum* reposuit Sigonius.
 cf. infr. xxxiii. 34.

4 *Et Euboeam*] *Boebeidem* emen-
 davit Sabellicus, sed Boebeis, sive pa-
 lus, sive regiuncula, iacet sub Penei
 ostio, longe ultra Demetriadem, ne-
 que liquet, quare Philippus, tanto
 spatio iam praegressus, illic reverteret.
 Quapropter veterem lectionem de-
 fendit Iac. Gronovius, "quippe ob
 certas causas potuit Philippus coactus
 fuisse ex Boeotia deflectere versus
 dextram in Euboeam, ut res insulae
 inspiceret ac constitueret, maxime

quum eius insulae cultores in metu
 ab Aetolis essent, ut testatur Livius
 xxviii. 5."

5 *Argestacum*] Vel corruptum est
 hoc nomen, vel parum notum. Gla-
 reanus legit *Aestracum*; Sigonius *Ae-
 gestaeum*, id est, Thesprotium. Thes-
 proti enim alio nomine Aegestaei quo-
 que vocabantur, teste Stephano. Cr.

6 *Cornu alterum*] Cornua inter in-
 signia successorum Alexandri Magni
 illustravit Spanhemius de Praestant.
 et Usu Nummorum vii. p. 387. ga-
 leas autem cornutas p. 399. DRAK.

tam prope hostem sine ducibus essent, omnibus aliis omissis, U. C. 544.
 una praecipua cura Patres populumque incessit, consules A. C. 208.
 primo quoque tempore creandi; et ut eos potissimum cre- Curae de-
 7 arent, quorum virtus satis tuta a fraude Punica esset: Coss. cre-
 andis.

‘quum toto eo bello damnosa praepropera ac fervida ingenia
 ‘imperatorum fuissent, tum eo ipso anno consules, nimia
 ‘cupiditate conserendi cum hoste manum, in necopinatum
 ‘fraudem lapsos esse. Ceterum deos immortales, miseritos
 ‘nominis Romani, pepercisse innoxiiis exercitibus: teme-
 ‘ritatem consulum ipsorum capitibus damnassee.’ Quum 34.
 circumspicerent Patres, quosnam consules facerent, longe Claudius
 ante alios eminebat C. Claudius Nero. Ei collega quaere- Nero.
 batur; et virum quidem cum egregium ducebant, sed
 promptiorem acrioremque, quam tempora belli postularent,
 aut hostis Hannibal: temperandum acre eius ingenium
 moderato et prudenti viro adiuncto collega censebant. M. Livius.

8 Livius erat, multis ante annis ex consulatu populi iudicio
 damnatus. Quam ignominiam adeo aegre tulcrat, ut et rus
 migraret, et per multos annos et urbe et omni coetu careret
 hominum. Octavo ferme post damnationem anno M.
 Claudius Marcellus et M. Valerius Laevinus consules re-
 duxerant eum in urbem: sed erat veste obsoleta, capilloque
 et barba promissa, praefereus in vultu habituque insignem
 memoriam ignominiae acceptae. L. Veturius et P. Lici-
 9 nius censores eum tonderi, et squalorem deponere, et in
 senatum venire, fungique aliis publicis numeribus coege-
 runt. Sed tum quoque aut verbo assentiebatur, aut pedi-
 bus in sententiam ibat, donec cognati hominis eum causa
 1 M. Livii Macati, quum fama eius ageretur, stantem coegit
 in senatu sententiam dicere. Tum ex tanto intervallo
 auditus convertit ora hominum in se, cansamque sermonibus
 praebuit, ‘indigno iniuriam a populo factam, magnoque id
 ‘damno fuisse, quod tam gravi bello nec opera, nec consilio
 ‘talis viri usa respublica esset. C. Neroni neque Q. Fabium,
 ‘neque M. Valerium Laevinum dari collegas posse, quia
 ‘duos patricios creari non liceret. Eandem causam in T.
 ‘Manlio esse, praeterquam quod recusasset delatum consu-

7 *Quorum virtus satis tuta*] Quo-
 rum virtus et fortitudo bellica adhi-
 beret tamen cautionem, ne fraude
 Punica caperetur. CREV.

8 *Multis ante annis*] cf. Supr. xxii.
 35. Quippe consul fuerat proximo
 ante hoc bellum anno, et damnatus
 primo huius belli anno.

9 *Cogeerunt*] sc. Vel ut virum con-
 sulare, vel quod antea in senatum

lectus fuerat; alias non *cogi* potuisset.
 DOER.

1 *Stantem coegit in senatu*] Ni-
 mirum, quum pluribus verbis senten-
 tiam suam explicarent ac tuerentur
 senatores, stantes dicebant: alioquin
 aut verbo aliis assentiebantur, aut
 discessione facta, pedibus in senten-
 tiam ibant.

U. C. 544. 'latum, recusaturusque esset. Egregium par consulum fore,
A. C. 208. 'si M. Livium C. Claudio collegam adiunxissent.' Nec
populus mentionem eius rei ortam a Patribus est aspernatus.
Unus eam rem in civitate is, cui deferebatur honos, abnue-
bat, levitatem civitatis accusans. 'Sordidati rei non mise-
'ritos, candidam togam invito offerre: eodem honores poe-
'nasque congeri. Si bonum virum ducerent, quid ita pro
'malo ac noxio damnassent? Si noxium comperissent, quid
'ita, male credito priore consulatu, alterum crederent?'
Haec taliaque arguentem et querentem castigabant Patres,
'et M. Furium,' memorantes, 'revocatum de exsilio, pa-
'triam pulsam sede sua restituisset. Ut parentum saevitiam,
Coss. ere- 'sic patriae, patiendo ac ferendo leniendam esse.' Annisi
antur. omnes, cum C. Claudio M. Livium consulem fecerunt.

35.

Post diem tertium eius dici praetorum comitia habita.
Praetores creati L. Porcius Licinus, C. Mamilius, A. et C.
Hostilii Catones. Comitii perfectis, ludisque factis, dic-
tator et magister equitum magistratu abierunt. C. Teren-
tius Varro in Etruriam propraetor missus, ut ex ea provin-
cia C. Hostilius Tarentum ad eum exercitum iret, quem 2
T. Quinctius consul habuerat. Et L. Manlius trans mare 3
legatus iret, viseretque, quae res ibi gererentur: simul, quod
Olympiae ludicrum ea aestate futurum erat, quod maximo 4
coetu Gracciae celebraretur, ut, si tuto per hostem posset,
adiret id concilium: ut, qui Siculi bello ibi profugi, aut
Tarentini cives relegati ab Hannibale essent, domos redi-
rent, scirentque, sua omnia, quae ante bellum habuissent,
reddere populum Romanum.

Quia periculosissimus annus imminere videbatur, neque
consules in republica erant, in consules designatos omnes
versi, quam primum eos sortiri provincias, et praesciscere, 5
quam quisque eorum provinciam, quem hostem haberet,
volebant. De reconciliatione etiam gratiae eorum in se-
natu actum est, principio facto a Q. Fabio Maximo. Ini- 6

Coss. de-
signati re-
concilian-
tur.

2 Quem T. Quinctius consul habu-
erat] Haec verba, quae sibi nullo in
scripto obvia fuisse Gronovius testa-
tur, nos in Victorino codice reperimus,
nisi quod mutatum ibi nomen
consulis est, legiturque T. Manlius
consul: facili errore, quod T. Man-
lius in sequenti versu nominetur.
Nec vero assentimur Gronovio, ea-
dem haec verba inutilia esse. Sine
iis enim nimis abrupta et obscura
fieret oratio. CREV.

3 L. Manlius] T. Manlius hic le-
gendum monet Crevier. quum in om-
nibus codd. suis Titus legitur. Titus

reposit Bekker.

4 Olympiae ludicrum ea aestate]
Ex Dodwelli sententia, de Cycl. Rom.
Diss. x. § 44. et 45. Olympiae ludi-
crum nou in hunc annum, sed in
praecedentem Marcello et Crispino
consulibus conferendum est, neque
ab hac sententia alienum fuisse Pe-
tavium apparet ex libro suo de Doctr.
Temp. ix. 53. DUK.

5 Praesciscere] Altera forma ver-
bi est praescire. cf. supr. xxvi. 33.

6 Inimicitiae autem nobiles inter
eos erant] Ortæ ex eo, quod in iudicio
illo, in quo Livius damnatus fuerat,

7 *micitiae autem nobiles inter eos erant, et acerbiores eas* U. C. 544.
indignioresque Livio sua calamitas fecerat, quod spretum A. C. 208.
se in ea fortuna credebat. Itaque is magis implacabilis
erat: et, 'nilil opus esse reconciliatione,' aiebat: 'acrius
 8 *et intentius omnia gesturos, timentes ne crescendi ex se*
'inimico collegae potestas fieret.' Vicit tamen auctoritas
senatus, ut, positis simultatibus, communi animo consilio-
que administrarent rempublicam. Provinciae iis non per-
mixtae regionibus, sicut superioribus annis, sed diversae
extremis Italiae finibus, alteri adversus Hannibalem Bruttii,
Lucani; alteri Gallia adversus Hasdrubalem, quem iam
Alpibus appropinquare fama erat, decreta. Exercitum ex
 9 *duobus, qui in Gallia, quique in Etruria essent, addito*
urbano, eligeret, quem mallet, qui Galliam esset sortitus.
Cui Bruttii provincia evenisset, novis legionibus urbanis
scriptis, utrius mallet consulum prioris anni, exercitum
sumeret. Relictum a consule exercitum Q. Fulvius pro-
consul acciperet; eique in annum imperium esset. Et C.
Hostilio, cui pro Etruria Tarentum mutaverant provinciam,
pro Tarento Capuam mutaverunt. Legio una data, cui
Fulvius proximo anno praefuerat.

Provinciae
iis divisae.

De Hasdrubalis adventu in Italiam cura in dies cres- 36.
 cebat. Massiliensium primum legati nuntiaverant, cum in Hasdrubal
 Galliam transgressum: erectosque adventu eius, quia in Galliam
 magnum pondus auri attulisse diceretur ad mercede auxilia transgres-
 conducenda, Gallorum animos. Missi deinde cum iis le- sus.
 gati ab Roma Sex. Antistius et M. Raecius ad rem inspi-
 ciendam retulerant, misisse se cum Massiliensibus ducibus,
 qui per hospites eorum, principes Gallorum, omnia explo-
 rata referrent. Pro comperto habere, Hasdrubalem in-
 genti iam coacto exercitu proximo vere Alpes traiecturum:
 nec tum cum quicquam aliud morari, nisi quod clausae
 hieme Alpes essent.

In locum M. Marcelli P. Aelius Pactus augur creatus
 inauguratusque: et Cn. Cornelius Dolabella rex sacrorum
 inauguratus est in locum M. Marci, qui biennio ante mor-
 tuus erat. Hoc eodem anno et lustrum conditum est a Lustrum
 censoribus P. Sempronio Tuditano et M. Cornelio Cethego. conditum.
 Censa civium capita centum triginta septem millia, centum

Nero adversus eum testimonium dix-
 erat. Vid. Val. Max. iv. 2. et nostrum
 infr. xxix. 37. CREV.

7 *Et acerbiores eas*] Et calamitas
 Livii fecerat, ut acerbius in eo odium
 esset, et ex indignitate iniuriae acris.
 CREV.

8 *Ne crescendi ex se*] Quum quis-
 que timeret ne ex culpa aut negligen-

tia sua daret occasionem inimico col-
 legae crescendi, et attolleret supra se
 inimicum collegam. CREV.

9 *Quique in Etruria essent*] Es-
 set, quod cod. Put. et Victor. habent,
 reposuit Bekker. cf. supr. xxv. 20.
Consules . . . Fulvius in agrum Cu-
manum, Claudius in Lucanos abiit.

U. C. 544. et octo. Minor aliquanto numerus, quam qui ante bellum
 A. C. 208. fuerat. Eo anno primum, ex quo Hannibal in Italiam ve-
 nisset, comitium tectum esse, memoriae proditum est, et
 ludos Romanos semel instauratos ab aedilibus curulibus Q. 1
 Metello et C. Servilio. Et plebeiis ludis biduum instau-
 ratum ab Q. Mamilio et M. Caccilio Metello aedilibus
 plebis. Et tria signa ad Cereris iidem dederunt: et Iovis 2
 epulum fuit ludorum causa.

U. C. 545. Consulatum inde ineunt C. Claudius Nero et M. Livius
 A. C. 207. iterum: qui, quia iam designati provincias sortiti erant,
 C. Claudio, praetores sortiri iusserunt. C. Hostilio urbana evenit:
 M. Livio addita et peregrina, ut tres in provincias exire possent.
 H. Coss. A. Hostilio Sardinia, C. Mamilio Sicilia, L. Porcio Gallia

Praetorum provinciae. eventit. Summa legionum trium et viginti ita per pro-
 Legiones vinciis divisa, ut binae consulum essent; quattuor His-
 23. pania haberet; tres praetores binas, in Sicilia, in Sardinia,
 et Gallia; duas C. Terentius in Etruria; duas Q. Fulvius
 in Brutiis; duas Q. Claudius circa Tarentum et Sallen-
 tinos; unam C. Hostilius Tubulus Capuae: duae urbanae
 ut scriberentur. Præmissis quattuor legionibus populus tri- 3
 bunos creavit: in ceteras consules miserunt.

37. Priusquam consules proficiscerentur, novendiale sacrum
 Prodigia. fuit, quia Veiis de coelo lapidaverat. Sub unius prodigii,
 ut fit, mentionem alia quoque nuntiata: Minturnis aedem
 Iovis et lucum Maricae; item Atellae murum et portam
 de coelo tacta. Minturnenses, terribilius quod esset, adii-
 ciebant, sanguinis rivum in porta fluxisse. Et Capuae 4
 Procurata. lupus, nocte portam ingressus, vigilem laniaverat. Haec
 procurata hostiis maioribus prodigia, et supplicatio diem
 unum fuit ex decreto pontificum. Inde iterum novendiale

9 *Eo anno primum*] Perturbatas fuisse quasdam huius loci voces censet Crevier., qui lectionem ita refingit. "Eo anno primum, ex quo Hannibal in Italiam venisset, lustrum conditum est a censoribus... quam qui ante bellum fuerat. Hoc eodem anno et Comitium tectum esse memoriae proditum est, et ludos Romanos..." Omnia hoc modo apta omnino et clara sunt. Constat quippe hoc primum condi lustrum, ex quo Hannibal in Italiam venerit. Ter quidem censores creati sunt: at hi soli, de quibus loquitur nunc Livius, lustrum condidere. Vid. supr. xxiv. 11. et 43. xxvii. 6. Deinde ipsa particula *et*, quae sequitur illas voces *hoc eodem anno*, in eum locum quem volumus revocata, habet aliam comparationem, quae sibi respondeat, *et ludos*

Romanos. Dukerus autem quaedam intercidisae putat, quae ad annum operis incepti pertinerent.

1 *Semel instauratos*] sc. Uno die adiecto. cf. supr. xxv. 2. xxvii. 6. et 21. Niebhr. ii. n. 68.

2 *Ad Cereris*] Cuius aedi invigilabant aediles plebei. cf. supr. iii. 55.

3 *Tribunos creavit*] cf. Supr. ix. 30.

4 *Sanguinis rivum in porta fluxisse*] Similiter in fossis sub moenibus Mediolani urbis aliquando huiusmodi prodigium videre licet, quum genus quoddam conservarum sanguineo suo colore aquae identidem speciem sanguinis praebeat. Neque hoc prodigium aliis Italiae regionibus hodie prorsus ignotum est. cf. Bellanus Giornal. de Fisica x. Bim. iii. p. 198. Settius Mem. Storico Natural. Venezia, 1824.

5 instauratum, quod in Arnilustro lapidibus visum pluere. U. C. 545.
 6 Liberatas religione mentes turbavit rursus nuntiatum, Fru- A. C. 207.
 sinone infantem natum esse quadrimo parem: nec magni- Androgy-
 tudine tam mirandum, quam quod is quoque, ut Sinuessae nus natus.
 biennio ante, incertus, mas an femina esset, natus erat. Id
 vero haruspices, ex Etruria acciti, foedum ac turpe pro-
 digium dicere: extorrem agro Romano, procul terrae con-
 tactu, alto mergendum. Vivum in arcam condidere, pro-
 vectumque in mare proiecerunt. Decevere item pon-
 tifices, ut virgines ter novenae, per urbem euntes, carmen
 canerent. Id quum in Iovis Statoris aede discerent, con-
 7 ditum ab Livio poeta, carmen, tacta de coelo aedes in
 Aventino Iunonis Reginae: prodigiumque id ad matronas
 pertinere, haruspices quum respondissent, donoque divam
 placandam esse; aedilium curulium edicto in Capitolium
 convocatae, quibus in urbe Romana, intraque decimum la-
 pidem ab urbe, domicilia essent, ipsae inter se quinque et
 viginti delegerunt, ad quas ex dotibus stipem conferrent.
 Inde donum pelvis aurea facta, lataque in Aventinum, pu-
 reque et caste a matronis sacrificatum. Confestim ad aliud
 sacrificium eidem divae ab decemviris edicta dies, cuius
 ordo talis fuit. Ab aede Apollinis boves feminae albae
 duae porta Carmentali in urbem ductae: post eas duo
 signa cupressea Iunonis Reginae portabantur: tum septem
 et viginti virgines, longam indutae vestem, carmen in
 Iunonem Reginam canentes ibant; illa tempestate forsitan
 laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens et inconditum,
 si referatur. Virginum ordinem sequebantur decemviri
 coronati laurea, praetextatique. A porta Iugario vico in
 8 forum venire: in foro pompa constitit; et, per manus reste
 data, virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes inces-
 serunt. Inde vico Tusco Velabroque, per Boarium forum,
 in clivum Publicium atque aedem Iunonis Reginae perre-
 ctum. Ibi duae hostiae ab decemviris immolatae, et si-
 mulacra cupressea in aedem illata.

Sacrificium
 Iunoni Re-
 ginae, et
 pompa.

Diis rite placatis, delectum consules habebant acrius in- 38.
 tentiusque, quam prioribus annis quisquam meminerat ha-

Acrius ha-
 betur de-
 lectus.

5 In Arnilustro] *Armilustrum*, sive
Armilustrum dies festus fuit apud
 Romanos, qui in Kalendario notatur
 a. d. xiv. Kalendas Novembres. In
 eo, testibus Varrone et Festo, armati
 sacra faciebant. Ceterum et locum
 dictum esse *Armilustrum*, in quo ni-
 mirum sacra tum fiebant, colligitur
 ex eodem Varrone, de L. L. v. 32. et
 vi. 3. Atque haec nostra Livii verba
 potius capiendi videntur de loco,
 quam de die festo. CREV.

6 Nuntiatum] Haec vox in recto
 casu est, et cum verbo *turbavit* iun-
 gitur. CREV.

7 Livio poeta] Livio Andronico,
 M. Livii Salinatoris liberto, qui pri-
 mus Romae fabulam docuerat an.
 512. U. C. De hoc eius carmine cf.
 Festus v. *Scribae*.

8 Reste data] cf. Ter. Adelph. iv.
 7. 34. *Tu inter eas restem ductans
 saltabis.*

U. C. 545. bitum. Nam et belli terror duplicatus novi hostis in
 A. C. 207. Italiam adventu : et minus iuventutis erat, unde scriberent
 milites. Itaque colonos etiam maritimos, qui sacrosanctam
 vacationem dicebantur habere, dare milites cgebant. Qui-
 bus recusantibus, edixere in diem certam, ut, quo quisque
 iure vacationem haberet, ad senatum deferret. Ea die hi
 populi ad senatum venerunt : Ostiensis, Alsiensis, Antias,
 Anxuras, Minturnensis, Sinnessanus, et ab supero mari
 Senensis. Quum vacationes suas quisque populus reci-
 taret ; nullius, quum in Italia hostis esset, praeter Antiatem
 Ostiensemque, vacatio observata est : et earum coloniarum
 iuniores iureiurando adacti, supra dies triginta non perno-
 ctaturos se esse extra moenia coloniae suae, donec hostis in
 Italia esset. Quum omnes censerent, primo quoque tem-
 pore consulibus eundem ad bellum, (nam et Hasdrubali
 occurrendum esse descendenti ab Alpibus, ne Gallos Cisal-
 pinos, neve Etruriam, erectam in spem rerum novarum,²
 sollicitaret : et Hannibalem suo proprio occupandum bello,
 ne emergere ex Brutiis atque obviam fratri ire posset)
 Livius cunctabatur, parum fidens suarum provinciarum ex-
 ercitiis : collegam ex duobus consularibus egregiis exer-
 citibus, et tertio, cui Q. Claudius Tarenti praecesset, elec-
 tionem habere : intuleratque mentionem de volonibus re-
 vocandis ad signa. Senatus liberam potestatem consulibus
 fecit, et supplendi, unde vellent, et eligendi de omnibus
 exercitiis, quos vellent, permutandique, et ex provinciis,
 quos e republica censerent esse, traducendi. Ea omnia
 cum summa concordia consulum acta. Volones in unde-
 vicesimam et vicesimam legiones scripti. Magni roboris
 auxilia ex Hispania quoque a P. Scipione M. Livio missa
 quidam ad id bellum auctores sunt : octo millia Hispa-
 norum Gallorumque, et duo millia de legione militum,⁴
 equitum mille, mixtos Numidas Hispanosque. M. Lucre-

Exercitus
 contra
 Hasdruba-
 lem et
 Hanniba-
 lem.

9 *Sacrosanctam*] sc. Iureiurando interposito sancitam, ita ut sine magno scelere violari non posset. Itaque vacationes coloniarum maritimarum sacrosanctas dixit Livius, ut quas, auctoritate populi Romani et iuramento firmatas, nemini violare liceret, ob idque nec invitae dare milites cogi possent. DONATUS.

1 *Et earum coloniarum*] Nempe Antii et Ostiae, quibus quum vacatio ideo daretur, ne defensoribus nudarentur oppida, quae magnopere Romanorum intererat non intercipi ab hostibus, consentaneum erat, ut iuniores ab iis non discedere iuberentur. CREV.

2 *Erectam in spem rerum novarum*] Arrectam et suspensam in spem mutandi status, et, excusso imperii Romani iugo, socios Carthaginienses asciscendi. CREV.

3 *Et tertio, cui Q. Claudius Tarenti praecesset*] Duorum tantum exercituum electio datur consuli, cui Bruttii provincia evenisset, supr. 35. Omiserat nempe Livius priore illo loco mentionem facere huius exercitus Claudiani. Nunc aliud agendo reponit id quod tunc praetermiserat. CREV.

4 *De legione militum*] Si haec sana sunt, intellige *militum legionariorum*, qui opponuntur Hispanis et Gallis. CREV.

tium has copias navibus adduxisse: et sagittariorum fundito- U. C. 545.
rumque ad quattuor millia ex Sicilia C. Mamilium misisse. A. C. 207.

Auxerunt Romae tumultum literae ex Gallia allatae ab 39.

L. Porcio praetore: 'Hasdrubalem movisse ex hibernis, et Hasdrubal transit Alpes.

'iam Alpes transire: octo millia Ligurum conscripta ar-
'mataque, coniunctura se transgresso in Italiam esse, nisi
'mitteretur in Ligures, qui eos bello occuparet. Se cum

'invalido exercitu, quoad tutum putaret, progressurum.'

Hae literae consules, raptim confecto delectu, maturius,

quam constituerant, exire in provincias coegerunt, ea

mente, ut uterque hostem in sua provincia contineret,

neque coniungi, aut conferre in unum vires pateretur.

Plurimum in eam rem adiuvit opinio Hannibalis: quod,

etsi ea aestate transiturum in Italiam fratrem crediderat,

recordando, quae ipse in transitu nunc Rhodani, nunc

Alpium, cum hominibus locisque pugnando per quinque

menses exhausisset, handquaquam tam facilem maturumque

transitum exspectabat. Ea tardius movendi ex hibernis

causa fuit. Ceterum Hasdrubali et sua et aliorum spe

omnia celeriora atque expeditiora fuere. Non enim rece-

perunt modo Arverni eum, deincepsque aliae Gallicae

atque Alpinae gentes; sed etiam secutae sunt ad bellum.

Et quum per munita pleraque transitu fratris, quae antea

invia fuerant, ducebat; tum etiam, duodecim annorum as-

suetudine perviis Alpibus factis, inter mitiora iam hominum

transibat ingenia. Invisitati namque antea alienigenis,

nec videre ipsi advenam in sua terra assueti, omni generi

humano insociabiles erant. Et primo ignari, quo Poenus

pergeret, suas rupes suaeque castella, et pecorum hominum-

que praedam peti crediderant: fama deinde Punici belli,

quo duodecim annum Italia urebatur, satis edocuerat,

viam tantum Alpes esse: duas praevalidas urbes, magno

inter se maris terrarumque spatio discretas, de imperio et

opibus certare. Hae causae aperuerant Alpes Hasdrubali.

Ceterum quod celeritate itineris profectum erat, id mora

ad Placentiam, dum frustra obsidet magis, quam oppugnat,

corrupt. Crediderat campestris oppidi facilem expugna-

tionem esse: et nobilitas coloniae induxerat eum, magnum

se excidio eius urbis terrorem ceteris ratum iniecturum.

Non ipsum solum ea oppugnatio impediit; sed Hanni-

balem post famam transitus eius, tanto spe sua celerio-
rem, iam moventem ex hibernis, continuerat: quippe reputan-

tem, non solum quam lenta urbium oppugnatio esset, sed

etiam quam ipse frustra eandem illam coloniam, ab Trebia

victor regressus, tentasset.

Gallis et
Alpinis
gentibus
faventibus.

Placen-
tiam obsi-
det.

5 *Quam ipse frustra*] Nusquam Memoratur tantum Emporium prope
legitur Hannibal tentasse Placentiam. Placentiam tentasse supr. xxi. 57. et

U. C. 545.

A. C. 207.

40.

Anxietas
Romano-
rum.

Consules, diversis itineribus profecti ab urbe, velut in duo pariter bella distenderant curas hominum, simul recordantium, quas primus adventus Hannibalis intulisset Italiae clades; simul, quum illa angeret cura, 'quos tam propitios urbi atque imperio fore deos, ut eodem tempore utrobique respublica prospere gereretur? adhuc adversa secundis pensando rem ad id tempus extractam esse. Quum in Italia ad Trasimenum et Cannas praecipitasset Romana res, prospera bella in Hispania prolapsam eam erexisse. Postea, quum in Hispania alia super aliam clades, duobus egregiis ducibus amissis, duos exercitus ex parte delesset, multa secunda in Italia Siciliaque gesta quassatam rem-⁶ publicam excepisse: et ipsum intervallum loci, quod in ultimis terrarum oris alterum bellum gereretur, spatium dedisse ad respirandum. Nunc duo bella in Italian accepta, duo celeberrimi nominis duces circumstare urbem Romanam, et unum in locum totam periculi molem, omne onus incubuisse. Qui eorum prior vicisset, intra paucos dies castra cum altero iuncturum.' Terrebat et proximus annus lugubris duorum consulum funeribus. His anxii curis homines digredientes in provincias consules persecuti sunt. Memoriae proditum est, plenum adhuc irae in cives M. Livium, ad bellum proficiscentem, monenti Q. Fabio, 'ne, priusquam genus hostium cognosset, temere manum consereret,' respondisse: 'Ubi primum hostium agmen conspexisset, pugnaturum.' Quum quaereretur, quae causa festinandi esset? 'Aut ex hoste egregiam gloriam,' inquit, 'aut ex civibus victis gaudium, meritum certe, etsi non honestum, capiam.'

Livii vox
plena irae
in cives.

Priusquam Claudius consul in provinciam perveniret, per extremum finem agri Larinatis ducentem in Sallentinos exercitum Hannibalem cum expeditis cohortibus adortus,⁷ C. Hostilius Tubulus in composito agmini terribilem tumultum intulit. Ad quattuor millia hominum occidit, novem signa militaria cepit. Moverat ex hibernis ad famam hostis Q. Claudius, qui per urbes agri Sallentini castra disposita habebat. Itaque, ne cum duobus exercitibus simul confliceret, Hannibal nocte castra ex agro Tarentino movit, atque in Bruttios concessit. Claudius in Sallentinos agmen convertit. Hostilius, Capuam petens,

mox pugnasse ad Placentiam cum Sempronio consule ibid. 59. Utrum memoria fefellerit hoc loco Livium an oppugnationem Emporii tentationem fuisse Placentiae interpretatus sit, in medio relinquimus.

⁶ *Quassatam rempublicam excepisse*] Fuisse quasi portum quen-

dam, quo quassata reipublicae navis exciperetur. CREV.

⁷ *Cum expeditis cohortibus*] Put. non agnoscit praepositionem. Et sic saepe amat loqui Livius. CREV. Similiter Graeci, ut cuivis notum est, praepositionem *ὅν* omittunt. Bekkerus codicem Put. sequitur.

obvius ad Venusiam fit consuli Claudio. Ibi ex utroque U. C. 545.
exercitu electa peditum quadraginta millia, duo millia et A. C. 207.
quingenti equites, quibus consul adversus Hannibalem rem
gereret: reliquas copias Hostilius Capuam ducere iussus,
ut Q. Fulvio proconsuli traderet.

Hannibal, undique contracto exercitu, quem in hibernis, 41.
aut in praesidiis agri Bruttii habuerat, in Lucanos ad Gru-
mentum venit, spe recipiendi oppida, quae per metum ad
Romanos defecissent. Eodem a Venusia consul Romanus Neronis et Hannibalis castra col-
lata.
exploratis itineribus contendit, et mille fere et quingentos
passus castra ab hoste locat. Grumentum moenibus prope
8 iniunctum videbatur Poenorum vallum: quingenti passus
intererant. Castra Punica ac Romana interiacebat cam-
pus; colles imminebant nudi sinistro lateri Carthaginien-
sium, dextro Romanorum, neutris suspecti, quod nihil
silvae neque ad insidias latebrarum habebant. In medio
campo ab stationibus proeursorum certamina, haud satis
digna dictu, serebant. Id modo Romanum quaerere appa-
rebat, ne abire hostem pateretur. Hannibal, inde evadere
cupiens, totis viribus in aciem descendebat. Tum consul, Insidiae Romano-
rum.
9 ingenio hostis usus, quo minus in tam apertis collibus
timere insidiae poterant, quinque cohortes, additis quinque
manipulis, nocte iugum superare, et in aversis vallibus con-
sidere iubet. Tempus exsurgendi ex insidiis, et aggre-
diendi hostem, Ti. Claudium Asellum tribunum mili-
tum et P. Claudium praefectum socium edocet, quos
cum iis mittebat. Ipse luce prima copias omnes pe-
ditum equitumque in aciem eduxit. Paullo post et ab
Hannibale signum pugnae propositum est, clamorque in
castris ad arma discurrentium est sublatus. Inde eques
pedesque certatim portis ruere, ac palati per campum pro-
perare ad hostes. Quos ubi effusos consul videt, tribuno
militum tertiae legionis C. Aurunculeio imperat, ut equites
legionis, quanto maximo impetu possit, in hostem emittat:
1 ita pecorum modo incompósitos toto passim campo se fu-
2 disse, ut sterni obterique, priusquam instruantur, possint.
Nondum Hannibal e castris exierat, quum pugnantium 42.
clamorem audivit. Itaque, excitus tumultu, raptim ad Pugna
committi-
tur.
hostem copias agit. Iam primos occupaverat equester
terror. Peditum etiam prima legio et dextra ala proelium
inibant. Incompósitos hostes, ut quemque aut pediti, aut
equiti casus obtulit, ita conserunt manus. Crescit pugna

8 *Quingenti passus intererant*] Vallum Poenorum Romanis ex inter-
tervallo spectantibus videbatur prope
iniunctum moenibus Grumentum. Re-
vera quingenti passus intererant. CR.

9 *Ingenio hostis usus*] Ingenium hostis imitatus, et adversus Poenum
arte Punica utens. CREV.
1 *Se fudisse*] Intelligere, monens.
2 *Sterni obterique*] Obterere pu-
gnantes stratos dicebantur equi sive
elephanti, ut Drak, monet.

U. C. 545. subsidii, et procurentium ad certamen numero augetur :
 A. C. 207. pugnantesque (quod nisi in veteri exercitu, et duci veteri
 haud facile est) inter tumultum ac terrorem instruxisset
 Hannibal, ni cohortium ac manipulorum decurrentium per³
 colles clamor, ab tergo auditus, metum, ne intercluderentur⁴
 a castris, inieciisset. Inde pavor incussus, et fuga passim
 fieri coepta est: minorque caedes fuit, quia propinquitas
 castrorum brevior fugam percussis fecit. Equites enim
 tergo inhacrebant: in transversa latera invaserant cohortes,
 secundis collibus via nuda ac facili decurrentes. Tamen⁵
 supra octo millia hominum occisa: supra septingentos
 capti: signa militaria novem adempta: elephantum etiam,
 quorum nullus usus in repentina ac tumultuaria pugna
 fuerat, quattuor occisi, duo capti. Circa quingentos Ro-
 manorum sociorumque victores ceciderunt. Postero die⁶
 Poenus quievit. Romanus, in aciem copiis eductis, post-
 quam neminem signa contra efferre vidit, spolia legi caeso-
 rum hostium, et suorum corpora collata in unum sepeliri
 iussit. Inde insequentibus continuis diebus aliquot ita in-
 stitit portis, ut prope inferre signa videretur: donec Han-
 nibal tertia vigilia, crebris ignibus tabernaculisque, quae⁷
 pars castrorum ad hostes vergebat, et Numidis paucis, qui
 in vallo portisque se ostenderent, relictis, profectus Apuliam
 petere intendit. Ubi illuxit, successit vallo Romana acies.
 Et Numidae ex composito paullisper in portis se valloque
 ostentare: frustratique aliquamdiu hostes, citatis equis
 agmen suorum assequuntur. Consul, ubi silentium in
 castris, et ne paucos quidem, qui prima luce obambula-
 verant, parte ulla cernebat, duobus equitibus speculatum in
 castra praemissis, postquam satis tuta omnia esse explo-
 ratum est, inferri signa iussit: tantumque ibi moratus, dum
 milites ad praedam discurrunt, receptui deinde cecinit,
 multoque ante noctem copias reduxit. Postero die prima
 luce profectus, magnis itineribus famam et vestigia agminis
 sequens, haud procul Venusia hostem assequitur. Ibi

³ *Ni cohortium ac manipulorum decurrentium*] Emendationem Gronovii *ni ad cohortium ac manipulo- rum decursum* reposuit Bekker.

⁴ *Ne intercluderentur a castris*] Gronovium hic quoque secutus est Bekk., qui *ne intercluderentur castris* scribit. Drakenborchius Livium ali- quando praepositionem omisisse, sae- pius tamen addidisse monet.

⁵ *Secundis collibus*] Per pronos colles: ut dicitur *secundo flumine* de- labi, aut contra, *adversum* subire *mon- tem*. CREV.

⁶ *Sociorumque victores ceciderunt*] Crevierio displicet vox *victores*, ut- pote otiosa, cui vetus lectio *socio- rumque ducenti* potior habetur. Haud seio an hunc locum spectaverit Mu- retus Var. Lect. xvi. 8, ubi pro *victo- res* in veteribus edd. *victos* legi sus- picatur, sed librariorum, qui Romanos ex eo proelio superiores discessisse viderent, ex *victis* fecisse *victores*: quum scribendum esset *victos* id est, *seccentos*.

⁷ *Quae pars*] Nempe ea parte, qua.

quoque tumultuaria pugna fuit. Supra duo millia Poe- U. C. 545.
 norum caesa. Inde nocturnis montanisque itineribus A. C. 207.
 Poenus, ne locum pugnandi daret, Metapontum petiit.
 Hanno inde (is enim praesidio eius loci praefuerat) in
 Bruttios cum paucis ad exercitum novum comparandum
 missus. Hannibal, copiis eius ad suas additis, Venusiam
 retro, quibus venerat itineribus, repetit, atque inde Canu-
 sium procedit. Nunquam Nero vestigiis hostis abstiterat :
 et Q. Fulvium, quum Metapontum ipse proficisceretur, in
 Lucanos, ne regio ea sine praesidio esset, arcessierat.

Inter haec ab Hasdrubale, postquam a Placentiae ob- 43.
 sidione abcessit, quattuor Galli equites, duo Numidae, Interci-
 cum literis ad Hannibalem missi, quum per medios hostes piuntur
 totam ferme longitudinem Italiae emensi essent, dum Me- Hasdruba-
 tapontum cedentem Hannibalem sequuntur, incertis itine- lis literae.
 ribus Tarentum delati, a vagis per agros pabulatoribus Ro-
 manis ad Q. Claudium propraeorem deducuntur. Eum
 primo incertis implicantes responsis, ut metus tormentorum
 admotus fateri vera coegit, edocuerunt, literas se ab Has-
 drubale ad Hannibalem ferre. Cum iis literis, sicut erant,
 signatis, L. Virginio tribuno militum ducendi ad Claudium
 consulem traduntur. Duae simul turmae Samnitium prae-
 sidii causa missae. Qui ubi ad consulem pervenerunt,
 literaeque lectae per interpretem sunt, et ex captivis per-
 cunctatio facta; tum Claudius, non id tempus esse repu-
 blicae ratus, quo consiliis ordinariis provinciae suae quisque
 finibus per exercitus suos cum hoste destinato ab senatu
 bellum gereret, audendum aliquid improvisum, inopinatum,
 quod coeptum non minorem apud cives, quam hostes, ter-
 rorem faceret, perpetratum in magnam laetitiam ex magno
 metu verteret; literis Hasdrubalis Romam ad senatum
 missis, simul et ipse Patres conscriptos, quid pararet,
 edocet, ut, quum in Umbria se occursurum Hasdrubal
 fratri scribat, legionem a Capua Romam arcessant; delec-
 tum Romae habeant; exercitum urbanum ad Narniam
 hosti opponant. Haec senatui scripta. Praemissi item
 per agrum Lavinatensem, Marrucinum, Frentanum, Practu-
 tianum, qua exercitum ducturus erat, ut omnes ex agris
 urbibusque commeatus paratos militi ad vescendum in viam
 deferrent, equos iumentaue alia producerent, ut vehicu-
 lorum fessis copia esset. Ipse de toto exercitu civium so-

8 *Bellum gereret*] Non lieuisse in-
 iussu senatus de provincia exire, et
 exercitum educere, allatis plurimis
 Livii locis docet Duker. cf. supr. x.
 37. Id tamen legibus hoc tempore,
 nondum fuisse prohibitum, quemad-

modum postea factum esse, ut ex
 Cic. in Pison. 21. liquet, idem monet,
 eamque sententiam, provocans ad nos-
 trum infr. xxxvi. 39. confirmat Dra-
 kenb. Rasch.

U. C. 545. ciorumque, quod roboris erat, delegit, sex millia peditum,
A. C. 207. mille equites: pronuntiat, occupare se in Lucanis proximam
urbem Punicumque in ea praesidium velle; ut ad iter parati omnes essent. Profectus nocte flexit in Picenum.

44. Et consul quidem, quantis maximis itineribus poterat, ad collegam ducebat, relicto Q. Catio legato, qui castris praesset. Romae laud minus terroris ac tumultus erat, quam fuerat triennio ante, quum castra Punica obiecta⁹ Romanis moenibus portisque fuerant. Neque satis constabat animis, tam audax iter consulis laudarent vituperarentne. Apparebat (quo nihil iniquius est) ex eventu famam habiturum. ‘Castra prope Hannibalem hostem relicta sine duce cum exercitu, cui detractum foret omne, quod roboris, quod floris fuerit; et consulem in Lucanos ostendisse iter, quum Picenum et Galliam peteret, castra relinquentem nulla alia re tutiora, quam errore hostis, qui ducem inde atque exercitus partem abesse ignoraret. Quid futurum, si id palam fiat? et aut insequi Neronem, cum sex millibus armatorum profectum, Hannibal toto exercitu velit, aut castra invadere, praedae relicta, sine viribus, sine imperio, sine auspicio?’ Veteres eius belli clades, duo consules proximo anno interfecti terrebant. ‘Et ea omnia accidisse, quum unus imperator, unus exercitus hostium in Italia esset: nunc duo bella Punica facta, duos ingentes exercitus, duos prope Hannibales in Italia esse. Quippe et Hasdrubalem, patre eodem Hamilcare genitum, aequae impigrum ducem, per tot in Hispania annos Romano exercitatum bello, gemina victoria insignem, duobus exercitibus cum clarissimis ducibus deletis. Nam itineris quidem celeritate ex Hispania et citatis ad arma Gallicis gentibus multo magis, quam Hannibalem ipsum, gloriari posse. Quippe in iis locis hunc coegisse exercitum, quibus ille maiorem partem militum fame ac frigore, quae miserrima mortis genera sunt, amisisset.’ Adiciebant etiam periti rerum Hispaniae, ‘haud cum ignoto duce C. Nerone congressurum: sed quem in saltu impedito deprehensus forte, haud secus quam puerum, conscribendis fallacibus conditionibus pacis frustratus elusisset.’ Omnia maiora etiam vero praesidia hostium, minora sua, metu interprete, semper in deteriora inclinato, ducebant.

⁹ *Triennio ante*] *Triennio*, si non numerentur extrema; quinquennio, si eorum ratio habeatur. Vulgarem lectionem *biennio* vitium potius esse librariorum credit Crevier. quam Livii in re tam clara tamque recenti incuriam.

¹ *Sed quem in saltu*] De ea re cf. supr. xxvi. 17.

² *Omnia maiora*] Quicquid virium haberent hostes, augebant Romani, metu interprete; quicquid haberent ipsi, minuebant. CREV.

Nero, postquam iam tantum intervalli ab hoste fecerat, U. C. 545.
 ut detegi consilium satis tutum esset, paucis milites allo- A. C. 207.
 quitur. Negat 'ullius consilium imperatoris in speciem 45.
 'audacius, re ipsa tutius fuisse, quam suum. Ad certam Nero mili-
 'eos se victoriam ducere. Quippe ad quod bellum collega teshorta-
 'non ante, quam ad satietatem ipsius peditum atque equi-
 'tum datae ab senatu copiae fuissent maiores instructiores-
 'que, quam si adversus ipsum Hannibalem iret, profectus
 'sit, eo ipsos, quantumcunque virium momentum addi-
 3 'derint, rem omnem inclinatoros. Auditum modo in acie
 '(nam, ne ante audiretur, daturum operam) alterum con-
 'sulem et alterum exercitum advenisse, haud dubiam vi-
 'ctoriam facturum. Famam bellum conficere, et parva
 'momenta in spem metumque impellere animos. Gloriam
 'quidem ex re bene gesta partae fructum prope omnem
 'ipsos laturos. Semper, quod postremum adiectum sit, id
 'rem totam videri traxisse. Cernere ipsos, quo concursu,
 'qua admiratione, quo favore hominum iter suum cele-
 bretur.' Et, hercule, per instructa omnia ordinibus vi-
 rorum mulierumque, undique ex agris effusorum, inter
 vota et preces et laudes ibant: illos praesidia reipublicae,
 vindices urbis Romae imperiique appellabant: in illorum
 armis dextrisque suam liberumque suorum salutem ac liber-
 tatem repositam esse. Deos omnes deasque precabantur,
 4 victoria esset: damnarenturque ipsi votorum, quae pro iis
 suscepissent. Ut, quemadmodum nunc solliciti prosequen-
 rentur eos, ita paucos post dies laeti ovantibus victoria
 obviam irent. Invitare inde pro se quisque, et offerre, et
 fatigare precibus, ut, quae ipsis iumentisque usui essent, ab
 se potissimum sumerent. Benigne omnia cumulata dare.
 Modestia certare milites, ne quid ultra usum necessarium
 5 sumerent: nihil morari, nec ab signis absistere cibum ca-
 pientes: diem ac noctem ire: vix, quod satis ad naturale
 desiderium corporum esset, quieti dare. Et ad collegam
 praemissi erant, qui nuntiarent adventum, percunctarentur-
 que, clam an palam, interdiu an noctu, venire sese vellet,
 iisdem an aliis considerare castris. Nocte clam ingredi
 melius visum est.

6 Tessera per castra ab Livio consule data erat, ut tri- 46.

3 *Auditum modo in acie*] Eadem plane forma orationis, quam supr. 37. exposuimus in voce *nuntiatum*.

4 *Damnarenturque ipsi votorum*] sc. Votorum compotes fierent, ita ut id, quod diis vovissent, persolvere deberent.

5 *Nec ab signis absistere*] cf. Supr.

xxiv. 17.

6 *Tessera per castra*] *Tesseræ* duplices erant. Alterae erant signa nocturnis excubiis data, alterae erant quibus imperator militibus indicabat, quid fieri vellet. De posterioribus hic agitur. DRAK.

U. C. 545. bunum tribunus, centurio centurionem, eques equitem,
A. C. 207. pedes peditem acciperet. Neque enim dilatari castra opus

esse, ne hostis adventum alterius consulis sentiret: et coarctatio plurium in angusto tendentium facilius futura erat, quod Claudianus exercitus nihil ferme, praeter arma, secum in expeditionem tulerat. Ceterum in ipso itinere auctum voluntariis agmen erat; offerentibus sese ultro et veteribus militibus perfunctis iam militia, et iuvenibus, quos certatim nomina dantes, si quorum corporis species roburque virium aptum militiae videbatur, conscripserat. Ad Senam castra alterius consulis erant: et quingentos ferme inde passus

Clam ingreditur castra Li-vii.

Consilium habitum.

Hasdrubal aberat. Itaque quum iam appropinquaret, tectus montibus substitit Nero, ne ante noctem castra ingrederetur. Silentio ingressi, ab sui quisque ordinis hominibus in tentoria abducti, cum summa omnium laetitia hospitaliter excipiuntur. Postero die consilium habitum, cui et L. Porcius Licinus praetor affuit. Castra iuncta consulum castris habebat: et ante adventum eorum, per loca alta ducendo exercitum, quum modo insideret angustos saltus, ut transitum clauderet, modo ab latere aut ab tergo carperet agmen, ludificatus hostem omnibus artibus belli fuerat. Is tum in consilio aderat. Multorum eo inclinabant sententiae, ut, dum fessum via ac vigiliis reficeret militem Nero, simul et ad noscendum hostem paucos sibi

Nero censet statim exeundum in aciem.

sumeret dies, tempus pugnae differretur. Nero non suadere modo, sed summa ope orare institit, 'ne consilium suum, 'quod tutum celeritas fecisset, temerarium morando facerent. Errore, qui non diuturnus futurus esset, velut tor- 7
'pentem Hannibalem, nec castra sua sine duce relicta
'aggredi, nec ad sequendum se iter intendisse. Antequam
'se moveat, deleri exercitum Hasdrubalis posse, redireque
'in Apuliam. Qui prolatando spatium hosti det, eum et
'illa castra prodere Hannibali, et aperire in Galliam iter, 8
'ut per otium, ubi velit, Hasdrubali coniungatur. Ex-
'templo signum dandum, et exeundum in aciem: abuten- 9
'dumque errore hostium absentium praesentiumque; dum
'neque illi sciant cum paucioribus, nec hi cum pluribus et
'validioribus rem esse.' Consilio dimisso, signum pugnae proponitur, confestimque in aciem procedunt.

47. Hasdrubalis prudentia.

Iam hostes ante castra instructi stabant. Moram pugnae attulit, quod Hasdrubal, proventus ante signa cum paucis

7 *Errore, qui non diuturnus . . . esset*] Admiratio movetur Crevierio, quomodo Hannibal eo usque delusus sit, donec Nero victo Hasdrubale in castra sua redierit. Sed haec magis oratorice dicta sunt.

8 *Illa castra*] Castra quae in Apulia sint, relicta a Nerone.

9 *Abutendumque errore*] Verbum *abuti* hic et alibi in bonam partem sumitur.

equitibus, scuta vetera hostium notavit, quae ante non vi- U. C. 545.
 1 derat, et strigosiores equos. Multitudo quoque maior solita A. C. 207.
 visa est. Suspiciatus enim id, quod erat, receptui propere
 cecinit, ac misit ad flumen, unde aquabantur: ubi et ex-
 cipi aliqui possent, et notari oculis, si qui forte adustioris
 coloris, ut ex recenti via, essent; simul circumvchi procul
 castra iubet specularique, num auctum aliqua parte sit val-
 lum: et ut attendant, semel bisne signum canat in castris.
 Ea quum ordine omnia relata essent, castra nihil aucta er-
 rorem faciebant. Bina erant, sicut ante adventum consulis
 alterius fuerant: una M. Livii, altera L. Porcii: neutris
 2 quicquam, quo latius tenderetur, ad munimenta adiectum.
 Illud veterem ducem assuetumque Romano hosti movit,
 quod semel in praetoriis castris signum, bis in consularibus
 referebant cecinisse: duos profecto consules esse; et quo-
 nam modo alter ab Hannibale abcessisset, cura angebat.
 Minime id, quod erat, suspicari poterat, tantae rei frustra-
 tione Hannibalem elusum, ut, ubi dux, ubi exercitus esset,
 3 eum quo castra collata habuerit, ignoraret. Profecto haud
 mediocri clade absteritum insequi non ausum. Magnopere
 vereri, ne perditis rebus seruum ipse auxilium venisset:
 Romanisque eadem iam fortuna in Italia, quae in Hispania,
 esset. Interdum, literas suas ad eum non pervenisse, cre-
 dere: interceptisque iis, consulem ad sese opprimendum
 accelerasse. His anxius curis, exstinctis ignibus, vigilia Noctu
 prima dato signo, ut taciti vasa colligerent, signa ferri ius- castra mo-
 4 sit. In trepidatione et nocturno tumultu duces parum in- vet.
 tente asservati, alter in destinatis iam ante animo latebris
 subsedit, alter per vada nota Metaurum flumen tranavit.
 Ita desertum a ducibus agmen primo per agros palatur;
 fessique aliquot somno ac vigiliis sternunt corpora passim,
 atque infrequentia relinquunt signa. Hasdrubal, dum lux
 viam ostenderet, ripa fluminis signa ferri iubet: et per
 5 tortuosi amnis sinus flexusque errorem volvens haud mul-
 tum processit, ubi prima lux transitum opportunum osten-
 6 disse, transiturus. Sed quum, quantum mare abscedebat,

1 *Strigosiores equos*] sc. Quos ma-
 cies ex itinere attenuaverat. cf. Aul.
 Gell. iv. 20.

2 *Quo latius tenderetur*] Quo la-
 tiora castra fierent. *Tendere* verbum
 proprium est, ubi de castrorum meta-
 tione agitur. CREV.

3 *Cum quo castra collata habuerit*] Haec scriptura est Put. et Victor. co-
 dicum. Rhenanus iusserat legi *habe-
 ret*: eique paruerunt editores: minus
 recte. Etenim hoc tempore quum
 Hasdrubal haec secum volutat, non
 habebat Hannibal castra collata cum

Nerone, aut cum eo exercitu quem
 Nero secum abduxerat. CREV. *Ha-
 beret* in textum recepit Bekker.

4 *Duces parum intente*] Intellige
 binos, quos Hasdrubal habebat, iti-
 neris duces. RASCH.

5 *Errorem volvens*] Poetica fere
 loquendi ratio pro "iter erroribus et
 anfractibus implicitum proseguens."
 cf. Virg. Aen. ix. 391. DOER.

6 *Quantum mare abscedebat*] Nempe
 quo magis mare iis progredienti-
 bus recedebat.

U. C. 545. tanto altioribus coercentibus amnem ripis, non inveniret
 A. C. 207. vada, diem terendo spatium dedit ad insequendum sese
 hosti.

48. Nero primum cum omni equitatu advenit: Porcius de-
 inde assecutus cum levi armatura. Qui quum fessum
 agmen carperent ab omni parte incursarentque, et iam,
 omisso itinere, quod fugae simile erat, castra metari Poenus
 in tumulo super fluminis ripam vellet; advenit Livius pe-
 ditum omnibus copiis, non itineris modo, sed ad conseren-
 dum extemplo proelium instructis armatisque. Sed ubi
 omnes copias coniunxerunt, directaque acies est, Claudius
 dextro in cornu, Livius ab sinistro pugnam instruit: me-
 dia acies praetori tuenda datur. Hasdrubal, omissa muni-
 tione castrorum, postquam pugnandum vidit, in prima acie
 ante signa elephantos collocat. Circa eos laevo in cornu
 adversus Claudium Gallos opponit, haud tantum iis fidens,
 quantum ab hoste timeri eos credebatur. Ipse dextrum cor-
 nu adversus M. Livium sibi atque Hispanis (et ibi maxime
 in vetere milite spem habebat) sumpsit. Ligures in medio
 post elephantos positi; sed longior, quam latior, acies erat.
 Gallos prominens collis tegebat. Ea frons, quam Hispani
 tenebant, cum sinistro Romanorum cornu concurrit. Dex-
 tra omnis acies extra proelium eminens cessabat: collis op-
 positus arcebat, ne aut a fronte, aut ab latere aggrederen-
 tur. Inter Livium Hasdrubalemque ingens contractum
 certamen erat, atroxque caedes utrimque edebatur. Ibi
 duces anibo, ibi pars maior peditum equitumque Roma-
 norum: ibi Hispani, vetus miles peritusque Romanae
 pugnae, et Ligures, durum in armis genus. Eodem versi
 elephantanti, qui primo impetu turbaverant antesignanos, et
 iam signa moverant loco: deinde crescente certamine et
 clamore, impotentius iam regi, et inter duas acies versari,
 velut incerti quorum essent: haud dissimiliter navibus sine
 gubernaculo vagis. Claudius, 'Quid ergo praecipiti cursu
 tam longum iter emensi sumus?' clamitans militibus,
 quum in adversum collem frustra signa erigere conatus es-
 set, postquam ea regione penetrari ad hostem non videbat
 posse; cohortes aliquot subductas e dextro cornu, ubi sta-
 tionem magis segnem, quam pugnam, futuram cernebat,
 post aciem circumducit: et, non hostibus modo, sed etiam
 suis inopinantibus, in sinistram hostium latus incurrit; 7
 tantaque celeritas fuit, ut, quum ostendissent se ab latere,
 mox in terga iam pugnarent. Ita ex omnibus partibus, ab

Assequun-
 tur eum
 Romani.

Instruitur
 utrimque
 acies.

Proelium
 initur.

7 *In sinistram hostium latus*] *Dex-*
trum legendum suadet Perizonius,
 quum Hispani in *dextro* hostium cor-
 nu, instructi essent. Quodsi in si-

nistram hostium latus incurrisse dici-
 tur, non quod Poenis, sed quod Ro-
 manis ad sinistram erat latus, intelli-
 gendum est. RASCH.

fronte, ab latere, ab tergo, trucidantur Hispani Liguresque: U. C. 545.
et ad Gallos iam caedes pervenerat. Ibi minimum certa- A. C. 207.
minis fuit. Nam et pars magna ab signis aberant, nocte
dilapsi, stratique somno passim per agros: et, qui aderant,
itinere ac vigiliis fessi, intolerantissima laboris corpora, vix
arma humeris gestabant. Et iam diei medium erat, sitis-
que et calor hiantes caedendos capiendosque affatim prae-
bebat. Elephanti plures ab ipsis rectoribus, quam ab hoste, 49.
interfecti. Fabrice scalprum cum malleo habebant: id, Elephanti
ubi saevire belluae ac ruere in suos coeperant, magister in- a rectori-
ter aures positum, ipso in articulo, quo imgitur capiti cer- bus Inter-
vix, quanto maximo poterat ictu, adigebat. Ea celerissima fecti.
8 via mortis in tantae molis bellua inventa erat, ubi regendi
spem vicissent: primusque id Hasdrubal instituerat, dux
quum saepe alias memorabilis, tum illa praecipue pugna.
Ille pugnantes hortando, pariterque obeundo pericula, sus-
tinuit: ille fessos abnuentesque taedio et labore, nunc pre-
cando, nunc castigando, accendit: ille fugientes revocavit,
omissamque pugnam aliquot locis restituit. Postremo, Egredie
quum haud dubie fortuna hostium esset, ne superesset pugnans
tanto exercitui suum nomen secuto, concitato equo se in cadit.
cohortem Romanam immisit. Ibi, ut patre Hamilcare et
Hannibale fratre dignum erat, pugnans cecidit.

Nunquam eo bello una acie tantum hostium interfectum
est, redditaque aequa Cannensi clades, vel ducis, vel exer-
9 citus interitu, videbatur. Quinquaginta sex millia hostium 56000. e
occisa: capta quinque millia et quadringenti: praeda alia Poenis
magna tum omnis generis, tum auri etiam argentique. occisi.
Civium etiam Romanorum, qui capti apud hostes erant, supra
tria millia capitum recepta. Id solatii fuit pro amissis eo
proelio militibus. Nam haudquaquam incruenta victoria Romano-
fuit: octo ferme millia Romanorum sociorumque occisa. rum 8000.
Adeoque etiam victores sanguinis caedisque ceperat satie-
1 tas, ut postero die, quum esset nuntiatum Livio consuli,
Gallos Cisalpinos Liguresque, qui aut proelio non affuis-
sent, aut inter caedem effugissent, uno agmine abire sine
certo duce, sine signis, sine ordine ullo, aut imperio;
2 posse, si una equitum ala mittatur, omnes deleri; ‘Super-

8 *Ubi regendi spem vicissent*] sc. Elusissent et admississent, ita ut rector de spe regendi quasi victus decederet. RASCH.

9 *Sex millia hostium occisa*] cf. Polyb. xi. 3, qui decem tantum hostium millia, duo Romanorum occisa tradit.

1 *Ut postero die . . . Supersint, inquit*] Particula ut postulare verbum

subiunctivi, ut vocant, modi, quale esset *dixerit, responderit*. At propter interpositam longam periodum, eius rationem non habuit Livius. Simile fere exemplum reperies apud Cic. de Or. ii. 23. CREV.

2 *Una equitum ala*] Ala equitum Romanorum decem turmas habebat; turma, triginta fere homines. CREV.

U. C. 545. 'sint,' inquit, 'aliqui nuntii, et hostium cladis, et nostrae
A. C. 207. 'virtutis.'

50.

Nero ad
exercitum
redit.

Nero ea nocte, quae secuta est pugnam, citatiore, quam inde venerat, agmine, die sexto ad stativa sua, atque ad hostem pervenit. Iter eius frequentia minore, quia nemo praecesserat nuntius, laetitia vero tanta, vix ut compotes mentium prae gaudio essent, celebratum est. Nam Romae neuter animi habitus satis dici enarrarique potest; nec quo incerta exspectatione eventus civitas fuerat, nec quo victoriae famam acceperat. Nunquam per omnes dies, ex quo Claudium consulem profectum fama attulit, ab orto sole ad occidentem, aut senator quisquam a curia atque ab magistratibus abcessit, aut populus e foro. Matronae, quia nihil in ipsis opis erat, in preces obtestationesque versae, per omnia delubra vagae supplicii votisque fatigare deos. Tam sollicitae ac suspensae civitati fama incerta primo accidit, duos Narnienses equites in castra, quae in faucibus Umbriae opposita erant, venisse ex proelio, nuntiantes caesos hostes. Et primo magis auribus, quam animis, id acceptum erat, ut maius laetiusque, quam quod mente capere, aut satis credere possent: et ipsa celeritas fidem impediabat, quod biduo ante pugnatum dicebatur. Literae deinde ab L. Manlio Acidino missae ex castris afferuntur de Narniensium equitum adventu. Eae literae, per forum ad tribunal praetoris latae, senatum curia exciverunt: tantoque 3 certamine ac tumultu populi ad fores curiae concursus est, ut adire nuntius non posset, trahereturque a percunctantibus vociferantibusque, ut in Rostris prius, quam in senatu, literae recitarentur. Tandem summoti et coerciti a magistratibus: dispensarique laetitia inter impotentes eius 4 animos potuit. In senatu primum, deinde in concione, literae recitatae sunt: et, pro cuiusque ingenio, aliis iam certum gaudium, aliis nulla ante futura fides erat, quam legatos consulumve literas audissent. Ipsos deinde appropinquare legatos allatum est. Tum enimvero omnis aetas currere obvii, primus quisque oculis auribusque haurire tantum gaudium cupientes. Ad Mulvium usque pontem continens agmen pervenit. Legati (erant L. Veturius Philo, P. Licinius Varus, Q. Caccilius Metellus) circumfusi omnis generis hominum frequentia in forum pervenerunt; quum alii ipsos, alii comites eorum, quae acta essent, percunctarentur, et ut quisque audierat, exercitum

51.

Gaudium
Romanorum.

3 *Senatum curia exciverunt*] Senatores ad primum nuntium allatarum literarum, e curia ad tribunal praetoris concurrerunt. Sed statim intelligendi sunt rediisse in curiam,

ut ibi literae legerentur. CREV.

4 *Dispensarique laetitia*] Nempe secundum modum et ordinem quendam communicari. DOER.

hostium imperatoremque occisum, legiones Romanas inco- U. C. 545.
lumes, salvos consules esse, extemplo aliis porro impertic- A. C. 207.
bant gaudium summum. Quum aegre in curiam perventum
esset, multo aegrius summoti turba, ne Patribus miscere-
5 tur, literae in senatu recitatae sunt. Inde producti in con-
cionem legati. L. Veturius, literis recitatis, ipse planius
omnia, quae acta erant, exposuit cum ingenti assensu,
postremo etiam clamore universae concionis, quum vix
gaudium animis caperent. Discursum inde ab aliis circa
templa deum, ut grates agerent; ab aliis domos, ut coniu-
gibus liberisque tam lactum nuntium impertirent. Sena-
tus, quod M. Livius et C. Claudius consules, incolumi ex-
creitu, ducem hostium legionesque occidissent, supplica-
tionem in triduum decrevit. Eam supplicationem C. Hos-
tilius praetor pro concione edixit, celebrataque a viris fe-
minisque est. Omnia templa per totum triduum aequa-
lem turbam habuere: quum matronae amplissima veste
cum liberis, perinde ac si debellatum foret, omni solutae
6 metu, deis immortalibus grates agerent. Statum quoque
civitatis ea victoria movit: ut iam inde, haud secus quam
in pace, res inter se contrahere, vendendo, emendo, mu-
tuum dando, argentum creditum solvendo, auderent.

C. Claudius consul quum in castra redisset, caput Has- Caput
drubalis, quod servatum cum cura attulerat, proici ante Hasdruba-
hostium stationes, captivosque Afros vinctos, ut erant, lis proie-
ostendi, duos etiam ex iis solutos ire ad Hannibalem, et ctum ante
expromere, quae acta essent, iussit. Hannibal, tanto si- castra
mul publico familiarique ictus luctu, ‘agnoscere se fortu- Hanniba-
lis.
‘nam Carthaginis,’ fertur dixisse: castrisque inde motis, Hannibal
ut omnia auxilia, quae diffusa latius tueri non poterat, in in extre-
extremum Italiae angulum Bruttios contraheret, et Meta- mam Ita-
pontinos, civitatem universam, excitos sedibus suis, et Lu- liam rece-
canorum qui suae ditionis erant, in Bruttium agrum tra- dit.
duxit.

§ *Inde producti*] Verbum hic pro-
prium. *Introducebantur* in senatum
a magistratibus legati, *producebantur*
ad populum, sive in concionem. Bene
igitur Sigonius, quum reperisset in
scriptis hoc loco *introduci*, effecit
inde producti. CREV.

6 *Statum quoque civitatis ... movit*]
Mutavit pecuniariae rei statum in ci-
vitate. Hoc eodem anno nummus au-
reus primum Romae percussus est,
ut colligitur ex Plin. II. N. xxxiii. 3.
CREV.

EPITOME LIBRI XXVIII.

RES in Hispania prospere gestae a Silano, Scipionis legato, et ab L. Scipione fratre adversus Poenos, a Sulpicio proconsule et ab Attalo rege Asiae adversus Philippum regem Macedonum, pro Aetolis, referuntur. Quum M. Livio et Claudio Neroni consulibus triumphus decretus esset, Livius, qui in provincia sua rem gesserat, quadrigis invectus est; Nero, qui in collegae provinciam, ut victoriam eius adiuvaret, venerat, equo est secutus, et in hoc habitu plus gloriae reverentiaeque, habuit: nam et plus in bello, quam collega, fecerat. Ignis in aede Vestae negligentia virginis, quae non custodierat, extinctus est: virgo caesa est flagro. P. Scipio in Hispania cum Poenis debellavit quarto decimo anno eius belli, quinto post anno, quam ierat: exclusisque in totum possessione eius hostibus, Hispaniam recepit: et a Turracone in Africam ad Syphacem regem Numidarum duobus navigiis transvectus, foedus iunxit. Hasdrubal Gisgonis ibi cum eo in eodem lecto accubuit. Manus gladiatorium in honorem patris patruique Carthagine Nova elidit, non ex gladiatoribus, sed ex iis, qui aut in honorem ducis, aut ex provocatione in certamen descendebant: in quo reguli fratres de regno ferro contendebant. Quum Astapa urbs ab Romanis oppugnaretur, oppidani liberos et coniuges rogo exstructo occiderunt, et se insuper praecipitaverunt. Ipse Scipio, dum gravi morbo implicitus est, seditionem, in parte exercitus motam, confirmatus discutit, rebellantesque Hispaniae populos coegit in deditionem venire; et, amicitia facta cum Masinissa rege Numidarum, qui illi auxilium, si in Africam traiecisset, pollicebatur, cum Gadtanis quoque post discessum inde Magonis, cui ex Carthagine scriptum erat, ut in Italiam traiceret, Romam reversus consulque creatus. Africam provinciam petenti, contradicente Q. Fabio Maximo, Sicilia data est: permissumque, in Africam traiceret, si ex republica esse censeret. Mago, Hamilcaris filius, a minore Baliari insula, ubi hiemarat, in Italiam traiecit.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXVIII.

QUUM transitu Hasdrubalis, quantum in Italiam decli- U. C. 545.
 naverat belli, tantum levatae Hispaniae viderentur; A. C. 207.
 renatum ibi subito par priori bellum est. Hispanias ca- Res Hispan-
 tempestate sic habebant Romani Poenique. Hasdrubal, niae.
 Gisgonis filius, ad Oceanum penitus Gadesque concesserat.
 Nostri maris ora omnisque ferme Hispania, qua in orientem
 vergit, Scipionis ac Romanae ditionis erat. Novus impe-
 rator Hanno, in locum Barcini Hasdrubalis novo cum ex-
 ercitu ex Africa transgressus, Magonique iunctus, quum in
 1 Celtiberia, quae media inter duo maria est, brevi magnum
 hominum numerum armasset; Scipio adversus eum M. Si- Contra
 lanum cum decem haud plus millibus militum, equitibus hostes mit-
 quingentis, misit. Silanus, quantis maximis potuit itineri- tit Silanum
 bus, (impediebant autem et asperitates viarum, et angustiae Scipio.
 saltibus crebris, ut pleraque Hispaniae sunt, inclusae) tamen
 non solum nuntios, sed etiam famam adventus sui praegres-
 sus, ducibus indidem ex Celtiberia transfugis, ad hostem
 pervenit. Iisdem auctoribus compertum est, quum decem
 circiter millia ab hoste abessent, bina castra circa viam, qua
 irent, esse: laeva Celtiberos, novum exercitum, supra
 2 novem millia hominum, dextra Punica tenere castra. Haec Castra Cel-
 stationibus, vigiliis, omni iusta militari custodia tuta et tiberorum
 firma esse: illa altera soluta neglectaque, ut barbarorum et Poeno-
 et tironum, et minus timentium, quod in sua terra essent. rum.
 Ea prius aggredienda ratus Silanus, signa quam maxime ad
 laevam iubebat ferri, necunde ab stationibus Punicis con-
 spiceretur. Ipse, praemisissis speculatoribus, citato agmine
 ad hostem pergit. Tria millia ferme aberat, quum haud- 2.
 3 dum quisquam hostium senserat. Confragosa loca et obsiti
 virgultis tegebant colles. Ibi in cava valle, atque ob id

1 *Inter duo maria*] sc. Ibericum et Cantabricum.

2 *Punica tenere castra*] Apud nostrum interdum *tenere* absolute

ponitur pro *tenere locum*. cf. infr. xxxii. 5. CREV.

3 *Obsiti virgultis tegebant colles*] Tegebant pro vulg. tenebant Krey-

U. C. 545. occulta, considerare militem, et cibum capere iubet. Interim
A. C. 207. speculatores, transfugarum dicta affirmantes, venerunt.

Proelium.

Vincunt
Romani.

Tum, sarcinis in medium coniectis, arma Romani capiunt, acieque iusta in pugnam vadunt. Mille passuum aberant, quum ab hoste conspecti sunt, trepidarique repente coeptum. Et Mago ex castris citato equo ad primum clamorem et tumultum advehitur. Erant autem in Celtibero exercitu quattuor millia scutorum et ducenti equites; hanc iustam legionem (et id ferme roboris erat) in prima acie locat: ceteros, levem armaturam, in subsidiis posuit. Quum ita instructos educeret castris, vixdum in egressos vallo Romani pila coniecerunt. Subsident Hispani adversus emissam tela ab hoste, inde ad mittenda ipsi consurgunt; quae quum Romani conferti, ut solent, densatis exceperant scutis, tum pes cum pede collatus, et gladiis geri res coepta est. Ceterum asperitas locorum et Celtiberis, quibus in proelio concursare mos est, velocitatem inutilem faciebat; et haud iniqua eadem erat Romanis stabili pugnae assuetis; nisi quod angustiae et internata virgulta ordines dirimebant, et singuli binique, velut cum paribus, conserere pugnam cogebantur. Quod ad fugam impedimento hostibus erat, id ad caedem eos, velut victos, praebat. Et iam, ferme omnibus scutatis Celtiberorum interfectis, levis armatura et Carthaginenses, qui ex alteris castris subsidio venerant, percussi caedebantur. Duo haud amplius millia peditum et equitatus omnis, vix inito proelio, cum Magone effugerunt. Hanno, alter imperator, cum iis, qui postremi, iam profligato proelio, advenerant, vivus capitur. Magonem fugientem equitatus ferme omnis, et quod veterum peditum erat, secuti, decimo die in Gaditanam provinciam ad Hasdrubalem pervenerunt. Celtiberi, novus miles, in proximas dilapsi silvas, inde domos diffugerunt.

In Baeticam it Scipio.

Peroportuna victoria nequaquam tantum iam conflatum bellum, quanta futuri materia belli (si licuisset iis, Celtiberorum gente excita, et alios ad arma sollicitare populos) oppressa erat. Itaque collaudato benigne Silano, Scipio spem debellandi, si nihil eam ipse cunctando moratus esset, nactus, ad id, quod reliquum belli erat, in ultimam Hispaniam adversus Hasdrubalem pergit. Poenus, quum castra tum forte ad sociorum animos in Baetica continendos in fide haberet, signis repente sublati, fugae magis, quam

sigius emendavit, neque infelicer, quippe sive *obsita* cum Drakenborchio, seu *obsiti* cum Crevierio legas, vetus scriptura *tenebant*, sc. regionem, loco parum apte convenit.

4 *Materia belli*] sc. Materia, unde

procul dubio bellum maioris molis exarsisset, si licuisset eis . . .

5 *Poenus, quum . . . forte*] Quum forte Hasdrubal castra in Baetica haberet ad continendos in fide sociorum animos. CREV.

itineris modo, penitus ad Oceanum et Gades ducit. Ce- U. C. 545.
6 terum, quoad continuisset exercitum, propositum bello se A. C. 207. fore ratus, antequam freto Gades traiceret, exercitum omnem passim in civitates divisit, ut et muris se ipsi, et armis muros tutarentur. Scipio ubi animadvertit, dissipatum passim bellum, et circumferre ad singulas urbes arma diutini magis, quam magni, esse operis, retro vertit iter. Ne tamen hostibus eam relinqueret regionem, L. Scipionem fratrem cum decem millibus peditum, et mille equitum ad oppugnandam opulentissimam in iis locis urbem, 3. Regredi-
tetur, relicto
ibi fratre. (Oringin barbari appellabant) mittit. Sita in Melessum finibus est Hispanae gentis. Ager frugifer: argentum etiam incolae fodiunt. Ea arx fuit Hasdrubali ad excursions circa in mediterraneos populos faciendas. Scipio, castris prope urbem positis, priusquam circumvallaret urbem, misit ad portas, qui ex propinquo alloquio animos tentarent, suaderentque, ut amicitiam potius, quam vim, experirentur Romanorum. Ubi nihil pacati respondebatur, fossa duplicique vallo circumdata urbe, in tres partes exercitum dividit: ut una semper pars, quietis interim duabus, oppugnaret. Prima pars quum adorta oppugnare est, atrox sane et anceps proelium fuit: non subire, non scalas ferre ad muros prae incidentibus telis facile erat. 9 Et iam, qui exererant ad murum scalas, alii furcis ad id ipsum factis detrudebantur, in alios lupi superne ferrei iniecti, ut in periculo essent, ne suspensi in murum extraherentur. Quod ubi animadvertit Scipio, nimia paucitate suorum exaequatum certamen esse, et iam eo superare hostem, quod ex muro pugnaret; duabus simul partibus, prima recepta, urbem est aggressus. Quae res tantum pavoris iniecit fessis iam cum primis pugnando, ut et oppidani moenia repentina fuga desererent: et Punicum praesidium metu, ne prodita urbs esset, relictis stationibus in unum se colligeret. Timor inde oppidanos incescit, ne, si hostis urbem intrasset, sine discrimine, Poenus an Hispanus esset, obvii passim caederentur. Itaque, patefacta repente porta,

6 *Propositum bello*] *Propositum* instar scopi, quem non desinat petere Scipio. GRONOV.

7 *Oringin*] Haec urbs videtur eadem esse quae supr. xxiv. 42. dicta est *Aurinx*, imo idem nomen diversimode scriptum. Non procul afuisse eam a Munda, patet ex loco Livii modo memorato. CREV.

8 *Melessum*] Hoc nomen variat in scriptis. Gronovius, monente Rubenio, legi posse putat *Massiensium*. *Massia* apud Stephanum regio est ad

Tartessos pertinens. CREV.

9 *Alii furcis*] De hoc instrumento bellico ad repellendos eos adhibito, qui urbium muros per scalas transcurrere erant, cf. Lips. Poliorc. v. 1. DOER.

1 *In alios lupi*] *Lupus* instrumentum ferreum in modum forficis dentatum alligatumque funibus, quo aries mordicus, tanquam luporum dentibus, apprehensus avertatur, atque ictus eius eludatur. cf. Lips. Poliorc. v. 8. Turneb. Advers. xi. 28.

U. C. 545. frequentes ex oppido sese eiecerunt, scuta prae se tenentes,
 A. C. 207. ne tela procul conicerentur; dexteras nudas ostendentes, ut
 gladios abiecerint appareret. Id utrum parum ex intervallo
 sit conspectum, an dolus aliquis suspectus fuerit, incom-
 pertum est. Impetus hostilis in transfugas factus: nec
 Oringis a
 L. Scipione
 capta. secus, quam adversa acies, caesi. Eademque porta signa
 infesta in urbem illata: et aliis partibus securibus dolabris-
 que caedebantur et refringebantur portae, et, ut quisque
 intraverat eques, ad forum occupandum (ita enim praecep-
 tum erat) citato equo pergebat. Additum erat et tria-
 riorum equiti praesidium. Legionarii ceteras partes per-
 vadunt: direptione et caede obviorum, nisi qui armis se
 tuebantur, abstinerunt. Carthaginenses omnes in cus-
 todiam dati sunt: oppidanorum quoque trecenti ferme, qui
 clausurant portas. Ceteris traditum oppidum, suae red-
 ditae res. Cecidere in urbis eius oppugnatione hostium
 duo millia ferme: Romanorum haud amplius nonaginta.

4. Laeta et ipsis, qui rem gessere, urbis eius oppugnatio
 fuit, et imperatori ceteroque exercitui; et speciosum ad-
 ventum suum, ingentem turbam captivorum prae se agen-
 tes, fecerunt. Scipio, collaudato fratre, quum, quanto
 poterat verborum honore, Carthagini ab se captae captam
 ab eo Oringin acquasset, quia et hiems instabat, ut nec
 tentare Gades, nec disiectum passim per provinciam exer-
 citum Hasdrubalis consecrari posset, in citeriorem Hispa-
 niam omnes suas copias reduxit: dimissisque in hiberna
 legionibus, L. Scipione fratre Romam misso, et Hannone
 hostium imperatore, ceterisque nobilibus captivis, ipse Tar-
 raconem concessit.

L. Scipio
 redit ad
 fratrem.

Eodem anno classis Romana, cum M. Valerio Laevino
 proconsule ex Sicilia in Africam transmissa, in Uticensi
 Carthaginensi agro late populationes fecit. Extremis
 finibus Carthaginensium circa ipsa moenia Uticae praedae
 actae sunt. Repetentibus Siciliam classis Punica (septua-
 ginta erant longae naves) occurrit. Decem et septem
 naves ex iis captae sunt, quattuor in alto mersae: cetera
 fusa ac fugata classis. Terra marique victor Romanus cum
 magna omnis generis praeda Libyaeum repetit. Toto²
 inde mari pulsus hostium navibus, magni commectus fru-
 menti Romam subvecti.

5. Principio aestatis eius, qua haec sunt gesta, P. Sulpicius
 proconsul et Attalus rex quum Aeginae, sicut ante dictum
 est, hibernassent, Lemnum inde, classe iuncta, Romanae

² *Toto inde mari]* *Tuto inde mari* sime in mss. commutantur. cf. supr.
 in edd. principibus scriptum habemus. Voces *tutum* et *totum* saepis-
 xxiv. 32.

quinque et viginti quinqueremes, regiae quinque et tri- U. C. 545.
A. C. 207.
ginta, transmiserunt. Et Philippus, ut, seu terra seu mari
obviam eundum hosti foret, paratus ad omnes conatus esset,
ipse Demetriadem ad mare descendit: Larissam diem ad
conveniendum exercitui edixit. Undique ab sociis lega-
tiones Demetriadem ad famam regis convenerunt. Sus-
tulerant enim animos Aetoli, quum ab Romana societate,
tum post Attali adventum, finitimosque depopulabantur.
Nec Acarnanes solum Boeotique, et qui Euboeam incolunt,
in magno metu erant: sed Aethaci quoque, quos super
Aetolicum bellum Machanidas etiam, Lacedaemonius
tyrannus, haud procul Argivorum sine positis castris, ter-
rebat. Hi omnes suis quisque urbibus, quae pericula terra
marique portendebantur, memorantes, auxilia regem ora-
bant. Ne ex regno quidem ipsius tranquillae nuntiabantur
res: et Scerdilaedum Pleuratiumque motos esse, et Thracum
maxime Maedos, si quod longinquum bellum regem occu-
passet, proxima Macedoniae incursum. Bocoti quidem et
interiores Graeciae populi, Thermopylarum saltum, ubi Philippus
socios hor-
tatur ac
tuetur.
angustae fauces coartant iter, fossa valloque intercludi ab
Aetolis, nuntiabant, ne transitum ad sociorum urbes tuendas
Philippo darent. Vel segnem ducem tot excitare tumultus
circumfusi poterant. Legationes dimittit, pollicitus, prout
tempus ac res se daret, omnibus laturum se auxilium. In
3 praesentia, quae maxime urgebat res, Peparethum prae-
sidium urbi mittit; unde allatum erat, Attalum, ab Lemno
classe transmissa, omnem circa urbem agrum depopulatum.
Polyphantam cum modica manu in Boeotiam, Menippum
4 item quendam ex regiis ducibus cum mille peltastis (pelta
caetrae haud dissimilis est) Chalcidem mittit. Additi
5 quingenti Agrianum, ut omnes insulae partes tueri possent.
Ipse Scotussam est profectus: eodemque ab Larissa Mace-
donum copias traduci iussit. Eo nuntiatum est, concilium
Aetolis Heraclaeam indictum, regemque Attalum, ad con-
sultandum de summa belli, venturum. Hunc conventum
ut turbaret subito adventu, magnis itineribus Heraclaeam

3 *Peparethum praesidium urbi mittit*] Mittit in insulam Peparethum praesidium urbi, quae cognominis erat ipsi insulae. Ceterum locus hic corruptissimus erat. Emendavere Sigon. et Gron. ex Polybio x. 39. CREV.

4 *Pelta caetrae haud dissimilis est*] Clypeoli fuere leves, brevesque. Caetra e corio fere fuit, quod interdum nervis intextebatur; at nihil habebat ligni, neque ferri. Idem et de pelta suspicari licet. Quod ad

formam spectat, plura de pelta habent scriptores, neque tamen quicquam satis certum, quia nempe pro diversis gentibus eius forma variavit. Pelta dicitur *lunata* apud Virgilium. Alii eam rotundam, alii vero quadrangulam fuisse volunt. Caetra magis usi Hispani, et Afri: pelta, Graeci, Macedones, Thraeces. Interdum haec nomina apud scriptores promiscue usurpantur. CREV.

5 *Insulae partes*] Euboeae, cuius urbs Chalcis erat caput. CREV.

U. C. 545. duxit. Et concilio quidem dimisso iam venit: segetibus
 A. C. 207. tamen, quae prope maturitatem erant, maxime in sinu 6
 Aenianum vastatis, Scotussam copias reducit. Ibi exercitu
 omni relicto, cum cohorte regia Demetriadem sese recipit.
 Inde ut ad omnes hostium motus posset occurrere, in Pho-
 cidem, atque Euboeam, et Peparethum mittit, qui loca alta
 eligerent, unde editi ignes apparerent. Ipse in Tisaco
 (mons est in altitudinem ingentem cacuminis editi) spec-
 ulam posuit: ut ignibus procul sublati signum, ubi quid
 molirentur hostes, momento temporis acciperet.

Romanus imperator et Attalus rex a Peparetho Nicaeam
 traiecerunt. Inde classem in Euboeam ad urbem Oreum
 transmittunt: quae ab Demetriaco sinu Chalcidem et Eniri- 7
 pum petenti ad laevam prima urbium Euboeae posita est.
 Ita inter Attalum ac Sulpicium convenit, ut Romani a
 6. mari, regii a terra oppugnarent. Quatriduo post, quam
 appulsa classis est, urbem aggressi sunt. Id tempus oc-
 cultis cum Platore, qui a Philippo praepositus urbi erat,
 colloquiis absumptum est. Duas arces urbs habet, unam
 imminem mari, altera urbis media est. Cuniculo inde 8
 via ad mare ducit, quam a mari turris quinque tabulatorum,
 egregium propugnaculum, clandeabat. Ibi primo atrocis-
 simum contractum est certamen, et turre instructa omni
 genere telorum, et tormentis machinisque ad oppugnandam
 eam ex navibus expositis. Quum omnium animos oculos-
 que id certamen avertisset, porta maritimae arcis Plator
 Romanos accepit, momentoque arx occupata est. Oppidani,
 pulsati inde in mediam urbem, ad alteram tendere arcem.
 Et ibi positi erant, qui fores portae obicerent. Ita exclusi
 in medio caeduntur capiunturque. Macedonum praesidium
 conglobatum sub arcis muro stetit; nec fuga effuse petita,
 nec pertinaciter proelio inito. Eos Plator, venia a Sulpicio
 impetrata, in naves impositos ad Demetrium Phthiotidis
 exposuit: ipse ad Attalum se recepit.

Sulpicius, tam facili ad Oreum successu elatus, Chal-

6 *In sinu Aenianum*] Is est sinus
Maliacus, qui etiam dicitur *Lamiacus*.
 Quod ei nomen hic tribuit Livius, id
 ortum habet ab Aenianum gente vi-
 cina. Ceterum hic legebatur in editis
 vulgo *in sinu Aeniano*. At recte ob-
 servat Gronovius vix Latine dici
 posse *Aenianus sinus*. Unde repo-
 suimus, ut scripti habent, *in sinu Ae-
 nianum*. Sinus autem hic dicitur
 pro terris circa sinum: ut et supr.
 xxvii. 30. CREV.

7 *Demetriaco sinu*] Suspectum
 habet hoc nomen Duker, ut quod

nuspiam alibi memoratum invenerit;
 quod si admittatur, *Maliacum* sinum
 hic intelligi censet. cf. infr. xxxii. 32.
 Ortellius contra sinum *Pagasaeum*
 innui vult, cui licet melius conve-
 niret appellatio *Demetriaci* ab urbe
Demetriadis, quae ad sinum illum
 erat, ducta, cursus tamen quem tenu-
 erant navigantes Attalus et Romani,
 necnon situs Medae, ut Dukero vi-
 detur, hoc satis refellunt.

8 *Altera urbis media est*] Simi-
 liter *medius omnium rex erat* infr.
 xlii. 58. legi animadvertit Drakenb.

eidem inde protinus victrici classe petit: ubi haudquaquam
 9 ad spem eventus respondit. Ex patenti utrinque coactum U. C. 545.
 in angustias mare speciem intuenti primo gemini portus in A. C. 207.
 ora duo versi praeberit: sed haud facile alia infestior classi Chalcidem frustra ten-
 statio est. Nam et venti ab utriusque terrae praecaltis mon- Euripus.
 tibus subiti ac procellosi se deiiciunt, et fretum ipsum Euripi
 non septies die, sicut fama fert, temporibus statis recipro-
 1 cat: sed temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc
 verso mari, velut monte praecipiti devolutus torrens rapitur.
 Ita nec nocte, nec die quies navibus datur. Quum classem
 tam infesta statio accepit, tum et oppidum, alia parte clau-
 sum mari, alia ab terra egregie munitum, praesidioque
 valido firmatum, et praecipue fide praefectorum princi-
 pumque, quae fluxa et vana apud Oreum fuerat, stabile
 atque inexpugnabile fuit. Id prudenter, ut in temere sus-
 cepta re, Romanus fecit, quod, circumspectis difficultatibus,
 ne frustra tempus tereret, celeriter abstinit incepto, classem-
 2 que inde ad Cynum Locridis (emporium id est urbis Opun-
 tiorum mille passuum a mari sitae) traiecit.

Philippum et ignes ab Oreo editi monuerant, sed serius 7.
 Platoris fraude e specula elati: et impari maritimis viribus
 haud facilis erat in insulam classi accessus. Ita res per
 cunctationem omissa. Ad Chalcidis auxilium, ubi signum
 accepit, impigre est motus. Nam et ipsa Chalcis, quan- Chalcidis
 quam eiusdem insulae urbs est, tamen adeo arto interse- situs.
 ditur freto, ut ponte continenti iungatur, terraque aditum
 3 faciliorem, quam mari, habeat. Igitur Philippus, deiecto
 praesidio, fuisque Aetolis, qui saltum Thermopylarum in-
 sidebant, quum ab Demetriade Scotussam, inde de tertia
 vigilia profectus, trepidos hostes Heracleam compulisset,
 4 ipse uno die Phocidis Elatiam millia amplius sexaginta
 contendit. Eodem ferme die ab Attalo rege Opuntiorum
 urbs capta diripiebatur. Concesserat eam praedam regi Opuntio-
 rum urbs
 Sulpicii, quia Oreum paucos ante dies ab Romano milite, capta ab
 Attalo.
 expertibus regiis, direptum fuerat. Quum Romana classis
 eo se recepisset, Attalus, ignarus adventus Philippi, pe-
 cuniis a principibus exigendis terebat tempus. Adeoque

9 *Ex patenti utrinque coactum in angustias mare*] Mare, quod utrinque, ad dextram et ad sinistram, patens et apertum est, eo loco coactum in angustias, speciem gemini portus gemino aditu patenti primo aspectu intuentibus praebebat.

1 *In modum venti*] Quemadmodum ventus temere, neque statis recurrens vicibus, flatus immittat vel reprimit.

2 *Mille passuum*] Wesselingius.

ut numerus passuum cum eo, qui apud Strabonem ix. p. 425. est, magis conveniat, M. P. II. h. e. *duo milia* passuum, legendum vult, quippe Strabo quindecim stadia a mari remotam esse urbem scribit.

3 *Deiecto praesidio . . . insidebant*] Haec verba post *vigilia profectus* inserenda censet Crevierius, ut quae ita magis rationi Geographicae convenirent.

4 *Phocidis*] sc. Urbem.

U. C. 545. improvisa res fuit, ut, nisi Cretensium quidam, forte pabulum ab urbe longius progressi, agmen hostium procul conspexissent, opprimi potuerit. Attalus inermis atque incompositus cursu effuso mare ac naves petit: et molientibus ab terra naves Philippus supervenit, tumultumque etiam ex terra nauticis prae-buit. Inde Opuntem rediit, deos hominesque accusans, quod tantae rei fortunam ex oculis prope raptam amisisset. Opuntii quoque ab eadem ira increpiti, quod, quum trahere obsidionem in adventum suum potuissent, viso statim hoste, prope in voluntariam deditionem concessissent. Compositis circa Opuntem rebus, Toronem est profectus. Et Attalus primo Oreum se recepit. Inde, quum fama accidisset, Prusiam Bithyniae regem in fines regni sui transgressum, omissis rebus atque Aetolico bello, in Asiam traiecit. Et Sulpicius Aeginam classem recepit, unde initio veris profectus erat. Haud maiore certamine, quam Opuntem Attalus ceperat, Philippus Toronem cepit. Incolebant urbem eam profugii ab Thebis Phthioticis. Urbe sua capta a Philippo, quum in fidem Aetolorum perfugissent, sedem iis Aetoli eam derant, urbis vastatae ac desertae priore eiusdem Philippi bello. Tum ab Torone, sicut paullo ante dictum est, recepta profectus, Tritonon et Drymas, Doridis parva atque ignobilia oppida, cepit. Inde Elatiam, iussis ibi se opperriri Ptolemaei Rhodiorumque legatis, venit. Ubi quum de finiando Aetolico bello ageretur, (affuerant enim legati nuper Heraeae concilio Romanorum Aetolorumque) nuntius affertur, Machanidam Olympiorum solenne ludicrum parantes Eleos aggredi statuisse. Praeventendum id ratus, legatis cum benigno responso dimissis, 'se neque causam eius belli fuisse, nec moram (si modo aequa et honesta conditione liceat) paci facturum,' cum expedito agmine profectus per Boeotiam, Megara, atque inde Corinthum descendit. Unde, commeatibus sumptis, Phliunta Pheneumque petit. Et iam, quum Heraeam venisset, audito,

Machanidas representatus.

5 *Toronem est profectus*] Glareanus, Sigonius, Gronovius merito legi iubent *Thronium*, quod oppidum est Locridis haud procul ab Opunte. At Torone ad Toronaeum sinum sita est, Macedoniam versus. Bis et in iis quae sequuntur idem nomen emendandum occurrit. CREV. *Thronium* hic atque infra, ubi *Torone* apud nostrum legitur, in textum reposuit Bekker.

6 *Et Attalus primo Oreum se recepit*] Omnes scripti *Oreum est profectus*. Suspiciatur non improbabili-ter Gronovius, utrumque, sive se

recepit, sive *est profectus*, spurium esse. Et sane quid desideres in hac oratione? *Et Attalus primo Oreum; inde, quum fama accidisset . . . in Asiam traiecit*. CREV. Voces *se recepit* delevit Bekker.

7 *Thebis Phthioticis*] Novem sunt oppida, quibus nomen Thebarum olim tributum est. RHENANUS. cf. infr. xxxiii. 5.

8 *Sedem iis*] Nempe urbis.

9 *Affuerant enim legati*] sc. Ptolemaei et Rhodiorum, qui concilio Romanorum Aetolorumque Heraeae habito affuerant.

Machanidam, fama adventus sui territum, refugisse Lacedaemonem, Aegium se ad concilium Achaeorum recepit: simul classem Punicam, ut mari quoque aliquid posset, accitam, ibi ratus se inventurum. Paucis ante diebus inde Oxeas traiecerant Poeni: inde portus Acarnanum petierant, quum ab Oreo profectum Attalum Romanosque audissent, veriti ne ad se iretur, et intra Rhium (fauces eae sunt Corinthii sinus) opprimerentur.

Philippus maerebat quidem et angebatur, quum ad omnia ipse raptim isset, nulli tamen se rei in tempore occurrisset, et rapientem omnia ex oculis elusisse celeritatem suam fortunam. In concilio autem, dissimulans aegritudinem, elato animo dissernit: testatus deos hominesque, 'se nullo loco, nec tempore defuisse, quin, ubi hostium arma concrepuissent, eo, quanta maxima posset celeritate, tenderet: sed vix rationem iniri posse, utrum ab se audacius, an fugacius ab hostibus geratur bellum. Sic ab Opunte Attalum, sic Sulpicium a Chalcide, sic iis ipsis diebus Machanidam e manibus suis elapsam. Sed non semper felicem esse fugam: nec pro difficili id bellum habendum, in quo, si modo congressus cum hostibus sis, viceris. Quod primum esset, confessionem se hostium habere, nequaquam pares esse sibi: brevi et victoriam hand dubiam habiturum, nec meliore eventu eos secum, quam spe, pugnatuuros.' Laeti regem socii audierunt. Reddidit inde Achaeis Heracam et Triphyliam. Aliphe-
ram autem Megalopolitis, quod suorum fuisse finium satis probabant, restituit. Inde, navibus acceptis ab Achaeis, (erant autem tres quadriremes et biremes totidem) Anticyram traiecit. Inde quinquere-
mibus septem, et lembis viginti amplius, quos, ut adiungeret Carthaginensium classi, miserat in Corinthium sinum, profectus ad Erythras Aetolorum, quae prope Eupalium sunt, exscensionem fecit. Haud fefellit Aetolos: nam, hominum quod aut in agris, aut in propinquis castellis Potidaniae atque Apolloniae fuit, in silvas montesque refugit. Pecora, quae inter festinationem abigi nequierant, sunt direpta et in naves compulsa. Cum his ceteraque praeda, Nicia praetore Achaeorum Aegium misso, quum Corinthum petisset, pedestres inde copias per Boeotiam terra duci iussit. Ipse, ab Cenchreis praeter terram Atticam super Sunium navigans, in-

Philippi
oratio in
concilio
Achaeo-
rum.

Classe in
Aetoliam
contendit.

1 *Inde Oxeas*] Ita Drakenborchius, coniecturam Crevierii secutus, legendum suadet pro vulgari in *Pho-
ceas*. *Oxeas* ex *Echinadarum* numero insulas fuisse auctor est Strabo viii. p. 351. Verum in *Echinadas* ex emendatione Gronovii, quae lon-

gius a vulgata lectione abit, reposuit Bekker.

2 *Quod suorum fuisse finium*] Vocem quod Gronovio displicet, ut cui pronomen esse videatur, sed Perizonius et Douiatius particulam causalem esse volunt.

U. C. 545. ter medias prope hostium classes, Chalcidem pervenit.
 A. C. 207. Inde, collaudata fide ac virtute, quod neque timor, neque spes flexissent eorum animos; hortatusque in posterum, ut eadem constantia permanerent in societate, si suam, quam Oritanorum atque Opuntiorum, fortunam mallent; ab Chalcide Oreum navigat, principumque iis, qui fugere capta urbe, quam se Romanis tradere, maluerant, summa rerum et custodia urbis permissa, ipse Demetriadeni ab Euboea, unde primo ad opem ferendam sociis profectus erat, traiecit. Cassandreae deinde centum navium longarum carinis positis, contractaque ad effectum eius operis 3 multitudinem fabrorum navalium, quia res in Graecia tranquillitas et profectio Attali fecerat, et in tempore laborantibus sociis latum ab se auxilium, retro in regnum concessit, ut Dardanis bellum inferret.

In regnum redit.

9.

Ambo Coss. veniunt Romanam.

Extremo aetatis eius, qua haec in Graecia gesta sunt, quum Q. Fabius Maximus filius legatus ab M. Livio consule Romam ad senatum nuntiasset, consulem satis praesidii Galliae provinciae credere L. Porcium cum suis legionibus esse: decedere se inde, ac deduci exercitum consularem posse; Patres non M. Livium tantum redire ad urbem, sed collegam quoque eius C. Claudium iusserunt. Id modo in decreto interfuit, quod M. Livii exercitum reduci, Neronis legiones Hannibali oppositas manere in provincia iusserunt. Inter consules ita per literas convenit, ut, quemadmodum uno animo rempublicam gessissent, ita, quanquam ex diversis regionibus convenirent, uno tempore ad urbem accederent. Praeneste qui prior venisset, collegam ibi opperiri iussus. Forte ita evenit, ut eodem die ambo Praeneste venirent. Inde praemisso edicto, ut triduo post frequens senatus ad aedem Bellonae adesset, omni multitudo obviam effusa, ad urbem accessere. Non salutabant modo universi circumfusi, sed, contingere pro se quisque victrices dextras consulum cupientes, alii gratulabantur, alii gratias agebant, quod eorum opera incolumis respublica esset. In senatu quum more omnium imperatorum, expositis rebus ab se gestis, postulassent, 'ut, pro republica fortiter feliciterque administrata, et diis immortalibus haberetur honos, et ipsis triumphantibus urbem inire liceret; Se vero ea, quae postularent, decernere,' Patres, 'merito deorum pri-

3 *Carinis positis*] Suscipiebat nimirum aedificandas centum naves longas, sive bellicas. A carina enim necessario sumitur initium struendae navis. CREV.

4 *Fortiter feliciterque*] *Felicitas* eorum est quorum auspicio et ductu,

fides eorum quorum opera res geritur. Hinc consules dicunt a se *fortiter feliciterque* administratam esse rempublicam: at in fine huius ipsius capitis commemorant, quam *forti fidelique* duorum legatorum opera usi essent.

‘mun, dein, secundum deos, consulum,’ responderunt; et U. C. 545.
 supplicatione amborum nomine, et triumpho utrique de- A. C. 207.
 creto, inter ipsos, ne, quum bellum communi animo gessis- Consulum
 5 sent, triumphum separarent, ita convenit: ‘ut, quoniam et triumphus.
 ‘in provincia M. Livii res gesta esset, et eo die, quo pu-
 ‘gnatum foret, eius forte auspiciu fuisset, et exercitus
 ‘Livianus deductus Romam venisset, Neronis deduci non
 ‘potuisset de provincia, ut M. Livium, quadrigis urbem
 ‘incuntem, milites sequerentur; C. Claudius equo sine
 ‘militibus inveheretur.’ Ita consociatus triumphus, quum
 utrique, tum magis ei, qui, quantum merito anteibat, tan-
 6 tum honore collegae cesserat, gloriam auxit: ‘illum equi-
 ‘tem,’ aiebant, ‘sex dierum spatio transcurrisse longitudi-
 ‘nem Italiae: et eo die cum Hasdrubale in Gallia signis
 ‘collatis pugnasse, quo cum castra adversus sese in Apulia
 ‘posita habere Hannibal credidisset. Ita unum consulem
 ‘pro utraque parte Italiae adversos duos duces, duos impe-
 ‘ratores, hinc consilium suum, hinc corpus opposuisse.
 ‘Nomen Neronis satis fuisse ad continendum castris Han-
 ‘nibalem: Hasdrubalem vero, qua alia re, quam adventu
 ‘eius, obrutum atque extinctum esse? Itaque iret alter
 ‘consul sublimis curru multiugis, si vellet, equis. Uno
 ‘equo per urbem verum triumphum vehi: Neronemque,
 ‘etiam si pedes incedat, vel parta eo bello, vel spreta eo
 ‘triumpho gloria, memorabilem fore.’ Hi sermones spe-
 ctantium Neronem usque in Capitolium prosecuti sunt.
 7 Pecuniam in aerarium tulerunt sestertium tricies, octoginta
 millia aeris. Militibus M. Livius quinquagenos senos asses
 divisit. Tantiudem C. Claudius absentibus militibus suis
 est pollicitus, quum ad exercitum redisset. Notatum, eo
 die plura carmina militaribus iocis in C. Claudium, quam
 in consulem suum, iactata. Equites L. Veturium et Q.
 Caecilium legatos magnis tulisse laudibus, hortatosque esse
 plebem, ut eos consules in proximum annum crearent: ad-

5 *Ut, quoniam . . . ut M. Livium*] Redundat particula *ut*, at non ideo delenda. Simile exemplum observavimus supr. xxii. 1. et reperiemus quoque infr. xxxvi. 1. et 3. CREV. Hanc particulam *ut*, post quaedam interposita repetitam, maximeque in formulis sollemnibus geminatam, Livio esse familiarissimum docent Gronov. et Drakenb.

6 *Illum equitem*] Neronem, qui equo velatur, dum collega eius curru sublimis incedit. CREV.

7 *Sestertium tricies*] Haec forent minus centum viginti sex talenta, at

Polybius ix. 3. plus trecenta, quae plus septagies bis sestertium efficerent, in aerarium illata esse scribit. Unde suspicatur Gronovius excidisse litteram L, quum notatum foret LXXX, quod est *octogies*, ea enim talenta paullo amplius trecenta triginta essent. Perizonius in hoc triumpho primum a Livio *sestertios* memorari animadvertit, in eoque multam maiorem argenti, quam aeris, summam nominari, eiusque rei causam esse, quod iam tum usus argenti prae aere in commerciis invalescere coeperat.

U. C. 545. iccisse equitum praerogativae auctoritatem consules, po-8
 A. C. 207. stero die in concione, quam forti fidelique duorum praeci-
 pue legatorum opera usi essent, commemorantes.

10. Quum comitorum tempus appeteret, et per dictatorem comitia haberi placuisset, C. Claudius consul M. Livium collegam dictatorem dixit: Livius Q. Caecilium magistrum equitum. A M. Livio dictatore creati consules L. Veturius, Q. Caecilius; is ipse, qui tum erat magister equitum. Inde praetorum comitia habita. Creati C. Servilius, M. Caecilius Metellus, Ti. Claudius Asellus, Q. Mamilius Turinus, qui tum aedilis plebis erat. Comitibus perfectis, dictator, magistratu abdicato, dimissoque exercitu, in Etruriam provinciam ex senatusconsulto est profectus ad quaestiones habendas: qui Etruscorum Umbrorumve populi defectionis ab Romanis ad Hasdrubalem sub adventum eius consilia agitassent, quique eum auxiliis, aut commatu, aut ope aliqua iuissent. Haec eo anno domi militiaeque gesta. Ludi Romani ter toti instaurati ab aedilibus curulibus, Cn. Servilio Caepione, Scr. Cornelio Lentulo. Item ludi plebei semel toti instaurati ab aedilibus plebis, M. Pomponio Mathone, et Q. Mamilio Turino.

U. C. 546. Tertio decimo anno Punici belli, L. Veturio Philone et
 A. C. 206. Q. Caecilio Metello consulibus, Bruttii ambobus, ut cum
 L. Veturio, Hannibale bellum gererent, provincia decreta. Praetores
 Q. Caecilio exinde sortiti sunt: M. Caecilius Metellus urbanam, Q.
 Coss. Mamilius peregrinam, C. Servilius Siciliam, Ti. Claudius
 Provinciae. Sardiniam. Exercitus ita divisi: consulum alteri, quem
 C. Claudius prioris anni consul, alteri, quem Q. Claudius
 propractor (eae binae legiones erant) habuissent exercitum:
 in Etruria duas volonum legiones a C. Terentio prop-
 ractor M. Livius proconsul, cui prorogatum in annum impe-
 rium erat, acciperet. Et Q. Mamilio, ut, collegae iuris-
 dictione tradita, Galliam cum exercitu, cui L. Porcius
 practor praefuerat, obtineret, decretum est: iussusque po-
 pulari agros Gallorum, qui ad Poenos sub adventum Has-
 drubalis defecissent. C. Servilio cum Cannensibus duabus
 legionibus, sicut C. Mamilius tenuerat, Sicilia tuenda data.
 Ex Sardinia vetus exercitus, cui A. Hostilius praefuerat,
 deportatus: novam legionem, quam Ti. Claudius traiceret
 secum, consules conscripserunt. Q. Claudio, ut Tarentum,
 C. Hostilio Tubulo, ut Capuam provinciam haberet, proro-

8 *Equitum praerogativae*] sc. Pri-
 ori equitum sententiae, quae, tan-
 quam praerogativa tribus, populo,
 quosnam consules facere deberet,
 praemonstrabat. cf. supr. xxi. 3.

9 *Cui L. Porcius practor praefuerat*] Imo *practor*, ut constat ex
 xxvii. 35. Ac verisimilius est hoc
 erratum esse librariorum. CREV.

gatum in annum imperium est. M. Valerius proconsul, U. C. 546. qui tuendae circa Siciliam maritimae orae praefuerat, tri- A. C. 206. ginta navibus C. Servilio praebitis, cum cetera omni classe redire ad urbem iussus.

In civitate tanto discrimine belli sollicita, quum omnium 11. secundorum adversorumque causas in deos verterent, multa prodigia nuntiabantur; Tarracinae Iovis aedem, Satrici Matris Matutae de coelo tactam. Satricanos haud minus terrebant in aedem Iovis foribus ipsis duo perlapsi angues. Ab Antio nuntiatum est, cruentas spicas metentibus visas esse. Caere porcus biceps, et agnus mas idemque femina natus erat. Et Albae duo soles visos referebant: et nocte Fregellis lucem obortam. Et bos in agro Romano locutus, et ara Neptuni multo sudore manasse in circo Flaminio dicebatur: et aedes Cereris, Salutis, Quirini de coelo tactae. Prodigia consules hostiis maioribus procurare iussi, et supplicationem unum diem habere. Ea ex senatusconsulto facta. Plus omnibus aut nuntiatis peregre, aut visis domi prodigiis, terruit animos hominum ignis in aede Vestae extinctus: caesaque flagro est Vestalis, cuius custodia noctis eius fuerat, iussu P. Licinii pontificis. Id quamquam, nihil portendentibus deis, ceterum negligentia humana acciderat, tamen et hostiis maioribus procurari, et supplicationem ad Vestae haberi placuit.

Ignis in aede Vestae extinctus.

Priusquam proficiscerentur consules ad bellum, moniti ab senatu sunt, 'ut in agros reducendae plebis curam haberent. Deum benignitate summotum bellum ab urbe Romana et Latio esse, et posse sine metu in agris habitari. Minime convenire, Siciliae, quam Italiae, colendae 1 maiorem curam esse.' Sed res haudquaquam erat populo facilis, et liberis cultoribus bello absumptis, et inopia servitorum, et pecore direpto, villisque dirutis aut incensis. Magna tamen pars auctoritate consulum compulsa in agros remigravit. Moverant autem huiusce rei mentionem Placentinorum et Cremonensium legati, querentes, agrum suum ab accolis Gallis incurari ac vastari, magnamque 2 partem colonorum suorum dilapsam esse, et infrequentes se urbes, agrum vastum ac desertum habere. Mamilio praetori mandatum, ut colonias ab hoste tueretur. Consules ex senatusconsulto edixerunt, ut, qui cives Cremo-

Plebis in agros reducendae cura.

1 *Siciliae, quam Italiae, colendae*] Nimirum Laevinus sedulo operam dederat, ut vastata bellis Sicilia recoleretur, cogerenturque Siculi ad arandum ac serendum animos rursus convertere. cf. supr. xxvi. 41. et

xxvii. 5. Eadem profecto cura debebatur Italiae. CREV.

2 *Et infrequentes*] Cod. Put. et iam infrequentes, quod Bekker. reposuit.

U. C. 546. nenses atque Placentini essent, ante certam diem in colo-
A. C. 206. nias reverterentur.

Coss. in
Bruttios
eunt.

Principio deinde veris et ipsi ad bellum profecti sunt. Q. Caccilius consul exercitum ab C. Nerone, L. Veturius ab Q. Claudio propraetore accepit, novisque militibus, quos ipse conscripserat, supplevit. In Consentinum agrum consules exercitum duxerunt, passimque depopulati, quum agmen iam grave praeda esset, in saltu angusto a Brutiis iaculatoribusque Numidis turbati sunt; ita ut non praeda, sed armati quoque in periculo fuerint. Maior tamen tumultus, quam pugna, fuit: et praemissa praeda, incolumes et legiones in loca tuta evasere. Inde in Lucanos profecti. Ea sine certamine tota gens in ditionem populi Romani rediit.

12.
Laus Han-
nibal.

Cum Hannibale nihil eo anno rei gestum est. Nam neque ipse se obtulit in tam recenti vulnere publico privatoque, neque laceraverunt quietum Romani. Tantam inesse vim, etsi omnia alia circa eum ruerent, in uno illo duce censebant. Ac nescio, an mirabilior adversis, quam³ secundis rebus, fuerit: quippe qui, quum et in hostium terra per annos tredecim, tam procul ab domo, varia fortuna bellum gereret exercitu non suo civili, sed mixto ex colluvione omnium gentium, quibus non lex, non mos, non lingua communis; alius habitus, alia vestis, alia arma, alii ritus, alia sacra, alii prope dei essent; ita quodam uno vinculo copulaverit eos, ut nulla nec inter ipsos, nec adversus ducem seditio exstiterit; quum et pecunia saepe in stipendium, et commeatus in hostium agro deessent: quorum inopia priore Punico bello multa infanda inter duces militesque commissa fuerant. Post Hasdrubalis vero exerci-⁴tum eum duce, in quibus spes omnis reposita victoriae fuerat, deletum, cedendoque in angulum Bruttium cetera Italia concessum, cui non videatur mirabile, nullum motum in castris factum? Nam ad cetera id quoque accesserat, ut ne alendi quidem exercitus, nisi ex Bruttio agro, spes⁵ esset; qui, ut omnis coleretur, exiguus tamen tanto alendo⁵ exercitui erat: tum magnam partem inventutis abstractam a cultu agrorum bellum occupaverat, et mos vitio etiam⁶

³ *Nescio, an mirabilior*] Haec e Polybio xi. 17. deprompta sunt, suppresso pro Livii more auctoris nomine.

⁴ *Post Hasdrubalis . . . exercitum . . . deletum, cedendoque . . . concessum*] Postquam et Hasdrubalis exercitus deletus fuit, et ipse Hannibal cedendo in Bruttium agrum, reliquit Ro-

manis liberam ceterae Italiae possessionem. CREV. *Post concessum* idem est, atque *postquam* cetera Italia concesserat.

⁵ *Ut omnis coleretur*] h. e. Quamvis. cf. supr. xxii. 25.

⁶ *Vitio etiam insitus*] sc. Ingenita pravitate, vitio indolis vel ingenii.

insitus genti per latrocinia militiam exercendi. Nec ab U. C. 546.
 7 domo quicquam mittebatur, de Hispania retinenda sollici- A. C. 206.
 tis, tanquam omnia prospera in Italia essent.

In Hispania res quadam ex parte eandem fortunam, Res Hispaniae.
 quadam longe discrepantem habebant: eandem, quod proelio
 victi Carthaginenses, duce amisso, in ultimam Hispaniae
 oram usque ad Oceanum compulsi erant: discrepantem autem,
 quod Hispania, non quam Italia modo, sed quam ulla pars
 terrarum, bello reparando aptior erat, locorum hominum-
 8 que ingeniiis. Itaque ergo prima Romanis inita provincia-
 9 rum, quae quidem continentis sint, postrema omnium, nos-
 tra demum aetate, ductu auspicioque Augusti Caesaris,
 perdomita est. Ibi tum Hasdrubal Gisgonis, maximus Hasdrubal
 clarissimusque eo bello secundum Barcinos dux, regressus cum Ma-
 ab Gadibus, rebellandi spem adiuvante Magone Hamilcaris gone bel-
 filio, delectibus per ulteriorem Hispaniam habitis, ad quin- lum in-
 quaginta millia peditum et quattuor millia et quingentos staurat.
 equites armavit. De equestribus copiis ferme inter aucto-
 res convenit: peditum septuaginta millia quidam adducta
 1 ad Silpiam urbem scribunt. Ibi super campos patentes
 duo duces Poeni ea mente, ne detrectarent certamen, con-
 sederunt. Scipio, quum ad eum fama tanti comparati ex- 13.
 exercitus perlata esset, neque Romanis legionibus tantae se
 parem fore multitudini ratus, ut non in speciem saltem op- Scipio aux-
 ponerentur barbarorum auxilia, neque in iis tamen tantum ilia ab so-
 virium ponendum, ut mutando fidem, quae cladis causa ciis contra-
 fuisset patri patruoque, magnum momentum facerent, prae- hit.
 misso Silano ad Colcham, duodetriginta oppidis regnantem,
 ut equites peditesque ab eo, quos se per hiemem conscri-
 pturum pollicitus erat, acciperet, ipse ab Tarracone pro-
 fectus, protinus ab sociis, qui accolunt viam, modica con-
 trahendo auxilia, Castulonem pervenit. Eo adducta ab
 Silano auxilia, tria millia peditum et quingenti equites.
 2 Inde ad Bacculam urbem progressus omni exercitu civium,
 sociorum, peditum equitumque quinque et quadraginta
 millibus. Castra ponentes eos Mago et Masinissa cum
 omni equitatu aggressi sunt: turbassentque munientes, ni
 abditi post tumultum, opportune ad id positum, ab Scipione
 equites improviso in effusos incurrissent. Hi promptissi-
 mum quemque, et proxime vallum, atque in ipsos munitores

7 *Sollicitis*] Nempe iis, qui domi
 erant, h. e. Carthaginensibus.

8 *Itaque ergo*] Hae particulae
 saepius a nostro iunguntur, cf. supr.
 i. 25.

9 *Quae quidem continentis sint*] Hoc ait propter Sardiniam et Siciliam,
 quae primae provinciae fuerunt, Vel-

leio auctore et ceteris, sed non sunt
 in continente. SIGON.

1 *Scribunt*] sc. Polybius xi. 18,
 quem noster secutus est.

2 *Progressus omni exercitu*] In-
 telligi praepositionem *cum*, quam
 alibi saepius noster omittit. cf. supr.
 xxii. 9. *gaudentibus profectus*.

U. C. 546. primum invectum, vixdum proelio inito, fuderunt: cum
 A. C. 206. ceteris, qui sub signis atque ordine agminis incesserant, longior et diu ambigua pugna fuit. Sed quum ab stationibus primum expeditae cohortes, deinde ex opere deducti milites, atque arma capere iussi plures et integri fessis subirent, magnumque iam agmen armatorum a castris in proelium rueret, terga haud dubie vertunt Poeni Numidacque. Et primo turmatim abibant, nihil propter pavorem festinationemve confusis ordinibus: dein, postquam acrius ultimis incidebat Romanus, neque sustineri impetus poterat, nihil iam ordinum memores, passim, qua cuique proximum fuit, in fugam effunduntur. Et quanquam eo proelio aliquantum et Romanis aucti et deminuti hostibus animi erant, tamen nunquam aliquot insequentes dies ab excursionibus equitum levisque armaturae cessatum est.

14.

Pro vallo
 ostentatae
 utrinque
 acies.

Ubi satis tentatae per haec levia certamina vires sunt, prior Hasdrubal in aciem copias eduxit: deinde et Romani processere. Sed utraque acies pro vallo stetit instructa: et quum ab neutris pugna coepta esset, iam die ad occasum inclinante, a Poeno prius, deinde ab Romano in castra copiae reductae. Hoc idem per dies aliquot factum. Prior semper Poenus copias castris educebat: prior fessis stando signum receptui dabat. Ab neutra parte procursum, telumve missum, aut vox ulla orta. Mediam aciem hinc Romani, illinc Carthaginienses mixti Afris, cornua socii tenebant: erant autem utrinque Hispani pro cornibus. Ante Punicam aciem elephantum castellorum procul speciem praebebant. Iam hoc in utrisque castris sermonis erat, ita, ut instructi stetissent, pugnatueros. Medias acies Romanum Poenumque, quos inter belli causa esset, pari robore animorum armorumque concursuros. Scipio ubi haec obstinate credita animadvertit, omnia de industria in eum diem, quo pugnaturus erat, mutavit. Tesseram vesperi per castra dedit, ut ante lucem viri equique curati et pransi essent:

Hostes ag-
 greditur
 Scipio.

armatus eques frenatos instratosque teneret equos. Vixdum satis certa luce, equitatum omnem cum levi armatura in stationes Punicas immisit: inde confestim ipse cum gravi agmine legionum procedit, praeter opinionem destinatam suorum hostiumque, Romano milite cornibus firmatis, sociis in mediam aciem acceptis. Hasdrubal, clamore equitum excitatus, ut ex tabernaculo prosiluit, tumul-

3 *Atque arma capere iussi plures et integri fessis subirent*] Revocavi-
 mus verbum *subirent*, quod Grono-
 vius nimium obsecutus aliquot mss.
 auctoritati sustulerat, quum sine eo
 oratio curta et abrupta videatur.

Sensus omnino clarus est. Quumque
 plures iam, iique integri, arma capere
 iussi, succederent in eorum locum,
 qui fessi pugnando erant, CREV. Grono-
 vio auctore Bekker. vocem *subirent*
 delevit.

tumque ante vallum et trepidationem suorum, et procul U. C. 546.
 signa legionum fulgentia, plenosque hostium campos vidit, A. C. 206.
 equitatum omnem extemplo in equites emittit. Ipse cum
 peditum agmine castris egreditur: nec ex ordine solito
 quicquam acie instruenda mutat. Equitum iam diu an-
 ceptus pugna erat: nec ipsa per se decerni poterat, quia
 pulsus (quod prope in vicem fiebat) in aciem peditum tutus
 receptus erat. Sed ubi iam haud plus quingentos passus Equitatus
in subsidiis
locatus.
 acies inter sese aberant, signo receptui dato, Scipio, pate-
 factisque ordinibus, equitatum omnem levemque armatu-
 ram, in medium acceptam divisamque in partes duas, in
 subsidiis post cornua locat. Inde, ubi incipiendae iam
 4 pugnae tempus erat, Hispanos (ea media acies fuit) presso
 gradu incedere iubet. Ipse e dextro cornu (ibi namque
 praeerat) nuntium ad Silanum et Marcium mittit, ut cornu
 5 extenderent in sinistra parte, quemadmodum se tendentem
 6 a dextra vidissent: et cum expeditis peditum equitumque Proelium
initur.
 prius pugnam consererent cum hoste, quam coire inter se
 mediae acies possent. Ita diductis cornibus cum ternis
 peditum cohortibus, ternisque equitum turmis, ad hoc veli-
 tibus, citato gradu in hostem ducebant, sequentibus in obli-
 7 quum aliis. Sinus in medio erat, quia segnius Hispano-
 rum signa incedebant: et iam conflixerant cornua, quum,
 quod roboris in acie hostium erat, Poeni veterani Afrique
 nondum ad teli coniectum venissent, neque in cornua, ut
 adiuvarent pugnantes, discurrere auderent, ne aperirent
 mediam aciem venienti ex adverso hosti. Cornua ancipiti
 proelio urgebantur: eques, levisque armatura, velites, cir-
 cumductis alis in latera incurrebant; cohortes a fronte ur-
 8 gebant, ut abrumperent cornua a cetera acie. Et quum 15.
 ab omni parte haudquaquam par pugna erat, tum quod
 turba Balarium tironumque Hispanorum Romano Latino-
 que militi obiecta erat, et, procedente iam die, vires etiam
 deficere Hasdrubalis exercitum coeperant, oppressos matu-
 tino tumultu coactosque, priusquam cibo corpora firmarent,
 raptim in aciem exire. Ad id sedulo diem extraxerat Sci-
 pio, ut sera pugna esset. Nam ab septima demum hora
 peditum signa cornibus incucurrerunt. Ad medias acies

4 *Presso gradu*] se. Lentiore gradu, quemadmodum *presso pede* incedere dicuntur, qui lentius progrediuntur. Huic *citatus gradus* infr. opponitur.

5 *In sinistra parte*] Ita Rhenanus pro veterum editorum lectione in *sinistram partem*, quam Bekk. reposuit.

6 *A dextra*] Ad dextram reposuit Bekker.

7 *Quia segnius Hispanorum*] *Qua segnius* reposuerunt Crevier. et Bek-

ker., utpote elegantius et codd. Put. et Victor. firmatum.

8 *Et quum ab omni parte*] Et haudquaquam par pugna erat, tum omnibus de causis, tum ideo vel maxime, quod turba incondita Balarium tironumque Hispanorum Romano Latinoque militi obiecta erat, et quod procedente iam die... Ceterum vulgo editi habent *Et tum*: scripti, ut dedimus. CREV.

U. C. 546. aliquanto serius pervenit pugna: ita ut prius aestus a meridiano sole, laborque standi sub armis, et simul fames sitisque corpora afficerent, quam manus cum hoste consererent. Itaque steterunt scutis innisi. Nam super cetera elephantum etiam, tumultuoso genere pugnae equitum velitumque et levis armaturae consternati, e cornibus in mediam aciem sese intulerant. Fessi igitur corporibus animisque retulere pedem, ordines tamen servantes, haud secus, quam si imperio ducis cederent integra acies. Sed quum eo ipso acrius, ubi inclinatum sentire rem, victores se undique inveherent, nec facile impetus sustineri posset; quanquam retinebat, obsistebatque cedentibus Hasdrubal, ‘ab tergo ‘esse colles tutumque receptum, si modice se reciperent,’ clamitans, tamen, vincente verecundiam metu, quum proximus quisque hostem cederet, terga extemplo data, atque in fugam sese omnes effuderunt. Ac primo consistere signa in radicibus collium, ac revocare in ordines militem coeperant; cunctantibus in adversum collem erigere aciem Romanis. Inde ut inferri impigre signa viderunt, integrata fuga, in castra pavidi compelluntur. Nec procul vallo Romanus aberat: cepissetque tanto impetu castra, ni se ex vehementi sole, qualis inter graves imbre nubes effulget, tanta vis aquae deiecisset, ut vix in castra sua receperint se victores; quosdam etiam religio ceperit ulterius quicquam eo die conandi. Carthaginenses, quanquam fessos labore ac vulneribus nox imberque ad necessariam quietem vocabat, tamen, quia metus et periculum cessandi non dabat tempus, prima luce oppugnaturis hostibus castra, saxis undique circa ex propinquis vallibus congestis augment vallum, munimento sese, quando in armis parum praesidii foret, defensuri. Sed transitio sociorum, fuga ut tutior mora videretur, fecit. Principium defectionis ab Attane regulo Turdetanorum factum est. Is cum magna popularium manu transfugit. Inde duo munita oppida cum praesidiis tradita a praefectis Romano. Et ne latius, inclinatis semel ad defectionem animis, serperet res, silentio proximae noctis Hasdrubal castra movet.

Vincuntur
Poeni.

Et in castra
compelluntur.

16.

Sequitur
eos Scipio.

Scipio, ut prima luce, qui in stationibus erant, retulerunt, profectos hostes, praemisso equitatu signa ferri iubet: adeoque citato agmine ducti sunt, ut, si via recta vestigia sequentes issent, haud dubie assecuturi fuerint. Ducibus est creditum, brevius aliud esse iter ad Baetium fluvium, ut transeuntes aggrederentur. Hasdrubal, clauso transitu flu-

8 Proximus quisque hostem] Proximus quemadmodum prope, propius, proxime passim cum casu quarto

ingi animadvertit Drakenb. cf. supr. i. 21. ii. 48.

minis, ad Oceanum flectit. Et iam inde fugientium modo U. C. 546.
effusi abibant; idque ab legionibus Romanis aliquantulum A. C. 206.
intervalli fecit. Eques levisque armatura nunc ab tergo, Et assecu-
nunc ab lateribus occurrendo, fatigabat morabaturque: sed tus caedit.
quum ad crebros tumultus signa consisterent, et nunc
9 equestria, nunc cum velitibus auxiliisque peditum proelia
consererent, supervenerunt legiones. Inde non iam pugna,
sed trucidatio velut pecorum fieri; donec ipse dux fugae
auctor in proximos colles cum sex millibus ferme semier-
minum evasit. Ceteri caesi captique. Castra tumultuaria
raptim Poeni tumulto editissimo communierunt: atque
inde, quum hostis nequiequam subire iniquo ascensu co-
natus esset, haud difficulter sese tutati sunt. Sed obsidio
in loco nudo atque inopi vix in paucos dies tolerabilis erat.
Itaque transitiones ad hostem fiebant. Postremo dux ipse, Hasdrubal
navibus acceptis, (nec procul inde aberat mare) nocte re- Gades fu-
lictio exercitu, Gades perfugit. Scipio, fuga ducis hostium git.
audita, decem millia peditum, mille equites relinquit Silano Scipio Tar-
1 ad castrorum obsidionem. Ipse cum ceteris copiis, septua- raconem
2 gesimis castris, protinus causis regulorum civitatumque redit.
cognoscendis, ut praemia ad veram meritorum aestima-
tionem tribui possent, Tarraconem rediit. Post profectio- Masinissa
3 nem eius Masinissa, cum Silano clam congressus, ut ad conciliatur
nova consilia gentem quoque suam obedientem haberet, Romanis.
4 cum paucis popularibus in Africam traiecit: non tam evi-
denti eo tempore subitae mutationis causa, quam docu-
mento post id tempus constantissimae ad ultimam senectam
fidei, ne tum quidem cum sine probabili causa fecisse.
Mago inde, remissis ab Hasdrubale navibus, Gades petit.
Ceteri, deserti ab ducibus, pars transitione, pars fuga, dis-
sipati per proximas civitates sunt. Nulla manus numero
aut viribus insignis.

9 *Auxiliisque peditum*] Hispanis scilicet, qui apud Romanos militabant. Observare non inutile est *auxilia* proprie et signate dici adiunctas Romanis exercitibus copias ex gentibus exteris, non vero ex Italicis populis. CREV.

1 *Septuagesimis castris*] Septuaginta dierum itinere. cf. supr. xxvii. 32. *decimis castris*.

2 *Protinus causis . . . cognoscendis*] Cognoscendo et disceptando causas regulorum civitatumque, prout ad quosque veniebat. CREV.

3 *Ad nova consilia*] Ad consilium suum de mutandis sociis. CREV.

4 *Non tam evidenti*] Non tam evidens fuit eo tempore mutationis Ma-

sinissae causa, quam constantissima post id tempus eius fides docuit, ne tum quidem . . . *Documento fidei*, pro *fide docente*. Ceterum, quod ad rem ipsam attinet, Appianus in libro de bellis Punicis hanc fuisse scribit Masinissae transitionis causam, quod quum ei Hasdrubal Gisgonis Sophonisbam filiam suam despondisset, Carthaginenses eam, in seio utroque, Syphaci elocaverunt, ut pacem ab eo redimerent. Sed iunctas hoc tempore Sophonisbae cum Syphace nuptias refellit iter Scipionis ad Syphacem, de quo infr. 17. et tota sequentis historiae ratio. De causa transitionis Masinissae ad Romanos, vid. infr. xxix. 29. CREV.

U. C. 546. Hoc maxime modo, duetu atque auspicio P. Scipionis,
 A. C. 206. pulsi Hispania Carthaginienses sunt: tertio decimo anno, 5
 Pulsi His- post bellum initum; quinto, quam P. Scipio provinciam et
 pania Poe- exercitum accepit. Haud multo post Silanus, debellatum
 ni.

17. referens, Tarraconem ad Scipionem rediit. L. Scipio cum
 Scipio iam multis nobilibus captivis nuntius receptae Hispaniae Ro-
 Africam et mam est missus. Et quum ceteri laetitia gloriaque ingenti
 Carthagi- eam rem vulgo ferrent, unus, qui gesserat, inexplabilis vir-
 nem spe- tutis veraeque laudis, parvum instar eorum, quae spe ac 6
 ctat. magnitudine animi concepisset, receptas Hispanias duce-
 bat. Iam Africam magnamque Carthaginem, et in suum
 decus nomenque velut consummatam eius belli gloriam
 Syphacem spectabat. Itaque, praemoliendas sibi ratus iam res con-
 sibi con- ciliandosque regum gentiumque animos, Syphacem pri-
 ciliare sta- mum regem statuit tentare. Masaesylorum is rex erat.
 tuit. Masacsyli, gens affinis Mauris, in regionem Hispaniae,
 maxime qua sita Nova Carthago est, spectant. Foedus
 ea tempestate regi cum Carthaginiensibus erat, quod haud
 gravius ei sanctiusque, quam vulgo barbaris, quibus ex for-
 tuna pendet fides, ratus fore, oratorem ad eum C. Laelium
 cum donis mittit. Quibus barbarus laetus, et quia res tum
 prosperae ubique Romanis, Poenis in Italia adversae, in His-
 pania nullae iam erant, amicitiam se Romanorum accipere
 annuit: firmandae eius fidem nec dare, nec accipere, nisi eum
 ipso coram duce Romano. Ita Laelius, in id modo fide ab
 rege accepta, tutum adventum fore, ad Scipionem rediit.
 Magnum in omnia momentum Syphax affectanti res Afri-
 cae erat, opulentissimus eius terrae rex, bello iam expertus
 ipsos Carthaginienses, finibus etiam regni apte ad Hispa-
 niam, quod freto exiguo dirimuntur, positus. Dignam ita-
 que rem Scipio ratus, quae, quoniam non aliter posset,
 magno periculo peteretur, L. Marcio Tarracone, M. Silano
 Carthagine Nova, quo pedibus ab Tarracone itineribus
 magnis ierat, ad praesidium Hispaniae relictis, ipse cum
 C. Laelio duabus quinqueremibus ab Carthagine profectus

Syphacem
 sibi con-
 ciliare sta-
 tuit.

In Africam
 traiecit.

5 *Tertio decimo anno, post bellum initum*] Sic recte Glareanus ex Livio ipso, supr. 10. Olim *quartodecimo*. Ceterum hic annus *sextus*, non *quintus* numerari deberet, ex quo Scipio provinciam et exercitum accepit. Nisi dicamus ideo quintum annum nondum expletum esse, quod Scipio sub finem aestatis primo in Hispaniam venerit; initio aestatis hoc anno pepulerit Hispania Poenos. Porro pro eo quod prius legebatur *quinto postquam*, dedimus *quinto quam*, subnixa auctoritatibus optimorum codicum, Put. Can-

tabrig. aliorumque; et praeterea aliis consimilibus apud nostrum exemplis: ut xxviii. 45. *Die quadragesimo quinto, quam ex sylvis detracta materia erat*: et iii. 33. *Anno trecentesimo altero, quam condita Roma erat*: et alibi saepius. CREV. *Quartodecimo* reposuit Bekker.

6 *Parvum instar*] Parvam imaginem. Ex receptis ac domitis Hispaniis vix parvam speciem capi posse putabat eorum quae animo destinasset. CREV.

tranquillo mari plurimum remis, interdum et leni adiuvante U. C. 546.
 vento, in Africam traiecit. Forte ita incidit, ut eo ipso A. C. 206.
 tempore Hasdrubal pulsus Hispania, septem triremibus
 portum invectus, ancoris positae terrae applicaret naves;
 quum conspectae duae quinqueres haud cuiquam dubio,
 quin hostium essent, opprimique a pluribus, priusquam
 portum intrarent, possent, nihil aliud, quam tumultum ac
 trepidationem simul militum ac nautarum, nequiequam ar-
 maque et naves expedientium, fecerunt. Percussa enim
 ex alto vela paullo acriori vento prius in portum intulerunt
 quinqueres, quam Poeni ancoras molirentur. Nec ultra
 tumultum ciere quisquam in regio portu audebat. Itaque
 prior in terram Hasdrubal, mox Scipio et Laelius egressi,
 ad regem pergunt. Magnificumque id Syphaci (nec erat 18.
 aliter) visum, duorum opulentissimorum ea tempestate du-
 ces populorum uno die suam pacem amicitiamque petentes
 venisse. Utrumque in hospitium invitat; et, quoniam fors
 eos sub uno tecto esse, atque ad eosdem penates, voluisset:
 contrahere ad colloquium dirimendarum simultatum causa
 est conatus; Scipione abnuente, aut privatim sibi ullum
 cum Poeno odium esse, quod colloquendo finiret, aut de
 republica se cum hoste agere quicquam iniussu senatus
 posse. Illud magno opere tendente rege, ne alter hospi-
 tium exclusus mensa videretur, ut in animum induceret ad
 easdem venire epulas, haud abnuvit. Coenatumque simul
 apud regem est: et eodem etiam lecto Scipio atque Has-
 drubal (quia ita cordi erat regi) accubuerunt. Tanta au-
 tem inerat comitas Scipioni, atque ad omnia naturalis in-
 genii dexteritas, ut non Syphacem modo, barbarum insue-
 tumque moribus Romanis, sed hostem etiam infestissimum,
 facunde alloquendo sibi conciliaret; ‘mirabilioremque sibi
 ‘cum virum congresso coram visum’ praese ferebat, ‘quam
 ‘bello rebus gestis: nec dubitare, quin Syphax regnumque
 ‘eius iam in Romanorum essent potestate. Eam artem
 ‘illi viro ad conciliandos animos esse. Itaque non, quo
 ‘modo Hispaniae amissae sint, quaerendum magis Cartha-
 ‘ginensibus esse, quam, quo modo Africam retineant, co-
 ‘gitandum. Non peregrinabundum, neque circa amoenas
 ‘oras vagantem tantum ducem Romanum, relicta provincia
 ‘novae ditionis, relictis exercitibus, duabus navibus in Afri-
 ‘cam traiecissee sese in hostilem terram, regiam in fidem
 7 ‘inexpertam: sed potiundae Africae spem affectantem.
 ‘Hoc eum iam pridem volutare in animo, hoc palam fre-

Hasdrubal
 et Scipio
 eodem tec-
 to recipi-
 untur.

Scipionis
 comitas et
 dexteritas.

Hasdruba-
 lis de eo
 iudicium.

7 Sed potiundae Africae spem af- V. 377. nam spes affectat easdem.
 fectantem] Tendentem ad spem po- CREV.
 tiundae Africae. Sic Ovid. Metam.

U. C. 546. 'mere, quod non, quemadmodum Hannibal in Italia, sic
 A. C. 206. 'Scipio in Africa bellum gereret.' Scipio, foedere icto cum
 Redit in Syphace, profectus ex Africa, dubiisque et plerumque sae-
 Hispaniam. vis in alto iactatus ventis, die quarto Novae Carthaginis
 portum tenuit.

19. Hispaniae sicut a bello Punico quietae erant, ita quas-
 dam civitates, propter conscientiam culpae, metu magis,
 quam fide, quietas esse apparebat: quarum maxime in-
 signes et magnitudine et noxa Illiturgi et Castulo erant.
 Castulo quum prosperis rebus socii fuissent, post caesos
 cum exercitibus Scipiones defecerant ad Poenos. Illitur-
 gitani prodendis, qui ex illa clade ad eos perfugerant, in-
 terficiendisque scelus etiam defectioni addiderant. In eos
 populos primo adventu, quum dubiae Hispaniae essent,
 merito magis, quam utiliter, saevitum foret. Tunc, iam
 tranquillis rebus, quia tempus expetendae poenae videba-
 tur venisse, accitum ab Tarracone L. Marcium cum tertia
 parte copiarum ad Castulonem oppugnandum mittit: ipse
 cum cetero exercitu quintis ferme ad Illiturgin castris per-
 venit. Clausae erant portae, omniaque instructa et parata
 ad oppugnationem arcendam: adeo conscientia, quid se
 meritos scirent, pro indicto iis bello fuerat. Hinc et hor-
 tari milites Scipio orsus est: 'Ipsos claudendis portis indi-
 'casse Hispanos, quid, ut timerent, meriti essent. Itaque
 'multo infestioribus animis cum iis, quam cum Carthagi-
 'niensibus, bellum gerendum esse. Quippe cum illis prope
 'sine ira de imperio et gloria certari; ab his perfidiae et
 'crudelitatis et sceleris poenas expetendas esse. Venisse
 'tempus, quo et nefandam commilitonum necem, et in se-
 'met ipsos, si eodem fuga delati forent, instructam fraudem
 'uleiscerentur: et in omne tempus gravi documento sanc-
 'rent, ne quis unquam Romanum civem militemve in ulla
 'fortuna opportunum iniuriae duceret.' Ab hac cohorta-
 8
 tionem ducis incitati, scalas electis per manipulos viris divi-
 dunt: partitoque exercitu, ita ut parti alteri Laclius prae-
 esset legatus, duobus simul locis ancipiti terrore urbem
 aggrediuntur. Non dux unus, aut plures principes oppi-
 danos, sed suus ipsorum ex conscientia culpae metus ad
 defendendam impigre urbem hortatur. Et meminerant,
 et admonebant alii alios, 'supplicium ex se, non victoriam,
 'peti. Ubi quisque mortem oppeteret, id referre; utrum 9

Illiturgin
 oppugnat.

8 *Opportunum iniuriae*] Talem, qui iniuriae obnoxius est, quem im-
 pune laedere licet.

9 *Ubi quisque mortem oppeteret, id
 referre; utrum*] Supra admonuerunt

sese invicem, *supplicium ex se, non
 victoriam, peti.* Unde sequitur eos
 qui in acie vitam non amisissent,
 postea inter supplicia cruciatusque
 exspiraturos. Quum igitur mors om-

‘in pugna et in acie, ubi Mars communis et victum saepe U. C. 546.
 ‘erigeret, et affligeret victorem; an postmodo, cremata et A. C. 206.
 ‘diruta urbe, ante ora captarum coniugum liberorumque,
 ‘inter verbera et vincula, omnia foeda atque indigna passi,
 ‘expirarent.’ Igitur non militaris modo aetas, aut viri
 tantum, sed feminae puerique supra animi corporisque
 vires adsunt: propugnantibus tela ministrant, saxa in mu-
 ros munientibus gerunt. Non libertas solum agebatur,
 quae virorum fortium tantum pectora acuit; sed ultima
 omnium supplicia, et foeda mors ob oculos erat. Accen-
 debantur animi et certamine laboris ac periculi, atque ipso
 inter se conspectu. Itaque tanto ardore certamen initum
 est, ut domitor ille totius Hispaniae exercitus, ab unius op-
 pidi iuventute saepe repulsus a muris, haud satis decore
 proelio trepidaret. Id ubi vidit Scipio, veritus, ne vanis
 conatibus suorum et hostibus cresceret animus, et segnior
 miles fieret, sibimet conandum ac partem periculi capes-
 sendam esse ratus, increpita ignavia militum, ferri scalas
 iubet: se ipsum, si ceteri cunctentur, escensurum minatur.
 Iam subierat haud mediocri periculo moenia, quum clamor
 undique ab sollicitis vicem imperatoris militibus sublatus,
 scalaeque multis simul partibus erigi coeptae. Et ex altera
 parte Laelius instat. Tum victa oppidanorum vis: de-
 iectisque propugnatoribus occupantur muri. Arx etiam
 ab ea parte, qua inexpugnabilis videbatur, inter tumultum
 capta est. Transfugae Afri, qui tum inter auxilia Romana
 erant, et oppidanis in ea tuenda, unde periculum videba-
 tur, versis, et Romanis subeuntibus, qua adire poterant,
 conspexerunt editissimam urbis partem, quia rupe praecalta
 tegebatur, neque opere ullo munitam, et ab defensoribus
 vacuam. Levium corporum homines, et multa exercita-
 tione pernecium, clavos secum ferreos portantes, qua per
 inaequaliter eminentia rupis poterant, scandunt. Sicubi
 nimis arduum et leve saxum occurrebat, clavos per modica
 intervalla figentes, quum velut gradus fecissent, primi se-
 quentes extrahentes manu, postremi sublevantes eos, qui
 praerent, in summum evadunt. Inde decurrunt cum cla-
 more in urbem iam captam ab Romanis. Tum vero appa-
 ruit, ab ira et ab odio urbem oppugnatam esse. Nemo

Oppidani
acriter re-
sistunt.

Urbs capi-
tur.

20.

Tum etiam
arx.

Oppidani
ad interne-
cionem de-
lentur.

nibus certa et destinata sit, adiiciunt id unum referre, seu id unum superesse discrimen, quo quisque loco et modo mortem oppeteret; utrum in pugna et in acie, an postmodo inter verbera et vincula contumeliasque expirarent. CREV.

¹ Sed feminae puerique] Cuivis in mentem venerit egregia illa urbis

Caesaris Augustae (hod. Saragossa) contra Gallos defensio, quando “dux femina facti” cives suos fugatos voce et opera sua ad ruinas murorum tuendas hortata est, et postremo hostem elusum absistere oppugnatione coegit.

² Sollicitis vicem imperatoris] Sollicitis de vice, de sorte, de periculo imperatoris. CREV.

U. C. 546. capiendi vivos, nemo, patentibus ad direptionem omnibus,
 A. C. 206. praedae memor est. Trucidant inermes iuxta atque armatos, feminas pariter ac viros: usque ad infantium caedem ira crudelis pervenit. Ignem deinde tectis iniiciunt, ac diruunt, quae incendio absumi nequeunt: adeo vestigia quoque urbis exstinguere, ac delere memoriam hostium sedis, cordi est.

Castulonem inde Scipio exercitum ducit: quam urbem non Hispani modo convenae, sed Punici etiam exercitus ex dissipata passim fuga reliquiae tutabantur. Sed adventum Scipionis praevenerat fama cladis Illiturgitanorum, terrorque inde ac desperatio invaserat; et in diversis³ causis, quum sibi quisque consultum sine alterius respectu vellet, primo tacita suspicio, deinde aperta discordia secessionem inter Carthaginenses atque Hispanos fecit. His Cerdubellus propalam deditiois auctor. Himilco Punicis auxiliariis praeerat: quos urbemque, clam fide accepta, Cerdubellus Romano prodit. Mitior ea victoria fuit: nec tantundem noxae admissum erat, et aliquantum irae lenierat voluntaria deditio.

21. Marcius inde in barbaros, si qui nondum perdomiti erant, sub ius ditionemque redigendos missus. Scipio Carthaginem, ad vota solvenda diis, munusque gladiatorium, quod mortis causa patris patruique paraverat, edendum, rediit. Gladiatorium spectaculum fuit non ex eo genere hominum, ex quo lanistis comparare mos est, servorum, quive venalem⁴ sanguinem habent. Voluntaria omnis et gratuita opera pugnantium fuit. Nam alii missi ab regulis sunt ad specimen insitae genti virtutis ostendendum: alii ipsi professi, se pugnatuuros in gratiam ducis: alios aemulatio et certamen, ut provocarent, provocatique haud abnuerent, traxit. Quidam, quas disceptando controversias finire nequiverant, aut noluerant, pacto inter se, ut victorem res sequeretur,⁵ ferro decreverunt. Neque obscuro generis homines, sed clari illustresque, Corbis et Orsua patruales fratres, de principatu civitatis, quam Ibem vocabant, ambigentes, ferro se certatuuros professi sunt. Corbis maior erat aetate. Orsuae pater princeps proxime fuerat, a fratre maiore post mortem eius principatu accepto. Quum verbis disceptare Scipio vellet, ac sedare iras; 'negatum id,' ambo dicere,

³ *In diversis causis*] Alia enim Poenorum, alia oppidanorum reliquorumque Hispanorum qui ibi convenerant, causa erat atque conditio. RASCH.

⁴ *Servorum, quive venalem sanguinem habent*] Servorum, vel liberorum hominum qui mercede accepta sanguinem et vitam impendunt spe-

tantium oblectationi. Secuti sumus cum Clerico certissimam emendationem Gronovii, qui, quum optimi MSS. habeant *servorum qui venalem sanguinem habent*, addita vocula *ve* post *qui*, huic loco sanitatem restituit. CREV.

⁵ *Ut victorem res sequeretur*] Ut res, de qua certaretur, victoris esset.

Castulonem deditio-
 nem recipit.

Gladiatorium spectaculum edit Scipio.

Corbis et Orsua.

‘communibus cognatis, nec alium deorum hominumve, U. C. 546.
 ‘quam Martem, se indicem habituros esse.’ Robore A. C. 206.
 maior, minor flore ætatis ferox, mortem in certamine,
 quam ut alter alterius imperio subiiceretur, præoptantes,
 quum dirimi ab tanta rabie nequirent, insigne spectaculum
 exercitui præbuere documentumque, quantum cupiditas
 imperii malum inter mortales esset. Maior usu armorum
 et astu facile stolidas vires minoris superavit. Huic gla-
 diatorum spectaculo ludi funebres additi pro copia, et pro-
 vinciali et castrensi apparatu.

Res interim nihilo minus ab legatis gerebantur. Mar- 22.
 cius, superato Baete amni, quem incolae Certim appellant, Marcus
 Astapam
 oppugnat.
 duas opulentas civitates sine certamine in deditiorem ac-
 cipit. Astapa urbs erat, Carthaginensium semper partis:
 7 neque id tam dignum ira erat, quam quod, extra necessi-
 tates belli, præcipuum in Romanos gerebant odium. Nec
 urbem aut situ aut munimento tutam habebant, quæ fero-
 ciores iis animos faceret: sed ingenia incolarum latrocini-
 o laeta, ut excursions in finitimum agrum sociorum populi
 Romani facerent, impulerant, et vagos milites Romanos
 lixasque et mercatores exciperent. Magnum etiam comi-
 tatum, quia paucis parum tutum fuerat, transgredientem
 fines, positis insidiis circumventum, iniquo loco interfecer-
 rant. Ad hanc urbem oppugnandam quum admotus exer-
 citus esset, oppidani conscientia scelerum, quia nec deditio
 tuta ad tam infestos videbatur, nec spes moenibus aut armis
 tuendæ salutis erat, facinus in se ac suos foedum ac ferum
 consciscunt. Locum in foro destinant, quo pretiosissima
 rerum suarum congererent. Super eum cumulum coniuges Astapen-
 sium furor.
 ac liberos considerare quum iussissent, ligna circa exstruunt,
 fascisque virgultorum coniiciunt. Quinquaginta deinde
 armatis iuvenibus præcipiunt, ‘ut, donec incertus eventus
 ‘pugnæ esset, præsidium eo loco fortunarum suarum cor-
 ‘porumque, quæ cariora fortunis essent, servarent. Si
 ‘rem inclinatam viderent, atque in eo iam esse, ut urbs ca-
 ‘peretur: scirent omnes, quos cuncte in proelium cernerent,
 ‘mortem in ipsa pugna obituros. Illos se per deos superos
 ‘inferosque orare, ut memores libertatis, quæ illo die aut
 ‘morte honesta, aut servitute infami finienda esset, nihil
 ‘relinquerent, in quod sævire iratus hostis posset. Ferrum
 ‘ignemque in manibus esse. Amicæ ac fideles potius ea,
 ‘quæ peritura essent, absumerent manus, quam insultarent
 ‘superbo ludibrio hostes.’ His adhortationibus execratio

6 *Pro copia*] Pro tempore et rerum modo, apparatu qualis tam in pro-
 vincia, quam in castris fieri potuit, bellum excitat.
 modico. DOER.

7 *Extra necessitates belli*] Præter
 id, quod necessario odium in hostes

U. C. 546. dira adiecta, si quem a proposito spes mollitiave animi
 A. C. 206. flexisset. Inde concitato agmine patentibus portis ingenti
 tumultu erumpunt. Neque erat ulla satis firma statio op-
 posita; quia nihil minus, quam ut egredi moenibus aude-
 rent, timeri poterat. Perpaucæ equitum turmae, levisque
 armatura repente e castris ad id ipsum emissa occurrit.
 Acrior impetu atque animis, quam compositior ullo ordine,
 pugna fuit. Itaque pulsus eques, qui primus hosti se ob-
 tulerat, terrorem intulit levi armaturæ: pugnatumque sub
 ipso vallo foret, ni robur legionum, perexiguo ad instruend-
 um dato tempore, aciem direxisset. Ibi quoque trepidatum
 parumper circa signa est, quum caeci furore in vulnera ac
 ferrum vecordi audacia ruerent. Dein vetus miles, ad-
 versus temerarios impetus pertinax, caede primorum inse-
 quentes suppressit. Conatus paullo post ultro inferre 8
 pedem, ut neminem cedere, atque obstinatos mori in ve-
 stigio quemque suo vidit; patefacta acie (quod ut facere
 posset, multitudo armatorum facile suppeditabat) cornua
 hostium amplexus, in orbem pugnantes ad unum omnes

Ad unum
 occiduntur.

23. occidit. Atque hæc tamen hostium iratorum, ac tum 9
 maxime dimicantium, iure belli in armatos repugnantesque
 edebantur. Foedior alia in urbe trucidatio erat, quum
 turbam feminarum puerorumque imbellem inermemque
 cives sui caederent, et in succensum rogi semianima
 pleraque iniicerent corpora, rivi que sanguinis flammam
 orientem restinguerent: postremo ipsi, caede misera
 suorum fatigati, cum armis medio se incendio iniecerunt.
 Iam caedi perpetratae victores Romani supervenerunt. Ac
 primo conspectu tam foedæ rei mirabundi parumper ob-
 stupuerunt. Dein quum aurum argentumque, cumulo
 rerum aliarum interfulgens, aviditate ingenii humani,
 rapere ex igne vellent, correpti alii flamma sunt, alii am-
 busti afflatu vaporis: quum receptus primis, urgente in-
 genti turba, non esset. Ita Astapa, sine præda militum,
 ferro ignique absumpta est. Marcius, ceteris eius regionis
 metu in deditionem acceptis, victorem exercitum Cartha-
 ginem ad Scipionem reduxit.

Pueri et fe-
 minae a
 suis in urbe
 trucidati.

Gaditani
 perfugæ.

Per eos ipsos dies perfugæ a Gadibus venerunt, polli-
 centes, urbem Punicumque praesidium, quod in ea urbe
 esset, et imperatorem praesidii cum classe prodituros esse.
 Mago ibi ex fuga substiterat, navibusque in Oceano col-
 lectis, aliquantum auxiliorum et trans fretum ex Africa
 ora, et ex proximis Hispaniae locis per Hannonem prae-

8 *Utro inferre pedem*] sc. Impetu
 infestis signis dato eos pellere cona-
 bantur.

9 *Atque hæc tamen*] Atque hæc

hostium erant iratorum ac tum ma-
 xime dimicantium facta, atrocitas qui-
 dem, sed tamen iure belli edita in
 armatos repugnantesque. CREV.

fectum coegerat. Fide accepta dataque perfugis, et Marcius U. C. 546. eo cum expeditis cohortibus, et Laelius cum septem trire- A. C. 206. nibus, quinquere mi una, est missus, ut terra marique communi consilio rem gererent.

Scipio ipse gravi morbo implicitus, graviore tamen fama, 24. quum ad id quisque, quod audierat, insita hominum libidine Scipionis morbus. alendi de industria rumores, adliceret aliquid, provinciam omnem ac maxime longinqua eius turbavit: apparuitque, quantam excitatura molem vera fuisset clades, quum vanus rumor tantas procellas excivisset. Non socii in fide, non exercitus in officio mansit. Mandonius et Indibilis, quibus, quia regnum sibi Hispaniae, pulsus inde Carthaginensibus, destinarant animis, nihil pro spe contigerat, concitatis popularibus (Lacetani autem erant) et iuventute Celtiberorum excita, agrum Suessetanum Sedetanumque sociorum populi Romani hostiliter depopulati sunt. Civilis alius furor in castris ad Sucronem ortus. Octo ibi millia militum erant; praesidium gentibus, quae eis Iberum incolunt, impositum. Motae autem eorum mentes sunt non tum primum, quum de vita imperatoris dubii rumores allati sunt; sed iam ante, 2 licentia ex diutino, ut fit, otio collecta, et nonnihil, quod 3 in hostico laxius raptis suetis vivere artiores in pace res 4 erant. Ac primo sermones tantum occulti serebantur, 'si bellum in provincia esset, quid sese inter pacatos facere? 'si debellatum iam et confecta provincia esset, cur in 'Italiam non revehi?' Flagitatum quoque stipendium procacius, quam ex more et modestia militari, erat: et ab custodibus probra in circumeuntes vigilias tribunos iacta: et noctu quidam praedatum in agrum circa pacatum ierant: postremo interdiu ac propalam sine commatu ab signis abibant. Omnia libidine ac licentia militum, nihil instituto ac disciplina militiae, aut imperio eorum, qui praeerant, gerebatur. Forma tamen Romanorum castrorum consta-

1 *Lacetani autem erant*] Mirum quod hic soli Lacetani nominentur tanquam populares Mandonii et Indibilis, quum et supr. xxvi. 49. Indibilis dicatur regulus Ilergetum, et infr. xxix. 2. etiam Ilergetem eum vocet Livius, passim denique Ilergetes videantur proprius fuisse Indibilis et Mandonii miles. Fortasse nominis eorum deformata quaedam remanent vestigia in voce *autem*, quae nullo modo hic necessaria est; ac scripserit Livius *Lacetani et Ilergetes erant*. Certe coniunguntur hi populi, infr. 27. et 34. CREV.

2 *Dubii rumores allati sunt*] Vocem *rumores* libri scripti ignorant.

Iine Gronovius *dubie allatum est* legendum esse suspicatur, quod Bekkerus reposuit. Verum haec oratio paullum durior esset.

3 *Et nonnihil, quod*] Aliqua etiam ex parte id valuerat ad movendas et deflectendas a sanitate illorum mentes, quod in hostili agro prius assueti laxius et liberius vivere ex iis quae rapiebant, tum. quum in sociorum agro essent, minus commode, minus laxe vivebant. CREV.

4 *Ac primo sermones*] Quisquis hoc dedit, non male consuluit sensui. Sed scripti, *primores*, vel *primo res*. CREV. *Primo rumores* ex emendatione Gronov. recepit Bekker.

U. C. 546. bat una ea spe, quod tribunos ex contagione furoris haud
 A. C. 206. expertes seditionis defectionisque rati fore, et iura reddere
 in principiis sinebant, et signum ab iis petebant, et in sta-⁵
 tiones ac vigilias in ordinem ibant: et, ut vim imperii ab-⁶
 stulerant, ita speciem dicto parentium, ultro sibi impe-
 rantes, servabant. Erupit deinde seditio, postquam repre-
 hendere atque improbare tribunos ea, quae fierent, et
 conari obviam ire, et propalam abnuere, furoris eorum se
 futuros socios, senserunt. Fugatis itaque ex principiis, ac
 post paullo e castris tribunis, ad principes seditionis, grega-
 rios milites, C. Albium Calenum et C. Atrium Umbrum,
 delatum omnium consensu imperium est. Qui, nequaquam
 tribuniciis contenti ornamentis, insignia etiam summi im-
 perii, fascēs securesque, attrectare ausi: neque venit in
 mentem, suis tergis suisque cervicibus virgas illas secures-
 que imminere, quas ad metum aliorum praeferrent. Mors
 Scipionis falso credita occaecabat animos: sub cuius vul-
 gatam mox famam non dubitabant totam Hispaniam arsu-
 ram bello. In eo tumultu et sociis pecunias imperari, et
 diripi propinquas urbes posse: et, turbatis rebus, quum
 omnia omnes auderent, minus insignia fore, quae ipsi fe-
 cissent. Quum alios subinde recentes nuntios, non mortis
 modo, sed etiam funeris, exspectarent, neque superveniret
 quisquam, evanesceretque temere ortus rumor; tum primi
 auctores requiri coepti: et, subtrahente se quoque, ut cre-
 didisse potius temere, quam finxisse, rem talem videri pos-
 set, destituti duces iam sua ipsi insignia, et pro vana
 imagine imperii, quod gererent, veram iustamque mox in
 se versuram potestatem horrebant. Stupente ita seditione,
 quum vivere primo, mox etiam valere Scipionem, certi
 auctores afferrent, tribuni militum septem ab ipso Scipione
 missi sunt. Ad quorum primum adventum exasperati
 animi; mox, ipsis placido sermone permulcentibus notos,
 cum quibus congressi erant, leniti sunt. Circumcuntes
 enim tentoria primo, deinde in principiis praetorioque, ubi
 sermones inter se serentium circulos vidissent, alloqueban-
 tur, percunctantes magis, quae causa irae consternationisque
 subitae foret, quam factum accusantes. Vulgo ‘stipendium
 ‘non datum ad diem’ iactabatur: ‘et, quum eodem tem-
 ‘pore, quo scelus Illiturgitanorum exstitisset, post duorum
 ‘imperatorum duorumque exercituum stragem, sua virtute
 ‘defensum nomen Romanum ac retenta provincia esset:

Tribuni
 militum a
 Scipione
 ad seditio-
 sos missi.
 Permul-
 cent eos
 placido
 sermone.

5 *In principiis*] Principia iustar
 fori castrorum erant. Ibi imperatores,
 legati, tribuni militum tendebant. Ibi
 signa militaria reposita, conciones ha-
 bitae sunt, ibi iudicia exercebantur.

tesserae dabantur. RASCHIG.

6 *In ordinem*] Secundum prac-
 scriptum cuique ordinem. DOER.

7 *Consternationisque*] Subiti tu-
 multus, cf. infr. xxiv. 2.

‘ Illiturgitanos poenam noxae meritam habere ; suis recte
 ‘ factis gratiam qui exsolvat, non esse. Talia querentes
 ‘ aequa orare, seque ea relatueros ad imperatorem,’ respon-
 debant. ‘ Laetari, quod nihil tristius, nec insanabilius
 ‘ esset: et P. Scipionem deum benignitate, et rempublicam
 s ‘ esse gratiae referendae.’ Scipionem bellis assuetum, ad
 seditionum procellas rudem, sollicitum habebat res, ne aut
 exercitus peccando, aut ipse puniendo, modum excederet.
 In praesentia, ut coepisset, leniter agi placuit, et, missis
 circa stipendiarias civitates exactoribus, stipendii spem pro-
 pinquam facere. Edictum subinde propositum, ut ad sti-
 pendium petendum convenirent Carthaginem; seu carptim
 partes, seu universi mallent. Tranquillam seditionem, iam
 per se languescentem, repentina quies rebellantium Hispano-
 rum fecit. Redierant enim in fines, omisso incepto,
 Mandonius et Indibilis, postquam vivere Scipionem alla-
 tum est: nec iam erat aut civis, aut externus, cum quo
 9 furorem suum consociarent. Omnia circumspectantes con-
 silia nihil reliqui habebant, praeter non tutissimum a malis
 consiliis receptum, ut imperatoris vel iustae irae, vel non
 desperandae clementiae sese committerent. Etiam hostibus
 eum ignovisse, cum quibus ferro dimicasset. Suam sedi-
 tionem sine vulnere, sine sanguine fuisse: nec ipsam atro-
 cem, nec atroci poena dignam: ut ingenia humana sunt ad
 suam cuique levandam culpam nimio plus facienda. Illa
 dubitatio erat, singulaene cohortes, an universi, ad stipen-
 dium petendum irent. Inclinauit sententia, quod tutius
 censebant, universos ire.

Seditiosi
iubentur
venire Car-
thaginem.

Per eosdem dies, quibus haec illi consultabant, consilium
 de iis Carthagini erat: certabaturque sententiis, utrum in
 auctores tantum seditionis (erant autem hi numero hand
 plus, quam quinque et triginta) animadverteretur, an plu-
 rium supplicio vindicanda tam foedi exempli defectio ma-
 gis, quam seditio, esset. Vicit sententia lenior, ut, unde
 orta culpa esset, ibi poena consisteret: ad multitudinem
 1 castigationem satis esse. Consilio dimisso, ut id actum
 videretur, expeditio adversus Mandonium Indibilemque
 edicitur exercitui, qui Carthagine erat, et cibaria dierum
 aliquot parare iubentur. Tribunis septem, qui et antea
 Sucronem ad leniendam seditionem ierant, obviam exer-
 citui missis, quina nomina principum seditionis edita sunt;

26.

Expeditio
in Laceta-
nos edici-
tur.

8 *Esse gratiae referendae*] *Esse*
 cum dativo gerundii iunctum passim
 apud Livium obviam est. cf. supr.
 iv. 35. *sitne aliquis ferendo honori.*
 infr. xxx. 9. Cic. ad Divers. iii. 8.
 RASCHIG.

silia, quam vocem codices habent,
 auctore Gronovio. delevit Bekker.

1 *Ut id actum videretur, expedi-*
tio] Edicitur expeditio adversus Man-
 donium et Indibilem, ut de ea re ac-
 tum esse videretur in consilio, non de
 seditione Sucronensi. CREV.

9 *Circumspectantes consilia*] *Con-*

U. C. 546. ut eos, per idoneos homines benigno vultu ac sermone in
 A. C. 206. hospitium invitatos sopitosque vino, vincirent. Haud
 procul iam Carthagine aberant, quum ex obviis auditum,²
 postero die omnem exercitum cum M. Silano in Lacetanos
 proficisci, non metu modo omni, qui tacitus insidebat
 animis, liberavit eos, sed laetitiam ingentem fecit: quod
 magis habituri solum imperatorem, quam ipsi futuri in
 potestate eius essent. Sub occasum solis urbem ingressi
 sunt, exercitumque alterum parantem omnia ad iter vide-
 runt. Excepti sermonibus de industria compositis, 'lae-
 'tum opportunumque adventum eorum imperatori esse,
 'quod sub ipsam profectionem alterius exercitus venissent,'
 corpora curant. A tribunis sine ullo tumultu auctores sed-
 itionis, per idoneos homines perducti in hospitium, compre-
 hensi ac vincti sunt. Vigilia quarta impedimenta exerci-
 tus, cuius simulabatur iter, proficisci coepere. Sub lucem
 signa mota, et ad portam retentum agmen, custodesque
 circa omnes portas missi, ne quis urbe egrederetur. Vocati
 deinde ad concionem, qui pridie venerant, ferociter in fo-
 rum ad tribunal imperatoris, ut ultro territuri succlamatio-
 nibus, concurrunt. Simul et imperator in tribunal escen-
 dit, et reducti armati a portis inermi se concioni ab tergo
 circumfuderunt. Tum omnis ferocia concidit, et, ut postea
 fatebantur, nihil aequae eos terruit, quam praeter spem robur
 et color imperatoris, quem affectum visuros crediderant,
 vultusque, qualem ne in acie quidem aiebant meminisse.
 Sedit tacitus paullisper, donec nuntiatum est, deductos in
 forum auctores seditionis, et parata iam omnia esse. Tum,

Compre-
henduntur
seditionis
auctores.

27.
Oratio Sci-
pionis ad
seditiones.

silentio per praeconem facto, ita coepit: 'Nunquam mihi
 'defuturam orationem, qua exercitum meum alloquerer,
 'credidi: non quo verba unquam potius, quam res, exer-
 'cuerim; sed quia prope a pueritia in castris habitus, assu-
 'eram militaribus ingeniis. Ad vos quemadmodum loquar,
 'nec consilium, nec oratio suppeditat: quos ne quo nomine
 'quidem appellare debeam, scio. Cives? qui a patria ves-
 'tra descistis: an milites? qui imperium auspiciumque
 'abnuistis, sacramenti religionem rupistis: hostes? cor-
 'pora, ora, vestitum, habitum civium agnosco: facta, dicta,
 'consilia, animos hostium video. Quid enim vos, nisi
 'quod Ilorgetes et Lacetani, aut optastis aliud, aut spera-
 'stis? Et illi tamen Mandonium atque Indibilem, regiae
 'nobilitatis viros, duces furoris secuti sunt: vos auspicium

² *Auditum . . . liberavit . . . fecit*
Auditum est in recto casu, et refertur
 ad verba sequentia *liberavit . . . fecit*.
 Nuntius ex obviis acceptus, nempe,
 exercitum omnem postero die profi-

cisci, non liberavit modo eos omni
 metu, sed et laetitiam ingentem fecit.
 Hanc loquendi formam videtur ad-
 amasse Livius. Vid. supr. i. 53. et
 xxvii. 45. CREV.

'et imperium ad Umbrum Atrium et Calenum Albium U. C. 546.
 'detulistis. Negate, vos id omnes fecisse, aut factum vo- A. C. 206.
 'uisse, milites: paucorum enim furorem atque amentiam
 'esse, libenter credam negantibus. Nec enim ea sunt
 'commissa, quae vulgata in omnem exercitum sine piaculis
 'ingentibus expiari possint. Invitus ea, tanquam vulnera,
 'attingo: sed nisi tacta tractataque sanari non possunt.
 'Equidem, pulsus Hispania Carthaginiensibus, nullum lo-
 'cum tota provincia, nullos homines credebam esse, ubi
 'vita invisa esset mea. Sic me non solum adversus socios
 'gesseram, sed etiam adversus hostes. In castris en meis
 '(quantum me opinio fefellit!) fama mortis meae non ac-
 'cepta solum, sed etiam expectata est. Non quod ego
 'vulgari facinus per omnes velim. Equidem si totum ex-
 'ercitum meum inortem mihi optasse crederem, hic statim
 'ante oculos vestros morerer; nec me vita iuvaret, invisa
 'civibus et militibus meis. Sed multitudo omnis, sicut na-
 'tura maris, per se immobilis est, venti et aerae cient; ita
 'aut tranquillum, aut procellae in vobis sunt: et causa
 'atque origo omnis furoris penes auctores est; vos conta-
 'gione insanistis. Qui mihi ne hodie quidem scire vide-
 'mini, quo amentiae progressi sitis; quid facinoris in me,
 'quid in patriam parentesque ac liberos vestros, quid in
 'deos, sacramenti testes, quid adversus auspicia, sub quibus
 'militatis, quid adversus morem militiae disciplinamque
 'maiorum, quid adversus summi imperii maiestatem ausi
 'sitis. De me ipso taceo. Temere potius, quam avide,
 'credideritis. Denique ego sim, cuius imperii taedere ex-
 'ercitum minime mirandum sit. Patria quid de vobis me-
 'ruerat, quam cum Mandonio et Indibili consociando con-
 'silia prodebatis? Quid populus Romanus, quum impe-
 3 rium, ablatum ab tribunis suffragio populi creatis, ad
 'homines privatos detulistis? quum, eo ipso non contenti,
 'si pro tribunis illos haberetis, fasces imperatoris vestri ad
 'eos, quibus servus, cui imperarent, nunquam fuerat, Ro-
 'manus exercitus detulistis. In praetorio tetenderunt Al-
 'bius et Atrius: classicum apud eos cecinit; signum ab iis
 4 'petitum est: sederunt in tribunali P. Scipionis: lictor
 5 'apparuit: summoto incesserunt: fasces cum securibus

3 *Ab tribunis suffragio populi creatis*] Cave inde interas tribunos mili-
 tum omnes per haec tempora a po-
 pulo creatos. Contrarium enim constat
 supr. xxvii. 36. Sed Livius ora-
 torie rem auget, ut atrocius videatur
 militum facinus, si tribunis eam po-
 testatem ademerint, quam populus
 eis mandaverat. CREV.

4 *Lictor apparuit*] Lictor illis mi-
 nister imperii fuit. Vid. supr. ii. 55.
 CREV.

5 *Summoto incesserunt*] *Summoto*
incedere dicebantur magistratus Ro-
 mani, quum inter frequentiam homi-
 num, lictorum ministerio et animad-
 versione cedere locumque dare ius-
 sam, progrediebantur. CREV.

U. C. 546. 'praelati sunt. Lapides pluere, et fulmina iaci de coelo, 6
 A. C. 266. 'et insuetos foetus animalia edere, vos portenta esse puta-
 'tis: hoc est portentum, quod nullis hostiis, nullis suppli-
 'cationibus, sine sanguine eorum, qui tantum facinus ausi
 28. 'sunt, expiari possit. Atque ego, quanquam nullum scelus
 'rationem habet, tamen, ut in re nefaria, quae mens, quod
 'consilium vestrum fuerit, scire velim. Rhegium quondam
 'in praesidium missa legio, interfectis per scelus principi- 7
 'bus civitatis, urbem opulentam per decem annos tenuit.
 'Propter quod facinus tota legio, millia hominum quattuor, 8
 'in foro Romae securi percussi sunt. Sed illi primum, non
 'Atrium Umbrum semilixam, nominis etiam abominandi
 'ducem, sed Decium Iubellium tribunum militum secuti 9
 'sunt: nec cum Pyrrho, nec cum Samnitibus aut Lucanis,
 'hostibus populi Romani, se coniunxerunt. Vos cum
 'Mandonio et Indibili consilia communicastis, et arma
 'consociaturi fuistis. Illi, sicut Campani Capuam, Tuscis 1
 'veteribus cultoribus ademptam, Mamertini in Sicilia Mes- 2
 'sanam, sic Rhegium habituri perpetuam sedem erant:
 'nec populum Romanum, nec socios populi Romani ultro
 'laccessituri bello. Sucronemne vos domicilium habituri era-
 'tis? ubi si vos decedens confecta provincia imperator re-
 'linquerem, deum hominumque fidem implorare debebatis,
 'quod non rediretis ad coniuges liberosque vestros. Sed
 'horum quoque memoriam, sicut patriae meique, eieceritis

6 *Fulmina iaci de coelo*] In templa et aedes. Hinc toties in prodigiorum enumeratione mentio fit aedium de coelo tactarum. CREV.

7 *Interfectis per scelus principibus civitatis*] Finxerat enim Decius, praefectus praesidii Rhegio a Fabricio impositus, literas sibi delatas esse, in quibus Rhegini Pyrrho portas se patefacturos sponderent, atque hac ansa captata Reginorum principes interemerat. cf. Dion. Exc. Vat. xii. 60.

8 *Millia hominum quattuor*] Quattuor millia et quingentos fuisse scribit Dionysius in Exc. Vat. xii. 67. Sed Polybii opinio verisimilior videtur, qui legionis Campanae partem maximam in ipsa Rhegii expugnatione a Romanis caesam narrat, cf. i. 7. amplius autem trecentos milites captos Romanque missos atque ibidem necatos. Sane et eo paene decennio, quod ab occupato per scelus Rhegio ad solum supplicium effluxit, multi ex illa legione perisse videntur, praesertim quum et Crotonem eo intervallo ceperint, ibique Romanos tru-

cidaverint, teste Zonara viii. 6. A. MAIUS.

9 *Tribunum militum*] Quem Campanum fuisse scribit Dionysius Exc. Vat. xii. 60. Verum legio haec Campana, quae a Romanis defecerat, Romanis legionibus annumerata erat, ut *octava legio*, atque ideo Decius non praefectus sociorum, quippe milites sui non inter *auxilia* erant, sed tribunus militum appellatur. cf. Orosius iv. 3. Niebhr. ii. n. 112.

1 *Sicut Campani Capuam*] Vid. nostrum, supr. iv. 37.

2 *Mamertini in Sicilia Messanam*] Mamertini e Campania oriundi fuere, ab Agathocle Syracusanorum rege in auxilium evocati. Ii quum a Messanensibus pro amicis excepti fuissent, civibus trucidatis aut eiectis, urbem occupaverunt, atque eius postea possessionem semper tenuerunt: nec urbis nomine mutato, quae Messana vocari non desiit, suum et ipsi nomen servaverunt, semperque dicti fuere Mamertini. cf. Polyb. i. 1. CREVIER.

3 'ex animis vestris. Viam consilii seclerati, sed non ad ul- U. C. 546.
 'mum dementis, exsequi volo. Mene vivo, et cetero incolumi A. C. 206.
 'exercitu, cum quo ego die uno Carthaginem cepi, cum
 4 'quo quattuor imperatores, quattuor exercitus Carthagi-
 'niensium fudi, fugavi, Hispania expuli, vos octo millia
 'hominum, minoris certe omnes pretii, quam Albius et
 'Atrius sunt, quibus vos subieccistis, Hispaniam provinciam
 'populo Romano erepturi eratis? Amolior et amoveo no-
 5 'men meum. Nihil ultra facile creditam mortem meam a
 'vobis violatus sim. Quid? si ego morerer, mecum exspi-
 'ratura respublica, mecum casurum imperium populi Ro-
 'mani erat? ne istuc Iupiter optimus maximus sirit, urbem,
 'auspicato diis auctoribus in aeternum conditam, fragili
 'huic et mortali corpori aequalem esse. Flaminio, Paulo,
 'Graccho, Postumio Albino, M. Marcello, T. Quinctio Cris-
 'pino, Cn. Fulvio, Scipionibus meis, tot tam praeclaris impe-
 'ratoribus uno bello absumptis, superstes est populus Roma-
 'nus, eritque, mille aliis nunc ferro, nunc morbo morienti-
 6 'bus: meo unius funere elata populi Romani esset respu-
 'blica? Vos ipsi hic in Hispania, patre et patruo meo, duobus
 7 'imperatoribus, interfectis, Septimum Marcium ducem vo-
 'bis adversus exsultantes recenti victoria Poenos delegistis:
 'et sic loquor, tanquam sine duce Hispaniae futurae fue-
 'rint? M. Silanus, eodem iure, eodem imperio mecum in
 'provinciam missus, L. Scipio frater meus, et C. Laelius,
 'legati, vindices maiestatis imperii deessent? Utrum ex-
 'ercitus exercitui, an duces ducibus, an dignitas, an causa
 'comparari poterat? quibus si omnibus superiores essetis,
 'arma cum Poenis contra patriam, contra cives vestros fer-
 'retis? Africam Italiae, Carthaginem urbi Romanae im-
 'perare velletis? Quam ob noxam patriae? Coriolanum
 'quondam damnatio iniusta, miserum et indignum exsi-
 'lium, ut iret ad oppugnandam patriam, impulit: revoca-
 8 'vit tamen a publico parricidio privata pietas. Vos qui
 'dolor, quae ira incitavit? Stipendiumne diebus paucis

29.

3 *Viam consilii . . . exsequi*] *Viam exsequi* est rationem expendere. Haec est mens Scipionis. Expendendo consilium vestrum, velim illud reperire eiusmodi, ut, etsi secleratum et nefarium, non tamen sit ad ultimum demens. CREV.

4 *Quattuor imperatores*] Hasdrubales duos, Hamilcaris et Gisgonis filios, Magonem Hamilcaris, et Hannonem, qui Hasdrubali in Italiam profecto suffectus erat. SIGON.

5 *Nihil ultra facile creditam*] Esto: nulla alia in re a vobis violatus sim, quam quod facile mortem meam

credidistis; nec deliberatum habueritis arma adversus me imperatorem vestrum ferre. CREV.

6 *Meo unius funere elata*] Mecum sepulta. *Efferr*i est verbum proprium de funeribus. *Effertur*, imus, apud Ter. in Andr. cf. supr. xxii. 10.

7 *Septimum Marcium*] Nomen integrum huius Marcii occurrit infr. xxxii. 2. ubi vocatur L. Marcius Septimus. Itaque *Septimus* est eius cognomen. CREV.

8 *Privata pietas*] cf. Supr. ii. 39, 40.

U. C. 546. 'imperatore aegro serius numeratum satis digna causa fuit,
 A. C. 206. 'cur patriae indiceretis bellum? cur ad Ilergetes desciscere-
 'retis a populo Romano? cur nihil divinarum humana-
 'rumve rerum inviolatum vobis esset? Insanistis profecto,
 'milites: nec maior in corpus meum vis morbi, quam in
 'vestras mentes, invasit. Horret animus referre, quid cre-
 'diderint homines, quid speraverint, quid optaverint. Au-
 'ferat omnia irrita oblivio, si potest: si non, utcumque si-
 'lentium tegat. Non negaverim, tristem atrocemque vobis
 'visam orationem meam; quanto creditis facta vestra atro-
 'ciora esse, quam dicta mea? et me ea, quae fecistis, pati
 'aequum censetis: vos ne dici quidem omnia aequo animo
 'ferretis? Sed ne ea quidem ipsa ultra exprobrabuntur.
 'Utinam tam facile vos obliviscamini eorum, quam ego
 'obliviscar. Itaque, quod ad vos universos attinet, si erroris
 'poenitet, satis superque poenarum habeo. Albius Calce-
 'nus, et Atrius UMBER, et ceteri nefariae seditionis aucto-
 'res, sanguine luent, quod admiserunt. Vobis supplicii
 'eorum spectaculum non modo non acerbum, sed laetum
 'etiam, si sana mens rediit, debet esse. De nullis enim,
 'quam de vobis, infestius aut inimicius consuluerunt.' Vix
 finem dicendi fecerat, quum ex praeparato simul omnium
 rerum terror oculis auribusque est offusus. Exercitus, qui
 corona concionem circumdederat, gladiis ad scuta concre-
 puit: praekonis audita vox citantis nomina damnatorum
 in consilio. Nudi in medium protrahabantur: et simul
 omnis apparatus supplicii expromebatur. Deligati ad pal-
 lum, virgisque caesi, et securi percussi, adco torpentibus
 metu, qui aderant, ut non modo ferocior vox adversus
 atrocitatem poenae, sed ne gemitus quidem, exaudiretur.
 Tracti inde de medio omnes, purgatoque loco citati milites
 nominatim apud tribunos militum in verba P. Scipionis
 iurarunt, stipendiumque ad nomen singulis persolutum est.
 Hunc finem exitumque seditio militum coepta apud Su-
 cronem habuit.

Duces se-
 ditionis
 poenas
 dant.

30. Per idem tempus ad Baetim fluvium Hanno, praefectus
 Magonis, missus a Gadibus, cum parva manu Afrorum,
 mercede Hispanos sollicitando ad quattuor millia iuvenum
 armavit. Castris deinde exutus ab L. Marcio, maxima
 parte militum inter tumultum captorum castrorum, qui-
 busdam etiam in fuga amissis, palatos persequente equite,
 cum paucis ipse effugit.

Hanno
 praefectus
 Magonis a
 Marcio fu-
 sus.

Dum haec ad Baetim fluvium geruntur, Laelius interim,
 freto in Oceanum evectus, ad Carteiam classe accessit.
 Urbs ea in ora Oceani sita est, ubi primum e faucibus an-

9 *De medio omnes*] Eorum scilicet, cf. Polyb. xi. 28, ubi res totidem fere
 qui securi percussi fuerant, corpora, verbis narratur.

¹ gustis panditur mare. Gades, sine certamine, proditione U. C. 546. A. C. 206. recipiendi, ultro qui eam rem pollicerentur, in castra Romana venientibus, spes, sicut ante dictum est, fuerat. Patefacta immatura proditio est, comprehensosque omnes Mago Adherbali praetori Carthaginem devehendos tradit. Adherbal, coniuratis in quinquerenem impositis, praemissaque ea, quia tardior, quam triremis, erat, ipse cum octo triremibus modico intervallo sequitur. Iam fretum intrabat Adherbalis et Laelii pugna in ipso freto. quinquerenis, quum Laelius, et ipse in quinquereni e portu Carteiae, sequentibus septem triremibus, evectus, in Adherbalem ac triremes invehitur, quinquerenem satis credens ² deprensam rapido in freto, in adversum aestum reciprocari non posse. Poenus in re subita parumper incertus trepidavit, utrum quinquerenem sequeretur, an in hostes rostra converteret. Ipsa cunctatio facultatem detrectandae pugnae ademit. Iam enim sub ictu teli erant, et undique instabant hostes. Aestus quoque arbitrium moderandi naves ademerat. Neque erat navali pugna similis: quippe ubi nihil voluntarium, nihil artis aut consilii esset. Una natura freti, aestusque totius certaminis potens, suis, alienis navibus nequicquam remigio in contrarium tendentes invehbat, ut fugientem navem videres retro vortice intortam victoribus illatam; et sequentem, si in contrarium tractum incidisset maris, fugientis modo sese avertentem. Iam in ipsa pugna haec, quum infesto rostro peteret hostium navem, obliqua ipsa ictum alterius rostri accipiebat: illa, quum transversa obiiceretur hosti, repente intorta in pro-
ram circumagebatur. Quum inter triremes, fortuna regente, anceps proelium misceretur, quinquerenis Romana, seu pondere tenacior, seu pluribus remorum ordinibus scindentibus vortices, quum facilius regeretur, duas trirenes ³ suppressit, unius praelata impetu lateris alterius remos detersit: ceterasque, quas indepta esset, mulcasset, ni cum reliquis quinque navibus Adherbal velis in Africam transmisisset.

Laelius, victor Carteiam revectus, auditis, quae acta Gadibus erant, patefactam proditionem, coniuratosque missos Carthaginem, spem ad irritum redactam, qua venissent, ⁴ nuntiis ad L. Marcium missis, nisi si terere frustra tempus 31. Laelius et Marcius redeunt ad Scipionem.

¹ *Prodizione recipiendi*] *Per proditionem*, quod Sigonius veteres libros prae se ferre testatur, reposuit Bekker.

² *In adversum aestum reciprocari*] Circumagi, et retro adversus contrarii aestus vim auxilio ire triremibus sociis. CREV.

³ *Unius praelata impetu*] Romana

quinqueremis unius hostilium triremium, dum proxime illam impetu praetervehitur, confregit, quotquot ab illo latere habebat, remos. GRONOV.

⁴ *Nisi si terere*] Vocem *si* omitunt aliqui editi, sed perperam, quoniam saepius particulas *nisi si* coniunctas apud nostrum videris. cf. supr. vi. 26. xxvi. 3.

U. C. 546. sedendo ad Gades vellent, redeundum ad imperatorem
 A. C. 206. esse, assentiente Marcio, paucos post dies ambo Carthaginiem redire. Ad quorum discessum non respiravit modo Mago, quum terra marique ancipiti metu urgeretur; sed etiam, audita rebellione Ilergetum, spem recuperandae Hispaniae nactus, nuntios Carthaginiem ad senatum mittit, qui, simul seditionem civilem in castris Romanis, simul defectionem sociorum in maius verbis extollentes, hortarentur, ut auxilia mitterent, quibus traditum a patribus imperium Hispaniae repeti posset.

Mandonius et Indibilis, in fines regressi, paulisper, dum, quidnam de seditione statueretur, scirent, suspensi quieverunt; si civium errori ignosceretur, non diffidentes sibi quoque ignosci posse. Postquam vulgata est atrocitas supplicii, suam quoque noxam pari poena aestimatam rati, 5 vocatis rursus ad arma popularibus, contractisque, quae ante habuerant, auxiliis, in Sedetanum agrum, ubi principio defectionis stativa habuerant, cum viginti millibus peditum, duobus millibus equitum et quingentis transcenderunt.

32. Scipio, quum fide solvendi pariter omnibus noxiis innoxiiisque stipendii, tum vultu ac sermone in omnes placato, facile reconciliatis militum animis, priusquam castra ab Carthagine moveret, concione advocata, multis verbis in perfidiam rebellantium regulorum invectus, ‘nequaquam eodem animo se ire’ professus est ‘ad vindicandum id scelus, quo civilem errorem nuper sanaverit. Tum se, haud secus quam viscera secantem sua, cum gemitu et lacrimis triginta hominum capitibus expiasset octo millium seu imprudentiam, seu noxam: nunc laeto et erecto animo ad caedem Ilergetum ire. Non enim eos, neque natos in eadem terra, nec ulla secum societate iunctos esse: eam, quae sola fuerit, fidei atque amicitiae, ipsos per scelus rupisse. In exercitu suo se, praeterquam quod omnes cives, aut socios Latinique nominis videat, etiam eo mo- veri, quod nemo fere sit miles, qui non aut a patruo suo Cn. Scipione, qui primus Romani nominis in eam provinciam venerit, aut a patre consule, aut a se sit ex Italia advectus. Scipionum nomini auspiciisque omnes assuetos, quos secum in patriam ad meritum triumphum deducere velit: quos consulatum petenti, velut si omnium communis agatur honos, affuturos speret. Quod ad expeditionem attineat, quae instet, immemorem esse rerum suarum gestarum, qui id bellum ducat. Magonis, hercule, 6

Mandonius et Indibilis copias contrahunt.

Oratio Scipionis ad milites.

5 *Suam quoque noxam*] Discrimen inter *noxam* et *noxiam* ita constituit Oudendorp. ad Sueton. Caes. 81. scilicet *noxiam* vere adiectivum, sub.

culpam vel *rem*, semper significare culpam, peccatum; *noxam* vero culpae poenam.

6 *Qui id bellum ducat*] Si quis

‘sibi, qui extra orbem terrarum in circumfusam Oceano U. C. 546.
 ‘insulam cum paucis perfugerit navibus, maiorem curam A. C. 206.
 ‘esse, quam Ilergetum. Quippe illic et ducem Cartha-
 ‘giniensem, et quantumcunque Punicum praesidium esse:
 ‘hic latrones, latronumque duces: quibus ut ad popu-
 ‘landos finitimorum agros, tectaque urenda, et rapienda
 ‘pecora aliqua vis sit, ita in acie ac signis collatis nullam
 ‘esse. Magis velocitate ad fugam, quam armis fretos, pu-
 ‘gnaturos esse. Itaque non, quod ullum inde periculum,
 ‘aut semen maioris belli videat, ideo se, priusquam pro-
 ‘vincia decedat, opprimendos Ilergetes duxisse: sed pri-
 ‘mum, ne impunita tam scelerata defectio esset: deinde,
 ‘ne quis in provincia, simul virtute tanta et felicitate per-
 ‘domita, relictus hostis dici posset. Proinde deis bene
 ‘iuvantibus sequerentur, non tam ad bellum gerendum,
 ‘(neque enim cum pari hoste certamen esse) quam ad ex-
 ‘petendas ab hominibus scelestis poenas.’

Ab hac oratione dimissos ad iter se comparare in diem 33.
 posterum iubet, profectusque decimis castris pervenit ad
 7 Iberum flumen. Inde, superato anni, die quarto in con-
 spectu hostium posuit castra. Campus ante montibus circa
 saeptus erat. In eam vallem Scipio quum pecora, rapta
 pleraque ex hostium agris, propelli ad irritandam feritatem
 barbarorum iussisset, velites subsidio misit. A quibus ubi
 per procursationem commissa pugna esset, Laelium cum
 equitatu impetum ex occulto facere iubet. Mons oppor-
 tune prominens equitum insidias texit: nec ulla mora
 pugnae facta est. Hispani in conspecta procul pecora, ve-
 lites in Hispanos praeda occupatos incurrere. Primo mis-
 silibus terrifavere: deinde, emissis levibus telis, quae irritare
 magis, quam decernere, pugnam poterant, gladios nudant,
 et collato pede res coepta geri est: ancepsque pedestre
 certamen erat, nisi equites supervenissent. Neque ex ad-
 verso tantum illati obvios obtrivere, sed circumvecti etiam
 quidam per infima clivi ab tergo se, ut plerosque interclu-
 derent, obiecerunt: maiorque caedes fuit, quam quantam
 edere levia per excursions proelia solent. Ira magis ac-
 censa adverso proelio barbaris est, quam imminuti animi.
 Itaque, ne percussi viderentur, prima luce postero die in
 aciem processere. Non capiebat omnes copias angusta,
 sicut ante dictum est, vallis: duae ferme peditum partes,

Hispani
praeda al-
lecti cae-
duntur.

Postero die
in aciem
descen-
dunt.

id bellum esse existimet. Neque enim, ut infra dicitur, *pari* illud est *cum hoste certamen*.

7 *Inde, superato anni, die quarto]*
 Hinc colligitur Ilergetes ad famam

adventantis Scipionis ex Sedetanorum agro in sua rediisse. Proficiscenti enim Carthagine Scipioni Sedetani cis Iberum erant, Ilergetes ultra annem. CREV.

U. C. 546. omnis equitatus in aciem descendit. Quod reliquum pe-
 A. C. 206. ditum erat, obliquo constituerunt colle. Scipio, pro se esse
 loci angustias ratus, et quod in arto pugna Romano aptior,
 quam Hispano militi, futura videbatur, et quod in eum
 locum detracta hostium acies esset, qui non omnem multi-
 tudinem eorum caperet, novo etiam consilio adiecit ani-
 mum: equitem nec se posse circumdare cornibus in tam
 angusto spatio; et hosti, quem cum pedite eduxisset,
 inutilem fore. Itaque imperat Laelio, ut per colles quam
 occultissimo itinere circumducatur equites, segregetque,
 quantum possit, equestrem a pedestri pugnam. Ipse omnia
 signa peditum in hostes vertit: quattuor cohortes in fronte
 statuit, quia latius pandere aciem non poterat. Moram
 pugnandi nullam fecit, ut ipso certamine averteret ab con-
 spectu transeuntium per colles equitum. Neque ante cir-
 cumductos sensere, quam tumultum equestris pugnae ab
 tergo accepere. Ita duo proelia erant: duae peditum acies,
 duo equitatus per longitudinem campi, quia misceri ex ge-
 nere utroque proelium angustiae non patiebantur, pugna-
 bant. Hispanorum quum neque pedes equiti, nec eques
 pediti auxilio esset, pedes fiducia equitis temere commissus
 campo caederetur, eques circumventus nec peditem a fronte,
 (iam enim stratae pedestres copiae erant) nec ab tergo
 equitem sustineret, et ipsi, quum diu in orbem sese stan-
 tibus equis defendissent, ad unum omnes caesi sunt: nec
 quisquam peditum equitumque superfuit, qui in valle pu-
 gnaverunt. Tertia pars, quae in colle ad spectaculum
 magis tutum, quam ad partem pugnae capessendam, ste-
 terat, et locum et tempus ad fugiendum habuit. Inter eos
 et reguli ipsi fugerunt; priusquam tota circumveniretur
 acies, inter tumultum elapsi. Castra eodem die Hispano-
 rum, praeter reliquam praedam, cum tribus ferme mil-
 libus hominum capiuntur. Romani sociique ad mille
 ducenti eo proelio ceciderunt: vulnerata amplius tria millia
 hominum. Minus cruenta victoria fuisset, si patientiore
 campo, et ad fugam capessendam facili foret pugnatum.

Proelium
atrox.

Vineuntur
Hispani.

34.

Mandonius
ad Scipio-
nem sup-
plex venit.

Indibilis, abiectis belli consiliis, nihil tutius in afflictis
 rebus experta fide et clementia Scipionis ratus, Mandonium
 fratrem ad eum mittit: qui, advolutus genibus, 'fatalem
 'rabiem temporis eius' accusat, 'quum velut contagione
 'quadam pestifera, non Ilergetes modo et Lacetani, sed
 'castra quoque Romana insanierint. Suam quidem et
 'fratris et reliquorum popularium eam conditionem esse,

8 *Nec peditem a fronte*] Intellige
 peditem Romanum, qui stratis, ut
 mox subiicitur, pedestribus Hispano-

rum copiis, in equitatum Hispano-
 rum verterat impetum, et cum ad-
 versa fronte impugnabat. CREV.

‘ut aut, si ita videatur, reddant spiritum P. Scipioni, ab
 9 ‘eodem illo acceptum: aut servati bis uni debitam vitam
 ‘pro eo in perpetuum devoveant. Antea in causa sua
 ‘fiduciam sibi fuisse, nondum experta clementia eius:
 ‘nunc contra, nullam in causa, omnem in misericordia
 ‘victoris spem positam habere.’ Mos vetustus erat Ro-
 1 manis, cum quo nec foedere, nec aquis legibus iungeretur
 amicitia, non prius imperio in eum tanquam pacatum uti,
 quam omnia divina humanaque dedidisset, obsides accepti,
 arma adempta, praesidia urbibus imposita forent. Scipio, Ignoscit ei
 et fratri
 Scipio. multis invec-
 tus in praesentem Mandonium absentemque
 Indibilem verbis, ‘illos quidem merito perisse ipsorum
 ‘maleficio,’ ait: ‘victuros suo atque populi Romani bene-
 ‘ficio. Ceterum, se neque arma iis adempturum, (quippe
 ‘ea pignora timentium rebellionem esse) sed libera arma
 ‘relinquere, solutosque metu animos: neque se in obsides
 ‘innoxios, sed in ipsos, si defecerint, saeviturum: nec ab
 ‘inermi, sed ab armato hoste, poenas expetiturum. Utram-
 ‘que fortunam expertis permittere sese, utrum propitios,
 ‘an iratos, habere Romanos mallent.’ Ita dimissus Man-
 donius; pecunia tantummodo imperata, ex qua stipendium
 militi praestari posset. Ipse, Marcio in ulteriorem Hispani-
 am praemisso, Silano Tarraconem remisso, paucos mo-
 ratus dies, dum imperatam pecuniam Ilergetes pernumera-
 rent, cum expeditis Marcium iam appropinquantem Oceano
 assequitur.

2 Inchoata res iam ante de Masinissa aliis atque aliis de 35.
 causis dilata erat, quod Numida cum ipso utique congregi
 Scipione volebat, atque eius dextra fidem sancire. Ea
 tum itineris tam longi ac tam devii causa Scipioni fuit.
 Masinissa quum Gadibus esset, certior adventare cum a
 Marcio factus, causando corrumpi equos inclusos in insula,
 penuriamque omnium rerum et facere ceteris, et ipsos
 sentire, ad hoc equitem marcescere desidia, Magonem per-
 pulit, ut se traicere in continentem ad depopulandos pro-
 ximos Hispaniae agros pateretur. Transgressus tres prin-
 cipes Numidarum praemittit, ad tempus locumque colloquio
 statuendum; duos pro obsidibus retineri a Scipione iubet.
 Remisso tertio, qui, quo iussus erat, adduceret Masinissam,
 cum paucis in colloquium venerunt. Ceperat iam ante
 Numidam ex fama rerum gestarum admiratio viri: substi-

Masinissae
 et Scipionis
 collo-
 quium.

9 *Bis*] Semel, quum illos a Poe-
 nis deficientes Scipio in amicitiam re-
 ceperat supr. xxvii. 17. iterum sc.
 praesenti in occasione. CREV.

1 *Cum quo nec foedere. nec aquis
 legibus*] Qui neque inter *socios*, ne-
 que inter *municipia* annumerabantur,

sed *dediticii* Romanorum erant. Ce-
 terum de formula deditiois cf. supr.
 vii. 31.

2 *Inchoata res*] Quippe Massiva
 fratris Masinissae filius a Romanis
 remissus erat. cf. supr. xxvii. 19.

U. C. 546. tueratque animo speciem quoque corporis amplam ac
 A. C. 206. magnificam. Ceterum maior praesentis veneratio cepit;
 et, praeterquam quod suapte natura multa maiestas inerat,
 adornabat promissa caesaries, habitusque corporis non cultus
 munditiis, sed virilis vere ac militaris, et aetas in medio
 virium robore; quod plenius nitidiusque ex morbo velut
 renovatus flos iuventutis faciebat. Prope attonitus ipso con-
 gressu Numida, 'gratias de fratris filio remisso agit. Ex 3
 'eo tempore,' affirmat, 'eam se quaesisse occasionem, quam
 'tandem oblatam deum immortalium beneficio non omise-
 'rit. Cupere se illi populoque Romano operam navare,
 'ita ut nemo unus externus magis enixe adiuerit rem Ro-
 'manam. Id se, etiamsi iam pridem vellet, minus praec-
 'stare in Hispania, aliena atque ignota terra, potuisse: in
 'qua autem genitus educatusque in spem paterni regni
 'esset, facile praestaturum. Siquidem eundem Scipionem
 'ducem in Africam mittant Romani, satis sperare perbrevis
 'aevi Carthaginem esse.' Lactus eum Scipio vidit audi-
 vitque; quum caput rerum in omni hostium equitatu Ma-
 sinissam fuisse sciret, et ipse iuvenis specimen animi prae-
 se ferret. Fide data acceptaque, profectus retro Tarra-
 conem est. Masinissa permissu Romanorum, ne sine causa
 traiecissem in continentem videretur, populatus proximos
 agros Gades rediit.

36.

Mago iu-
 betur in
 Italiam
 ire.

Magoni, desperatis in Hispania rebus, in quarum spem
 seditio primum militaris, deinde defectio Indibilis animos
 eius sustulerant, paranti traicere in Africam, nuntiatum ab
 Carthagine est, iubere senatum, ut classem, quam Gadibus 4
 haberet, in Italiam traiceret: conducta ibi Gallorum ac
 Ligurum quanta maxima posset iuventute, coniungeret se
 Hannibali: neu senescere bellum, maximo impetu, maiore
 fortuna coeptum, sineret. Ad eam rem et a Carthagine
 pecunia Magoni advecta est: et ipse, quantam potuit, a
 Gaditanis exegit, non aerario modo eorum, sed etiam
 templis spoliatis, et privatim omnibus coactis aurum argen-
 tumque in publicum conferre. Quum praeterveheretur
 Hispaniae oram, haud procul Carthagine Nova expositis 5
 in terram militibus, proximos depopulatus agros, inde ad

Carthagi-
 nem No-
 vam frustra
 tentat.

3 *De fratris filio remisso*] Hinc
 patrum Massivae fuisse Masinissam
 patet, verum supr. xxvii. 19. *avun-
 culus* dicitur. Quare aut librorum
 culpa quaedam exstat, aut cum I.
 Gronovio censendum est vocem
 Graecam ἀδελφιδὸς, quam in hac
 historia adhibuerit scriptor Graecus,
 Livio fraudi fuisse.

4 *Iubere senatum, ut*] Notanda
 locutio: quae, quoniam quaedam

eius exempla occurrunt, non omnino
 damnanda est; quoniam illa rara
 sunt, sobrie imitanda. Apud bonos
 Latinitatis auctores verbo *iubeo* sem-
 per fere subiungitur verbum infiniti
 modi. CREV. cf. infr. xxxii. 16.

5 *Oram*] Retinacula, quibus puppis
 litori alligabatur. Eadem hac voce
 iam usus est Livius supr. xxii. 19.
 CREV.

urbem classem appulit. Ibi quum interdiu milites in na- U. C. 546.
vibus tenuisset, nocte in litus expositos ad partem eam A. C. 206.
muri, qua capta Carthago ab Romanis fuerat, ducit: nec
praesidio satis valido urbem teneri ratus, et aliquos oppi-
danorum ad spem novandi res aliquid moturos. Ceterum
nuntii ex agris trepidi simul populationem agrestiumque
fugam et hostium adventum attulerant: et visa interdiu
classis erat, nec sine causa electam ante urbem stationem
apparebat. Itaque instructi armatique intra portam, ad
stagnum ac mare versam, continebantur. Ubi effusi hostes,
mixta inter milites navalis turba, ad muros tumultu maiore,
quam vi, subierunt, patefacta repente porta, Romani cum
clamore erumpunt: turbatosque hostes, et ad primum in-
cursum coniectumque telorum aversos, usque ad litus cum
multa caede persequuntur: nec, nisi naves litori appulsae
trepidatos accepissent, superfuisset pugnae aut fugae quis-
quam. In ipsis quoque trepidatum navibus est, dum, ne
hostes cum suis simul irrumperent, trahunt scalas, orasque
et ancoras, ne in moliendo mora esset, praecidunt: mul-
tisque amantes navibus, incerto prae tenebris, quid aut pe-
terent aut vitarent, foede interierunt. Postero die quum
classis inde retro ad Oceanum, unde venerat, fugisset, ad
octingenti homines caesi inter murum litusque, et ad duo
millia armorum inventa.

- 6 Mago, quum Gades repetisset, exclusus inde, ad Cimbim 37.
(haud procul a Gadibus is locus abest) classe appulsa, mit- Gades re-
tendis legatis, querendoque, quod portae sibi socio atque petit, unde
7 amico clausae forent, purgantibus iis, multitudinis concursu excluditur.
factum, infestae ob direpta quaedam abs conscendentibus
8 naves militibus, ad colloquium suffetes eorum, qui summus
Poenis est magistratus, cum quaestore elicit, laceratosque
verberibus cruci affigi iussit: inde navibus ad Pityusam
insulam, centum millia ferme a continenti, (Poeni tum eam
incolebant) traiecit. Itaque classis bona cum pace accepta
est, nec commeatus modo benigne praebiti, sed in supple-
mentum classis iuventus armaque data. Quorum fiducia
Poenus in Baliares insulas (quinquaginta inde millia

6 *Ad Cimbim*] Nomen loci parum notum, vel fortasse depravatum. CR.

7 *Purgantibus iis*] Purgandi seipsos sive excusandi causa dicentibus.

8 *Suffetes eorum*] Nempe et Gaditani Poeni erant, id est, e Phoenicia oriundi. Gades enim colonia Tyriorum erat. Suffetes lingua Punica sunt indices. CREV. *Sufetes* legendum censet Sigonius, cuius sententiae favent Scaliger ad Festum v. *Sufes*. qui eam vocem ab Hebraeo *sophim*

deducit, et Bochart. *Canaan*. i. 14. a voce *sophetim*. Ceterum hi duo magistratus annui erant, qui aut *reges*, Arist. *Pol.* ii. 11. Corn. Nep. in vita Hannib. 7. aut *consules* infr. xxx. 7. aut *iudices* infr. xxxiv. 61. vocantur, quemadmodum ap. Cic. de Legg. iii. 4. legimus, *Regio imperio duo sunt: iique praeuendo, iudicando, consulendo, praetores, iudices, consules appellantur.*

U. C. 546. absunt) transmisit. Duae sunt Baliares insulae, maior A. C. 206. altera atque opulentior armis virisque: et portum habet, Transmittit in Baliares insulas. ubi commode hibernaturum se (et iam extremum auctumni erat) credebat. Ceterum, haud secus quam si Romani eam insulam incolerent, hostiliter classi occursum est. Fundis ut nunc plurimum, ita tunc solo eo telo utebantur: nec quisquam alterius gentis unus tantum ea arte, quantum inter alios omnes Baliares excellunt. Itaque tanta vis lapidum creberrimae grandinis modo in propinquantem iam terrae classem effusa est, ut, intrare portum non ausi, averterent in altum naves. In minorem inde Baliarium insulam traiecerunt, fertilem agro; viris, armis haud aequae validam. Itaque egressi navibus supra portum loco munito castra locant: ac, sine certamine urbe agroque potiti, duobus millibus auxiliarium inde conscriptis, missisque Carthaginem, ad hibernandum naves subdlexerunt. Post Magonis ab Oceani ora discessum, Gaditani Romanis deduntur.

38. Haec in Hispania P. Scipionis ductu auspicioque gesta. Scipio Romam rediit. Ipse, L. Lentulo et L. Manlio Acidino provincia tradita, decem navibus Romam rediit; et, senatu extra urbem dato in aede Bellonae, quas res in Hispania gessisset, disseruit: quoties signis collatis dimicasset, quot oppida ex hostibus vi cepisset, quas gentes in ditionem populi Romani rede-gississet. 'Adversus quattuor se imperatores, quattuor victores exercitus in Hispaniam isse: neminem Carthaginiensem in iis terris reliquisse.' Ob has res gestas magis tentata est triumphi spes, quam petita pertinaciter; quia neminem ad eam diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat. Senatu misso, urbem est ingressus, argentique prae se in aerarium tulit quattuordecim millia pondo trecenta quadraginta duo, et signati argenti magnum numerum. Comititia inde creandis consulibus habuit L. Veturius Philo: centuriaeque omnes ingenti favore P. Scipionem consulem dixerunt. Collega

9 *Inter alios omnes*] *Alias*, sub. gentes, legendum mavult Gronov.

1 *Haec . . . P. Scipionis ductu auspicioque gesta*] Minus proprie hic loquitur Livius. Qui enim praetores vel proconsules sine magistratu imperium habebant, nulla habebant auspicia, ut constat ex Cic. de Divin. ii. 76. Vid. Perizonium Animadv. Hist. 7. Semel iam abusus est hac locutione Livius, supr. viii. 31. CREV.

2 *L. Lentulo et L. Manlio Acidino*] Qui cum proconsulari imperio in Hispaniam missi fuerant, ut apparet infr. xxix. 13. CREV.

3 *Qui sine magistratu res gessisset*]

Scipio proconsul in Hispania rem gesserat. Proconsulatus autem imperium erat, non magistratus. Magistratus enim erat tantummodo dictatorum, consulum, praetorum, etc. imperium, eius quicumque rei militaris administrandae ius a populo acceperat. Porro multi iam imperatores, exemplo orto a Q. Publilio Philone, de quo vid. nostrum, supr. viii. 26. ob res prorogato post exactum magistratum imperio gestas triumphaverant. At nemo ad hanc diem triumphi honorem impetraverat, qui privatus cum imperio missus esset ad res gerendas. CREV.

additur ei P. Licinius Crassus pontifex maximus. Ceterum, U. C. 546.
comitia maiore, quam ulla per id bellum, celebrata fre- A. C. 206.
quentia, proditum memoriae est. Convenerant undique
non suffragandi modo, sed etiam spectandi causa P. Sci-
pionis: concurrebantque et domum frequentes, et in Capi-
tolum ad immolantem eum, quum centum bubus votis in
Hispania Iovi sacrificaret: spondebantque animis, sicut
C. Lutatius superius bellum Punicum finisset, ita id, quod
instaret, P. Cornelium finiturum; atque, ut Hispania omni
Poenos expulisset, sic Italia pulsura esse: Africamque
ei, perinde ac debellatum in Italia foret, provinciam desti-
nabant. Praetoria inde comitia habita. Creati duo, qui
tum aediles plebis erant, Sp. Lucretius et Cn. Octavius, et
ex privatis Cn. Servilius Caepio et L. Aemilius Papus.

Quarto decimo anno Punici belli P. Cornelius Scipio et U. C. 547.
P. Licinius Crassus ut consulatum inierunt, nominatae con- A. C. 205.
sulibus provinciae sunt, Sicilia Scipioni extra sortem, con- P. Corne-
cedente collega, quia sacrorum cura pontificem maximum lio, P. Li-
in Italia retinebat; Bruttii Crasso. Tum praetoriae pro- cinio Coss.
vinciae in sortem coniectae. Urbana Cn. Servilio obtigit, Provincia-
Ariminum (ita Galliani appellabant) Sp. Lucretio, Sicilia L. rum divi-
Aemilio, Cn. Octavio Sardinia. sio.

Senatus in Capitolio habitus. Ibi, referente P. Scipione,
senatusconsultum factum est, ut, quos ludos inter seditio-
nem militarem in Hispania vovisset, ex ea pecunia, quam
ipse in aerarium detulisset, faceret. Tum Saguntinorum 39.
legatos in senatum introduxit. Ex iis maximus natu: Legatorum
‘Etsi nihil ultra malorum est, Patres conscripti, quam Saguntino-
‘quod passi sumus, ut ad ultimum fidem vobis praestare- rum in se-
‘mus; tamen ea vestra merita, imperatorumque vestrorum natu ora-
‘erga nos fuerunt, ut nos cladum nostrarum non poeniteat. tio.
‘Bellum propter nos suscepistis: susceptum quantum deci-
‘mum annum tam pertinaciter geritis, ut saepe ad ulti-
‘mum discrimen et ipsi veneritis, et populum Cartha-
‘giniensem adduxeritis. Quum in Italia tam atrox bellum
‘et Hannibalem hostem haberetis, consulem cum exercitu
‘in Hispaniam, velut ad colligendas reliquias naufragii
‘nostri, misistis. P. et Cn. Cornelii, ex quo in provin-
‘ciam venerunt, nullo tempore destiterunt, quae nobis se-
‘cunda, quaeque adversa hostibus nostris essent, facere.
‘Iam omnium primum oppidum nobis restituerunt: per
‘omnem Hispaniam cives nostros venundatos, dimissis,

4 *Consulem cum exercitu*] P. Scipionem, cui primo Hispania decreta provincia fuerat, infr. xxi. 17. quique, ob inexpectatam Hannibalis celeritatem, aversus a cursu Cn. Scipionem

fratrem pro se cum exercitu in Hispaniam misit. CREV.

5 *Oppidum nobis restituerunt*] cf. Supr. xxiv. 42.

U. C. 547. 'qui conquirerent, ex servitute in libertatem restituerunt.
 A. C. 205. 'Quum iam prope esset, ut optabilem ex miserrima fortu-
 'nam haberemus; P. et Cn. Cornelii imperatores vestri
 'luctuosius nobis quoque, quam vobis, perierunt. Tum 6
 'vero ad hoc retracti ex distantibus locis in sedem anti-
 'quam videbamur, ut iterum periremus, et alterum exci-
 'dium patriae videremus; nec ad perniciem nostram Car-
 'thaginiensi utique aut duce aut exercitu opus esse: ab
 'Turdulis nos veterrimis hostibus, qui prioris quoque ex-
 'cidii causa nobis fuerant, exstingui posse: quum ex in-
 'sperato repente misistis nobis P. hunc Scipionem; quem,
 'fortunatissimi omnium Saguntinorum videmur, quia con-
 'sulem declaratum videmus, ac vidisse nos civibus nostris
 'renuntiaturi sumus, spem omnem salutemque nostram:
 'qui, quum plurimas hostium vestrorum cepisset in Hispa-
 'nia urbes, ubique ex captorum numero excretos Sagunti-
 'nos in patriam remisit; postremo Turdetaniam, adeo in-
 'festam nobis, ut illa gente incolumi stare Saguntum non
 'posset, ita bello afflixit, ut non modo nobis, (absit verbo 7
 'invidia) ne posteris quidem timenda nostris esset. Dele-
 'tam urbem cernimus eorum, quorum in gratiam Sagun-
 'tum deleverat Hannibal: vectigal ex agro eorum capimus,
 'quod nobis non fructu iucundius est, quam ultione. Ob 8
 'haec, quibus maiora neque sperare, neque optare ab diis
 'immortalibus poteramus, gratias actum nos decem legatos
 'Saguntinus senatus populusque ad vos misit: simul gra-
 'tulatum, quod ita res hos annos in Hispania atque Italia
 'gessistis, ut Hispaniam non Ibero amne tenus, sed qua
 'terrarum ultimas finit Oceanus, domitam armis habeatis:
 'Italiae, nisi quatenus vallum castrorum cingit, nihil reli-
 'queritis Poeno. Iovi optimo maximo, praesidi Capitoli-
 'nae arcis, non grates tantum ob haec agere iussi sumus,
 'sed donum hoc etiam, si vos permetteretis, coronam au-
 'ream in Capitolium victoriae ergo ferre. Id uti permit-
 'tatis, quaesumus: utique, si vobis ita videtur, quae nobis
 'imperatores vestri commoda tribuerunt, ea rata atque per-
 'petua auctoritate vestra faciatis.' Senatus legatis Sagun-
 'tinis respondit, 'Et dirutum et restitutum Saguntum fidei

6 *Nobis quoque*] Vocem *quoque* quam pro vulg. *prope* reponendam suadet Crevier. unciolis inclusit Bekker. Ceterum noster intelligit interitum Scipionum non modo fortunam Saguntinorum praesentiori periculo obnoxiam fecisse, sed luctum illis quoque, ut qui beneficia tanta experti essent, maiorem quam Romanis movisse.

7 *Absit verbo invidia*] Scilicet nobis felicitatem nostram gratulantibus absit tam Deorum, quam hominum invidia.

8 *Quod nobis non fructu*] Codices *non tam fructu*. Gronovius corrigit *non iam fructu*, quem auctorem secutus est Bekker. Verum et *iam* hic supervacaneum esse iudicat Crevier.

'socialis utrimque servatae documentum omnibus gentibus
 'fore. Suos imperatores recte, et ordine, et ex voluntate
 'senatus fecisse, quod Saguntum restituerint, civesque Sa-
 'guntinos servitio exemerint: quaeque alia iis benigne fe-
 'cerint, ea senatum ita voluisse fieri. Donum permittere,
 9 'ut in Capitolio ponerent.' Locus inde lautique legatis
 praeberi iussa, et muneris ergo in singulos dari ne minus
 dena millia aeris. Legationes deinde ceterae in senatum
 introductae, auditaque. Et petentibus Saguntinis, ut, qua-
 tenus tuto possent, Italiam spectatum irent, duces dati, lite-
 raeque per oppida missae, ut Hispanos comiter acciperent.
 1 Tum de republica, de exercitibus scribendis, de provin-
 ciis relatum. Quum Africam novam provinciam extra sor-
 tem P. Scipioni destinari homines fama ferrent, et ipse,
 nulla iam modica gloria contentus, non ad gerendum modo
 bellum, sed ad finiendum, diceret se consulem declaratum
 esse: neque aliter id fieri posse, quam si ipse in Africam
 exercitum transportaret, et, acturum se id per populum,
 aperte ferret, si senatus adversaretur; id consilium haud-
 2 quaquam primoribus Patrum quum placeret, ceterique per
 metum aut ambitionem mussarent; Q. Fabius Maximus
 rogatus sententiam, 'Scio,' inquit, 'multis vestrum videri,
 3 'Patres conscripti, rem actam hodierno die agi, et frustra
 'habiturum orationem, qui, tanquam de integra re, de
 'Africa provincia sententiam dixerit. Ego autem primum
 'illud ignoro, quemadmodum iam certa provincia Africa
 'consulis, viri fortis ac strenui, sit, quam nec senatus cen-
 'suit in hunc annum provinciam esse, nec populus iussit.
 'Deinde, si est, consulem peccare arbitror, qui, de re trans-
 4 'acta simulando se referre, senatum ludibrio habet, non
 'senatorem modo, qui, de quo consulitur, suo loco dicit
 'sententiam. Atque ego certum habeo, dissentienti mihi
 'ab ista festinatione in Africam traiciendi, duarum rerum
 'subeundam opinionem esse: unius, insitae ingenio meo
 'cunctationis; quam metum pigritiamque homines adoles-
 'centes sane appellent, dum ne poeniteat, adhuc aliorum
 'speciosiora primo aspectu consilia semper visa, mea usu
 'meliora: alterius, obtrectationis atque invidiae adversus

U. C. 547.

A. C. 205.

40.

Scipio A-
fricam pro-
vinciam
destinat
sibi.Adversatur
ei Fabius.

9 *Locus inde lautique*] *Locus*, in quo habitarent. *Lautia* sunt ea quae dabantur legatis hospitii gratia, maxime ad victum pertinentia. CREV.

1 *Tum de republica*] Hoc loco et in iis quae sequuntur rem de provinciis fusius exsequitur noster, quam in cap. praeced. breviter indicaverat.

2 *Per metum aut ambitionem mussarent*] Cunctarentur loqui et postulatis Scipionis adversari, sive per me-

tum, sive etiam per studium captandae consulis, quem clarum et potentem videbant, gratiae. CREV.

3 *Rem actam . . . agi*] Deliberari de eo quod iam certum statutumque sit.

4 *Non senatorem modo*] Particulam *modo* ut supervacaneam unciolis inclusit Bekker, neque desiderium nobis moveret, si eiceretur, sed in codd. et edd. tantum non omnibus exstat.

- U. C. 547. 'crescentem in dies gloriam fortissimi consulis. A qua
 A. C. 205. 'suspensione si me neque vita acta et mores mei, neque
 'dictatura cum quinque consulatibus, tantumque gloriae
 'belli domique partae vindicat, ut propius fastidium eius
 'sim, quam desiderium; aetas saltem liberet. Quae enim
 'mihi aemulatio cum eo esse potest, qui ne filio quidem
 'meo aequalis sit? Me dictatorem, quum vigerem adhuc
 'viribus, et in cursu maximarum rerum essem, recusantem
 'nemo aut in senatu, aut ad populum audit, quo minus
 'insectanti me magistro equitum, quod fando nunquam
 'ante auditum erat, imperium mecum aequaretur. Rebus,
 'quam verbis, assequi malui, ut, qui aliorum iudicio mihi
 'comparatus erat, sua mox confessione me sibi praeferret: 5
 'nedum ego, perfunctus honoribus, certamina mihi atque
 'aemulationes cum adolescente florentissimo proponam:
 'videlicet ut mihi iam vivendo, non solum rebus gerendis
 'fesso, si huic negata fuerit, Africa provincia decernatur.
 'Cum ea gloria, quae parta est, vivendum atque morien-
 'dum est. Vincere ego prohibui Hannibalem, ut a vobis,
 41. 'quorum vigent nunc vires, etiam vinci posset. Illud te
 'mihi ignoscere, P. Corneli, aequum erit, si, quum in me
 'ipso nunquam pluris famam hominum, quam rempubli-
 'cam, fecerim, ne tuam quidem gloriam bono publico prae-
 'ponam. Quanquam, si aut bellum nullum in Italia, aut
 'is hostis esset, ex quo victo nihil gloriae quaereretur, qui
 'te in Italia retineret, etsi id bono publico faceret, simul
 'cum bello materiam gloriae tuae isse creptum videri pos-
 'set. Quum vero Hannibal hostis incolumi exercitu quar-
 'tum decimum annum Italiam obsideat, poenitebit te, P.
 'Corneli, gloriae tuae, si hostem eum, qui tot funerum, tot
 'cladium nobis causa fuit, tu consul Italia expuleris, et,
 'sicut penes C. Lutatium prioris Punici perpetrati belli
 'titulus fuit, ita penes te huius fuerit? Nisi aut Hamilcar 6
 'Hannibali dux est praeferendus, aut illud bellum huic,
 'aut victoria illa maior clariorque, quam haec, (modo con-
 'tingat, ut te consule vincamus) futura est. Ab Drepanis
 'atque Eryce detraxisse Hamilcarem, quam Italia expulisse 7
 'Poenos atque Hannibalem, malis? Ne tu quidem, etsi
 'magis partam, quam speratam, gloriam amplecteris, His-
 'pania potius, quam Italia, bello liberata gloriatus fueris.
 'Nondum is est Hannibal, quem non magis timuisse videar-
 'tur, quam contempsisse, qui aliud bellum maluerit. Quin

5 *Comparatus erat*] sc. Compar factus, comparatione aequatus.

6 *Hamilcar*] Quo tandem ad de-
 ditionem compulso, confecti primi Pu-
 nici belli gloriam sibi Lutatius vin-

dicaverat.

7 *Eryce detraxisse*] Quippe in eo
 monte vim artesque Romanorum per
 duos continuos annos eluserat Hamil-
 car.

8 'igitur ad hoc accingeris, nec per istos circuitus, ut, quum U. C. 547.
 'in Africam traieceris, secuturum te illuc Hannibalem A. C. 205.
 'speres, potius, quam recto hinc itinere, ubi Hannibal est,
 'eo bellum intendis? Egregiam istam palmam belli Pu-
 'nici patrati petis? Hoc et natura prius est, tua quum de-
 'fenderis, aliena ire oppugnatum. Pax ante in Italia,
 'quam bellum in Africa sit: et nobis prius decedat timor,
 'quam ultro aliis inferatur. Si utrumque tuo ductu auspi-
 'cioque fieri potest, Hannibale hic vieto, illic Carthaginem
 9 'expugna. Si altera utra victoria novis consulibus relin-
 'quenda est; prior quum maior clariorque, tum causa
 'etiam insequentis fuerit. Nam nunc quidem, praeter-
 'quam quod et in Italia et in Africa duos diversos exerci-
 'tus alere aerarium non potest; praeterquam quod, unde
 'classes tucamur, unde conmeatibus praebendis sufficiamus,
 'nihil reliqui est; quid? periculi tandem quantum
 'adeatur, quem fallit? P. Licinius in Italia, P. Scipio
 1 'bellum in Africa geret. Quid? si (quod omnes dii omen
 'avertant, et dicere etiam reformidat animus; sed, quae
 'acciderunt, accidere possunt) et victor Hannibal ire ad
 'urbem pergat; tum demum te consulem ex Africa, sicut
 'Q. Fulvium a Capua, arcessemus? Quid? quod in Africa
 'quoque Mars communis belli erit? Domus tibi tua, pater
 'patruusque, intra triginta dies cum exercitibus caesi, docu-
 'mento sint; ubi per aliquot annos, maximis rebus terra
 'marique gerendis, amplissimum nomen apud exterarum gentes
 'populi Romani vestraeque familiae fecerant. Dies me
 'deficiat, si reges imperatoresque, temere in hostium terras
 'transgressos cum maximis cladibus suis exercituumque suo-
 'rum, numerare velim. Athenienses, prudentissima civitas,
 2 'bello domi relicto, auctore aeque impigro ac nobili iuvene,
 'magna classe in Siciliam transmissa, una navali pugna
 'florentem rempublicam suam in perpetuum afflixerunt.
 'Externa et nimis antiqua repeto. Africa eadem ista et
 3 'M. Atilius, insigne utriusque fortunae exemplum, nobis
 'documento sint. Nae tibi, P. Corneli, quum ex alto
 'Africam conspexeris, ludus et iocus fuisse Hispaniae tuae
 'videbuntur. Quid enim simile? pacato mari praeter

42.

8 *Per istos circuitus*] Consiliorum, vel rationis rei gerendae.

9 *Altera utra*] Pro vulg. *alterutra*. Certe sic interdum amarunt loqui veteres. cf. Varro. de L. L. viii. 21. *non cito invenietur quin in altera utra re claudicet*.

1 *Quid? si ... et victor Hannibal*] Et, id est, etiam: nisi forte haec particula recidenda est. Et abesse eam ab suo codice Rhenanus testatur, ab

uno e suis Hearnius. CREV.

2 *Auctore ... nobili iuvene*] Alcibiadem noster intelligit. cf. Thucyd. vi. 15. Ceterum *una navali pugna* oratorice dicitur, quo magis audientibus periculum praesentius sit.

3 *Utriusque fortunae*] Qui post res primum adversus Poenos eventum laetissimo gestas, mox a Xanthippo, duce Lacedaemonio, victus et captus est.

U. C. 547. 'oram Italiae Galliaeque vectus Emporias, in urbem socio-
 A. C. 205. 'rum, classem appulisti: expositos milites, per tutissima
 'omnia, ad socios et amicos populi Romani Tarraconem
 'duxisti: ab Tarracone deinde iter per praesidia Romana:
 'circa Iberum exercitus patris patruique tui, post amissos
 'imperatores ferociore et calamitate ipsa: dux tumultuarius
 'quidem ille L. Marcius, et militari suffragio ad tempus
 'lectus, ceterum, si nobilitas ac iusti honores adornarent, 4
 'claris imperatoribus qualibet arte belli par: oppugnata per
 'summum otium Carthago, nullo trium Punicorum exerci-
 'tuum socios defendente. Cetera, neque ea clevo, nullo
 'tamen modo Africæ bello comparanda; ubi non portus
 'ullus classi nostrae apertus, non ager pacatus, non civitas
 'socio, non rex amicus, non consistendi usquam locus, non
 'procedendi. Quacunque circumspexeris, hostilia omnia
 'atque infesta. An Syphaci Numidisque credis? satis sit
 'semel creditum. Non semper temeritas est felix: et fraus
 'fidem in parvis sibi praestruit, ut, quum operae pretium
 'sit, cum mercede magna fallat. Non hostes patrem pa-
 'truumque tuum armis prius, quam Celtiberi socii fraude,
 'circumvenerunt: nec tibi ipsi a Magonem et Hasdrubale,
 'hostium ducibus, quantum ab Indibili et Mandonio in
 'fidem acceptis, periculi fuit. Numidis tu credere potes,
 'defectionem militum tuorum expertus? Et Syphax et
 'Masinissa se, quam Carthaginienses, malunt potentes in
 'Africa esse: Carthaginienses, quam quemquam alium.
 'Nunc illos acumlatio inter sese et omnes causae certami-
 'num acuunt, quia procul externus metus est. Ostende
 'Romana arma, exercitum alienigenam; velut ad com- 5
 'mune restinguendum incendium concurrent. Aliter iidem
 'illi Carthaginienses Hispaniam defenderunt: aliter moe-
 'nia patriae, templa deum, aras et focos, defendent; quum
 'euntes in proclium pavida prosequetur coniux, et parvi
 'liberi occursabunt. Quid porro? Si satis confisi Cartha-
 'ginienses consensu Africae, fide sociorum regum, mocni-
 'bus suis, quum tuo exercitusque tui praesidio nudatam
 'Italiam viderint, ipsi ultro novum exercitum in Italiam
 'aut ex Africa miserint; aut Magonem, quem, a Baliari-
 'bus classe transmissa, iam praeter oram Ligurum Alpino-
 'rum vectari constat, Hannibali se coniungere iusserint?
 'Nempe in eodem terrore erimus, in quo nuper fuimus,
 'quum Hasdrubal in Italiam transcendit: quem tu, qui non
 'solum Carthaginem, sed omnem Africam, exercitu tuo es

4 *Iusti honores*] Honores imperatori convenientes et legitimo modo mandati.

5 *Ad ... incendium concurrent*]

Eadem sententia occurrit apud Cic. Philipp. x. 10, et apud Iustin. i. 7. v. 1. DRÆK.

'clausurus, e manibus tuis in Italiam emisisti. Victum a U. C. 547.
 'te dices: eo quidem minus vellem, et id tua, non rei- A. C. 205.
 'publicae solum, causa, iter datum victo in Italiam esse.
 'Patere, nos omnia, quae prospera tibi ac populi Romani
 'imperio evenere, tuo consilio assignare; adversa casibus
 6 'incertis belli et fortunae delegare. Quo melior fortiorque
 'es, eo magis talem praesidem sibi patria atque universa
 'Italia retinet. Non potes ne ipse quidem dissimulare,
 'ubi Hannibal sit, ibi caput atque arcem huius belli esse:
 'quippe qui prae te feras, eam tibi causam traiciendi in
 'Africam esse, ut Hannibalem eo trahas. Sive igitur hic,
 'sive illic, cum Hannibale est tibi futura res. Utrum ergo
 'tandem firmior eris in Africa solus, an hic, tuo collegae-
 'que tui exercitu coniuncto? ne Claudius quidem et Li-
 7 'vius consules tam recenti exemplo, quantum id intersit,
 'documento sunt? Quid? Hannibalem utrum tandem
 'extremus angulus agri Bruttii, frustra iam diu poscentem
 'ab domo auxilia, an propinqua Carthago et tota socia
 'Africa potentior armis virisque faciet? Quod istud
 'consilium est, ibi malle decernere, ubi tuae dimidio mi-
 'nores copiae sint, hostium multo maiores, quam ubi duo-
 'bus exercitibus adversus unum, tot proeliis et tam diu-
 'turna et gravi militia fessum, pugnandum sit? Quam
 'compar consilium tuum parentis tui consilio sit, reputa.
 'Ille, consul profectus in Hispaniam, ut Hannibali ab Al-
 'pibus descendenti occurreret, in Italiam ex provincia re-
 'diit: tu, quum Hannibal in Italia sit, relinquere Italiam
 'paras; non quia reipublicae id utile, sed quia tibi amplum
 'et gloriosum censes esse: sicut quum, provincia et exer-
 'citu relicto, sine lege, sine senatusconsulto, duabus navi-
 'bus populi Romani imperator fortunam publicam et ma-
 'iestatem imperii, quae tum in tuo capite periclitabantur,
 'commisisti. Ego P. Cornelium, Patres conscripti, rei-
 'publicae nobisque, non sibi ipsi privatim creatum consu-
 'lem existimo: exercitusque ad custodiam urbis atque Ita-
 'liae scriptos esse, non quos regio more per superbiam
 'consules, quo terrarum velint, traiciant.'

Quum oratione ad tempus parata Fabius, tum auctoritate 43.
 et inveterata prudentiae fama, magnam partem senatus, et
 seniores maxime, movisset, pluresque consilium senis, quam
 animum adolescentis ferocem, laudarent; Scipio ita locutus
 fertur: 'Et ipse Q. Fabius principio orationis, Patres con-
 'scripti, commemoravit, in sententia sua posse obtrectatio-
 'nem suspectam esse. Cuius ego rei non tam ipse ausim

Fabio re-
 spondet
 Scipio.

6 *Fortunae delegare*] Ita Gronov. coniunctis res gerantur. cf. supr.
 pro vulg. *legare* emendavit. xxvii. 49.

7 *Quantum id intersit*] Ut viribus

U. C. 547. 'tantum virum insimulare, quam ea suspicio, vitio orationis,
 A. C. 205. 'an rei, haud sane purgata est. Sic enim honores suos et
 'famam rerum gestarum extulit verbis, ad extinguendum
 'invidiae crimen, tanquam mihi ab infimo quoque pericu-
 'lum sit, ne mecum aemuletur: et non ab eo, qui, quia
 'super ceteros excellat, quo me quoque niti non dissimulo,
 'me sibi aequari nolit. Sic senem se perfunctum honori-8
 'bus, et me infra aetatem filii etiam sui posuit; tanquam
 'non longius, quam quantum vitae humanae spatium est,
 'cupiditas gloriae extendatur, maximaque pars eius in me-
 'moriā ac posteritatem promineat. Maximo cuique id
 'accidere animo certum habeo, ut se non cum praesentibus
 'modo, sed cum omnis aevi claris viris, comparent. Equi-
 'dem haud dissimulo, me tuas, Q. Fabi, laudes non asse-
 'qui solum velle, sed, (bona venia tua dixerim) si possim,
 'etiam exsuperare. Illud nec tibi in me, neu mihi in mino-9
 'ribus natu animi sit, ut nolumus, quemquam nostri similem
 'evadere civem. Id enim non eorum modo, quibus invi-
 'derimus, sed reipublicae, et paene omnis generis humani,
 'detrimentum sit. Commemoravit, quantum essem periculi
 'aditurus, si in Africam traicerem: ut meam quoque, non
 'solum reipublicae et exercitus, vicem videretur sollicitus.
 'Unde haec repente cura de me exorta? Quum pater pa-
 'triusque meus interfecti, quum duo exercitus eorum
 'prope occisione occisi essent, quum amissae Hispaniae,
 'quum quattuor exercitus Poenorum, quattuorque duces
 'omnia metu armisque tenerent, quum quaesitus ad id
 'bellum imperator nemo se ostenderet, praeter me, nemo
 'profiteri nomen ausus esset, quum mihi quattuor et viginti
 'annos nato detulisset imperium populus Romanus; quid
 'ita tum nemo aetatem meam, vim hostium, difficultatem
 'belli, patris patruique recentem cladem commemorabat?
 'Utrum maior aliqua nunc in Africa calamitas accepta est,
 'quam tunc in Hispania erat? An maiores nunc sunt exer-
 'citus in Africa, duces plures melioresque, quam tunc in
 'Hispania fuerunt? An aetas mea tunc maturior bello ge-
 'rendo fuit, quam nunc est? An cum Carthaginensi hoste
 'in Hispania, quam in Africa, bellum geri aptius est?
 'Facile est, post fusos fugatosque quattuor exercitus Puni-
 'cos, post tot urbes vi captas, aut metu subactas in ditionem,

8 *Perfunctum honoribus*] Voem
honoribus quam Sigonius ex veterum
 librorum fide restituit, omisit Bekker.
 Sed *perfunctum* nude et absolute po-
 situm vix admittendum esse censet
 Crevier.

9 *Neu mihi in minoribus natu*]
 Hoc genus loquendi haud raro apud

nostrum legentibus obversatur. ef.
 supr. iii. 17. v. 36. viii. 31. Eodem
 modo *facere in aliquo* pro in eum
 statuere, infr. xxxiv. 32. *Minores*
 emendandum censet Crevier, sed
 Drakenb. in sententiam eius minime
 accedit.

'post perdomita omnia usque ad Oceanum, tot regulos, tot U. C. 547.
 'saevas gentes, post receptam totam Hispaniam, ita ut ve- A. C. 205.
 'stigium nullum belli reliquum sit, elevare meas res gestas:
 'tam, hercule, quam, si victor ex Africa redierim, ea ipsa
 'elevare, quae nunc, retinendi mei causa, ut terribilia
 'eadem videantur, verbis extolluntur. Negat aditum esse
 'in Africam, negat ullos patere portus. M. Atilium captum
 'in Africa commemorat; tanquam M. Atilius primo accessu
 'ad Africam offenderit: neque recordatur, illi ipsi tam in-
 'felici imperatori patuisse tamen portus Africae, et res
 'egregias primo anno gessisse, et, quantum ad Carthagini-
 'enses duces attinet, invictum ad ultimum permansisse.
 'Nihil igitur me isto tu exemplo terrueris: si hoc bello,
 1 'non priore, si nuper, et non annis ante quinquaginta, ista
 'clades accepta foret, qui ego minus in Africam, Regulo
 'capto, quam, Scipionibus occisis, in Hispaniam traicerem?
 'Nec felicius Xanthippum Laedaemonium Carthagini,
 'quam me patriae meae sincerem natum esse: cresceretque
 'mihi ex eo ipso fiducia, quod possit in hominis unius vir-
 'tute tantum momenti esse. At etiam Athenienses audi-
 'endi sunt, temere in Siciliam, omisso domi bello, trans-
 'gressi. Cur ergo, quoniam Graecae fabulas enarrare va-
 2 'cat, non Agathoclem potius, Syracusanum regem, quum
 'diu Sicilia Punico bello ureretur, transgressum in hanc
 'eandem Africam, avertisse eo bellum, unde venerat, refers?
 'Sed quid, ultro metum inferre hosti, et ab se remoto peri- 44.
 'culo alium in discrimen adducere, quale sit, veteribus ex-
 'ternisque exemplis admonere opus est? Maius praesenti-
 'usve ullum exemplum esse, quam Hannibal, potest?
 'Multum interest, alienos populere fines, an tuos uri, ex-
 'scindi, videas. Plus animi est inferenti periculum, quam
 'propulsanti. Ad hoc maior ignotarum rerum est terror:
 'bona malaque hostium ex propinquo ingressus fines aspi-
 'cias. Non speraverat Hannibal fore, ut tot in Italia
 'populi ad se deficerent, quot defecerunt post Cannensem
 'cladem; quanto minus quicquam in Africa Carthaginien-
 'sibus firmum ac stabile sit, infidis sociis, gravibus ac
 'superbis dominis? Ad hoc nos, etiam deserti ab sociis,
 'viribus nostris, milite Romano, stetimus. Carthaginensi
 'nihil civilis roboris est: mercede paratos milites habent,
 'Afros Numidasque, levissima fidei mutandae ingenia.

1 Non annis ante quinquaginta] Ita Perizonius pro vulg. *quadraginta*. Ceterum captum an. U. C. 498. M. Atilium fuisse tradunt historici, unde *quadraginta* minime admittendum esse liquet.

2 Agathoclem... Syracusanum regem] Hoc felicissimae audaciae consilium plenius enarratum reperies apud Iustin. xxii. et imprimis apud Diodor. xx. CREV.

U. C. 547. 'Hic modo nihil morae sit, una et traiecissem me audietis, et
 A. C. 205. 'ardere bello Africam, et molientem hinc Hannibalem, et
 'obsideri Carthaginem. Laetiores et frequentiores ex
 'Africa exspectate nuntios, quam ex Hispania accipiebatis.
 'Has mihi spes subiicit fortuna populi Romani, dii foederis
 'ab hoste violati testes, Syphax et Masinissa reges: quo-³
 'rum ego fidei ita innitar, ut bene tutus a perfidia sim.
 'Multa, quae nunc ex intervallo non apparent, bellum
 'aperiet: et id est viri et ducis, non deesse fortunae praebenti
 'se, et oblata casu flectere ad consilium. Habebo, Q.
 'Fabi, parem, quem das, Hannibalem; sed illum potius
 'ego traham, quam ille me retineat. In sua terra cogam
 'pugnare eum, et Carthago praemium victoriae erit, quam
 'semiruta Bruttiorum castella. Ne quid interim, dum
 'traicio, dum expono exercitum in Africa, dum castra ad
 'Carthaginem promoveo, respublica hic detrimenti capiat,
 'quod tu, Q. Fabi, quum victor tota Italia volitaret Han-
 'nibal, potuisti praestare, hoc vide ne contumeliosum sit,
 'concusso iam et paene fracto Hannibale, negare, posse P.
 'Licinium consulem, virum fortissimum, praestare: qui, ne⁴
 'a sacris absit pontifex maximus, ideo in sortem tam longin-
 'quae provinciae non venit. Si, hercule, nihilo maturius
 'hoc, quo ego censeo, modo perficeretur bellum; tamen ad
 'dignitatem populi Romani, famamque apud reges gentes-
 'que externas pertinebat, non ad defendendam modo Ita-
 'liam, sed ad inferenda etiam Africae arma, videri vobis
 'animum esse; nec hoc credi vulgarique, quod Hannibal
 'ausus sit, neminem ducem Romanorum audere; et priore
 'Punico bello, tum quum de Sicilia certaretur, toties Afri-
 'cam ab nostris exercitibusque et classibus oppugnatam;
 'nunc, quum de Italia certetur, Africam pacatam esse.
 'Requiescat aliquando vexata tam diu Italia: uratur evas-
 'teturque in vicem Africa. Castra Romana potius Car-
 'thaginis portis immineant, quam nos iterum vallum hos-
 'tium ex moenibus nostris videamus. Africa sit reliqui
 'belli sedes: illuc terror fugaque, populatio agrorum,
 'defectio sociorum, ceterae belli clades, quae in nos per
 'quattuordecim annos ingruerunt, vertantur. Quae ad
 'republicam pertinent, et bellum, quod instat, et provin-
 'cias, de quibus agitur, dixisse satis est. Illa longa oratio,
 'nec ad vos pertinens sit, si, quemadmodum Q. Fabius

³ *Quorum ego fidei ita innitar]* sc. Ea cautione.

⁴ *Qui, ne a sacris absit]* Quia modo arguit Fabium Scipio contumeliose tractati P. Licinii consulis, ipse, ut se pari crimine liberet, testa-

tur ideo tantum collegam suum non venire in sortem Africae provinciae, quod pontifex maximus sit, non quod illi aut animus desit, aut peritia rei militaris. CREV.

5 'meas res gestas in Hispania elevavit, sic et ego contra glo- U. C. 547.
 'riam eius eludere, et meam verbis extollere velim. Neu- A. C. 205.
 6 'trum faciam, Patres conscripti: et si nulla alia re, modes-
 'tia certe et temperando linguae adolescens senem vicero.
 'Ita et vixi, et res gessi, ut tacitus ea opinione, quam
 'vestra sponte conceptam animis haberetis, facile contentus
 'essem.'

Minus aequis animis auditus est Scipio, quia vulgatum 45.
 erat, si apud senatum non obtinuisset, ut provincia Africa
 sibi decerneretur, ad populum extemplo laturum. Itaque
 Q. Fulvius, qui consul quater et censor fuerat, postulavit a
 consule, ut palam in senatu diceret, 'permitteretne Patri-
 7 'bus, ut de provinciis decernerent? staturusque eo esset,
 'quod censuissent, an ad populum laturus?' Quum Scipio
 respondisset, se, quod e republica esset, facturum; tum
 Fulvius, 'Non ego ignarus, quid responsurus facturuse
 8 'esses, quaesivi, quippe quum prae te feras, tentare magis,
 'quam consulere senatum, et, ni provinciam tibi, quam vo-
 'lueris, extemplo decernamus, paratam rogationem habeas.
 'Itaque a vobis, tribuni plebis, postulo,' inquit, 'ut senten-
 'tiam mihi ideo non dicenti, quod, etsi in meam sententiam
 'discedatur, non sit ratum habiturus consul, auxilio sitis.'
 Inde altercatio orta, quum consul negaret, aequum esse
 9 tribunos intercedere, quo minus suo quisque loco senator
 rogatus sententiam diceret. Tribuni ita decreverunt, 'Si
 'consul senatui de provinciis permittit, stari eo, quod se-
 'natus censuerit, placet; nec de ea re ferri ad populum
 'patiemur: si non permittit, qui de ea re sententiam recu-
 'sabit dicere, auxilio erimus.' Consul diem ad colloquen-
 dum cum collega petiit. Postero die permissum senatui
 est. Provinciae ita decretae: alteri consuli Sicilia et tri- S. C. de
 ginta rostratae naves, quas C. Servilius superiore anno provinciis.
 habuisset: permissumque, ut in Africam, si id e republica
 esse censeret, traiceret: alteri Bruttii et bellum cum Han-
 nibale, cum eo exercitu, quem L. Veturius, aut Q. Caeci-

5 *Et ego contra*] E contraria parte, vicissim.

6 *Et si nulla alia re*] *Ulla alia* emendavit Gronov. et receperunt Crev. et Bekker. ut quae lectio in plerisque mss. exstet. Nulla modestioris quidem et tantum non spem abiciens est.

7 *Staturusque eo esset*] cf. Supr. xxvii. 6. *Ut eo, quod patres censuissent, staretur.*

8 *Tentare magis*] *Tentare te magis* recepit Bekker. sed codices plurimi pronomen ignorant.

9 *Suo quisque loco senator*] Vocem

senator auctoritate codd. plurium relegat Gronov. quem auctorem sequitur Bekker. quum in senatum veniebant plures, pluresque sententiam dicebant, quam senatores. cf. infr. xxxvi. 3. *Qui senatores essent, quibusque in senatu sententiam dicere liceret.* Festus v. *Senatores.* A. Gellius iii. 18.

1 *Quem L. Veturius, aut Q. Caecilium*] Supple ex praecedentibus habuisset: nisi malis hoc verbum in contextum admittere, auctore Regio codice. CREV.

U. C. 547. **lius.** Hi et sortirentur inter se, compararentve, uter in
 A. C. 205. **Bruttiis** duabus legionibus, quas consul reliquisset, rem ge-
 reret: imperiumque in annum prorogaretur, cui ea provin-
 cia evenisset. Et ceteris, praeter consules praetoresque,
 qui exercitibus provinciisque praefuturi erant, prorogata
 imperia. Q. Caecilio sorte evenit, ut cum consule in
 Bruttiis adversus Hannibalem bellum gereret.

Ludi deinde Scipionis magna frequentia et favore spe-
 tantium celebrati. Legati, Delphos ad donum ex praeda
 Hasdrubalis portandum missi, M. Pomponius Matho et Q.
 Catius, tulerunt coronam auream ducentum pondo, et
 simulacra spoliorum, ex mille pondo argenti facta.

Scipio non
 impetrat ut
 delectum
 sibi habere
 liceat.

Etruriae
 populi eum
 in ornanda
 classe iu-
 vant.

Scipio, quum, ut delectum haberet, neque impetrasset, ²
 neque magnopere tetendisset, ut voluntarios ducere sibi
 milites liceret, tenuit: et, quia impensae negaverat reipu-
 blicae futuram classem, ut, quae ab sociis darentur ad novas
 fabricandas naves, acciperet. Etruriae primum populi, pro ³
 suis quisque facultatibus, consulem adiutores polliciti.
 Caerites frumentum sociis navalibus comineatumque omnis
 generis; Populonienses ferrum; Tarquinienses lintea in
 vela; Volaterrani interamenta navium et frumentum; Ar- ⁴
 retini tria millia scutorum, galeas totidem, pila, gaesa, hastas
 longas, millium quinquaginta summam pari cuiusque gene-
 ris numero expleturos, secures, rutra, falces, alveolos, molas, ⁵

² *Scipio, quum, ut delectum habe-
 ret, neque impetrasset]* Nempe Fa-
 bius invidens crescenti in dies gloriae
 Scipionis, quum obtinere non potu-
 isset, ne permetteretur ei in Africam
 traicere, vociferando et vanis terrori-
 bus animos implendo pervicit, ne aut
 delectum habere liceret consuli, aut
 pecunia decerneretur. Vid. Plut. in
 Fabio.

³ *Etruriae primum populi]* Ad-
 miratio Niebuhrio iure movetur, quod
 Livius in Etruscis populis enumeran-
 dis octo tantummodo nomine recitat;
 quando *duodecim*, sicut antiquitus, re-
 quirimus, si modo, ut in Latinis vel
 Achaeis populis, in locum veterum
 urbium oppressarum novae quaedam
 in foedus ascitae fuerint. Ex illis, quae
 in antiquo Etruscorum foedere iun-
 ctae sunt, urbes Veii et Vulsinii a
 Romanis captae et deletae sunt. Ve-
 tulonium quidem, quae ex duodecim
 vetustioribus urbibus erat, amplius
 non apparet, sed sedem eius Popu-
 lonia occupavisse Niebuhrio videtur.
 Cortona autem, quae a nostro supr.
 ix. 37. inter capita Etruscorum popu-
 lorum recensetur, hic silentio praeter-

mittitur. Una igitur tantum deside-
 ratur, quae duodecim urbium nume-
 rum expleat, neque facile diiudican-
 dum est inter Capenam, et Cossam,
 et Faesulas, quae omnes iure quodam
 locum sibi vindicant. cf. Niebhr. i.
 n. 367.

⁴ *Interamenta navium]* Si haec
 vox a Livio est, intelligenda videntur
 ligna ea, quae a carinis utrimque as-
 cendentia efficiunt costas navis, quo-
 rum compages a Graecis dicitur *ἐντε-
 πορέα*. At multo magis placet *in-
 ceramenta*, quod exhibent duo co-
 dices, unus Gronovio, alter nobis in-
 spectus. *Inceramenta* erunt cera et
 pix qua oblinebantur naves. Utra-
 que vox perrara est, nec fortasse
 aliud earum exemplum reperias. CR.

⁵ *Rutra]* *Rutrum* a *ruendo*, sive
erundo dictum est, et instrumentum
 fuit ferrenum ad eruendam terram,
 sive arenam, quum opus esset, teste
 Festo. CREV.

⁶ *Alveolos, molas]* *Alveolos* inter-
 pretatur Marcellus Donatus vasa lig-
 nea ad asservendam aquam, aliosve
 usus. *Molas* ad frumentum in navi-
 bus, ubi opus esset, commolendum

quantum in quadraginta longas naves opus esset, tritici ^{U. C. 547.}
⁷centum et viginti millia modium, et in viaticum decurioni- ^{A. C. 205.}
⁸bus remigibusque collaturos: Perusini, Chisini, Rusellani ^{Paratur}
abietem in fabricandas naves, et frumenti magnum nume- ^{classis.}
⁹rum. Abiete ex publicis silvis est usus. Umbriae populi,
et praeter hos Nursini, et Reatini, et Amiternini, Sabinus-
que ager omnis, milites polliciti. Marsi, Peligni, Marrucii-
¹que, multi voluntarii nomina in classem dederunt. Cam-
ertes, quum aequo foedere cum Romanis essent, cohorte-
tem armatam sexcentorum hominum miserunt. Triginta
navium carinae, viginti quinquereemes, decem quadrireemes,
quum essent positae, ipse ita institit operi, ut die quadrage-
simo quinto, quam ex silvis detracta materia erat, naves in-
structae armataeque in aquam deductae sint. Profectus in ^{46.}
Siciliam est triginta navibus longis, voluntariorum septem ^{Profici-}
ferme millibus in naves impositis. Et P. Licinius in Brut- ^{seuntur}
tios ad duos exercitus consulares venit. Ex iis cum sibi ^{Coss.}
sumpsit, quem L. Veturius consul habuerat. Metello, ut,
quibus praefuisset legionibus, iis praecesset, facilius cum as-
suetis imperio rem gesturum ratus, permisit. Et praetores
diversi in provincias profecti. Et, quia pecunia ad bellum
deerat, agri Campani regionem, a fossa Graeca ad mare
²versam, vendere quaestores iussi; indicio quoque permissio,
qui ager civis Campani fuisset, ut is publicus populi Ro-
mani esset. Indici praemium constitutum, quantae pe-
cuniae ager indicatus esset, pars decima. Et Cn. Servilio
praetori urbis negotium datum, ut Campani cives, ubi cui-
que ex senatusconsulto liceret habitare, ibi habitarent;
animadverteretque in eos, qui alibi habitarent.

Eadem aestate Mago, Hamilearis filius, ex minore Bali- ^{Mago in}
^{Liguriam}
appellit.

habuisse veteres hinc apparet, sed
necessario leviores et minoris solito
diametri. CREV.

⁷ *In viaticum*] Hic viaticum in-
telligi debet de pecunia, quum iam
tritici mentio facta sit. Si quis tamen
ita velit exponere ut Arretini, praeter
modios tritici 120000. etiam id ad-
dicerint frumenti, quod per viae spa-
tium opus esset decurionibus remigi-
busque, suo cuique iudicio uti licet.
CREV.

⁸ *Decurionibus remigibusque*] Hi
decuriones videntur praefuisse remi-
gibus. DUKER.

⁹ *Umbriae populi*] Quorum men-
tio occurrit apud Niebuhrium i. n.
435.

¹ *Camertes, quum aequo foedere*] ¹
Suspiciari possis Camertes, quum
aequo iure ac foedere in amicitiam

Romanorum venissent, non necesse
habuisse, aut etiam solitos fuisse Ro-
manis praebere milites. Atque ideo
observaverit Livius eos id fecisse in
gratiam Scipionis, quod neque lex,
neque mos iuberet. CREV. cf. supr.
ix. 41. infr. xxxi. 2.

² *Indicio ... permissio*] Memoravit
Livius supr. xxvi. 16. agrum omnem
Campanum publicum populi Romani
factum esse. Hic igitur ne qua pars
eius agri falleret sub alieno nomine,
id quod fit, etiamnum ab aliquo cive
Campano possessa, permittitur ei qui
talis fraudis aliquam notitiam habe-
ret, eam indicare, imo et ad indicium
praemio proposito allicitur, ut is ager
fiat publicus populi Romani, nec per
illam fraudem eo populus Romanus
privetur. CREV.

U. C. 547. arium insula, ubi hibernarat, iuventute lecta in classem im-
 A. C. 205. posita, in Italiam triginta ferme rostratis navibus et multis
 onerariis, duodecim millia peditum, duo ferme equitum
 traiecit: Genuamque, nullis praesidiis maritimam oram tu-
 tantibus, repentino adventu cepit. Inde ad oram Ligurum
 Alpinorum, si quos ibi motus facere posset, classem appulit.
 Ingauni (Ligurum ea gens est) bellum ea tempestate gere-
 bant cum Epanteriis montanis. Igitur Poenus, Savone
 oppido Alpino praeda deposita, et decem longis navibus in
 statione ad praesidium relictis, ceteris Carthaginem missis
 ad tuendam maritimam oram, quia fama erat Scipionem
 traiecturum esse, ipse, societate cum Ingaunis, quorum
 gratiam malebat, composita, montanos instituit oppugnare.
 Et crescebat exercitus in dies, ad famam nominis eius
 Gallis undique confluentibus. Ea literis cognita Sp. Lu-
 cretii, ne frustra, Hasdrubale cum exercitu deleta biennio
 ante, forent lactati, si par aliud inde bellum, duce tantum
 mutato, oriretur, curam ingentem accenderunt Patribus.
 Itaque et M. Livium proconsulem ex Etruria volonum ex-
 ercitus admove Ariminum iusserunt, et Cn. Servilio
 praetori negotium datum, ut, si e republica censeret esse,
 urbanas legiones, imperio, cui videretur, dato, ex urbe duci
 iuberet. M. Valerius Laevinus Arretium eas legiones
 duxit.

Isdem diebus naves onerarias Poenorum ad octoginta⁴
 circa Sardiniam ab Cn. Octavio, qui provinciae praeerat,
 captas, Coelius frumento misso ad Hannibalem commeatu-
 que onustas, Valerius praedam Etruscam Ligurumque
 montanorum captivos Carthaginem perportantes, tradit.
 In Brutiis nihil ferme anno eo memorabile gestum. Pestil-
 entia incesserat pari clade in Romanos Poenosque: nisi
 quod Punicum exercitus super morbum etiam fames
 affecit. Propter Iunonis Lacinae templum aestatem Han-
 nibal egit; ibique aram condidit dedicavitque, cum ingenti
 rerum ab se gestarum titulo, Punicis Graccisque literis
 insculpto.

3 *Ea literis cognita*] *Ea res literis cognita* ex emendatione Rhenani ad-
 misit Bekker.

4 *Naves onerarias Poenorum . . . captas, Coelius*] Naves onerarias Poe-
 norum ad octoginta captas Coelius
 Valeriusque tradunt; ille frumento

onustas, hic perportantes Carthagi-
 nem Etruscam praedam cum Li-
 gurum captivis. Ceterum libri et
 editi ante nomen *Coelius* addunt *cas*,
 quam vocem reseuit Gronovius. De
 Coelio vid. supr. xxi. 38. de Valerio
 iii. 5. CREV.

EPI TOM E LIBRI XXIX.

EX Sicilia C. Laelius in Africam a Scipione missus ingentem praedam reportavit, et mandata Masinissae Scipioni exposuit, conquerentis, quod nondum exercitum in Africam traieisset. Bellum in Hispania finitum, victore Romano, quod Indibilis excitaverat; ipse in acie occisus, Mandonius expositus Romanis a suis deditus est. Magoni, qui in Gallia et Liguribus erat, ex Africa et militum ampla manus missa, et pecuniae, quibus auxilia conducere: praeceptumque, ut se Hannibali iungeret. Scipio a Syracusis in Bruttios traiecit, et Locros, pulso Punico praesidio, fugatoque Hannibale, recepit. Pax cum Philippo facta est. Idaea mater deportata est Romam a Pessinunte oppido Phrygiae, carmine in libris Sibyllinis invento, pelli Italia alienigenam hostem posse, si mater Idaea deportata Romam esset. Tradita autem est Romanis per Attalum regem Asiae. Lapis erat, quem matrem deum incolae dicebant. Excepit P. Scipio Nasica Cn. filius, eius, qui in Hispania perierat, vir optimus a senatu iudicatus, adolescens nondum quaestorius, quoniam ita responsum iubebat: ut numen id ab optimo viro reciperetur consecrareturque. Locrenses legatos Romam miserunt, qui de impotentia Q. Pleminii legati quererentur, quod pecuniam Proserpinae abstulerat, et liberos eorum ut coniuges stupraverat. Pleminius, in catenis Romam perductus, in carcere mortuus est. Quum falsus rumor de P. Scipione proconsole, qui in Sicilia erat, in urbem perlatus esset, tanquam is luxuriaretur; missis ob hoc legatis a senatu, qui explorarent, an ea vera essent, purgatus infamia Scipio in Africam traiecit, senatus permissu. Syphax, accepta in matrimonium filia Hasdrubalis Gisgonis, amicitiae, quam cum Scipione ipse iunxerat, renuntiavit. Masinissa, rex Massylionum, dum pro Carthaginiensibus in Hispania militat, amisso patre Gala, de regno excederat. Quo per bellum saepe repetito, aliquot proeliis a Syphace rege Numidarum victus, in totum privatus est: et cum ducentis equitibus exsul Scipioni se iunxit: et cum eo primo statim bello Hannonem Hamilcaris filium cum ampla manu interemit. Scipio, adventu Hasdrubalis et Syphacis, qui prope cum centum millibus armatorum venerant, ab obsidione Uticae depulsus, hiberna communivit. Sempronius con-

sul in agro Crotoniensi prospere adversus Hannibalem pugnavit. Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt civium capita ducenta quattuordecim millia. Inter censores, M. Livium et Claudium Neronem, notabilis discordia fuit. Nam et Claudius Livio collegae equum ademit, quod a populo damnatus actusque in exilium fuerat; et Livius Claudio, quod falsum in se testimonium dixisset, et quod non bona fide secum in gratiam redisset. Idem omnes tribus, extra unam, aerarias reliquit, quod et innocentem se damnassent, et postea consulem censoremque fecissent.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXIX.

SCIPIO, postquam in Siciliam venit, voluntarios milites U. C. 547.
ordinavit centuriavitque : ex iis trecentos iuvenes, flo- A. C. 205.
rentes ætate et virium robore, incrimines circa se habebat,
ignorantes, quem ad usum, neque centuriati, neque armati,
servarentur. Tum ex totius Siciliae iuniorum numero Trecentis
principes genere et fortuna trecentos equites, qui secum in equitibus
Africam traicerent, legit : diemque iis, qua equis armisque Siculis Ro-
instructi atque ornati adessent, edixit. Gravis ea militia, mani equi-
procul domo, terra marique multos labores, magna pericula tes substi-
allatura videbatur ; neque ipsos modo, sed parentes cognat-
tosque eorum ea cura angebat. Ubi dies, quæ dicta erat, tuti.
advenit, arma equosque ostenderunt. Tum Scipio, ‘re-
nuntiarî sibi,’ dixit, ‘quosdam equites Siculorum, tan-
quam gravem et duram, horrere eam militiam. Si qui ita
animati essent, malle eos sibi iam tum fateri, quam post-
modo querentes, segnes atque inutiles milites reipublicæ
esse. Expromerent, quid sentirent : cum bona venia se
auditurum.’ Ubi ex his unus ausus est dicere, ‘se pror-
sus, si sibi, utrum velit, liberum esset, nolle militare ;’
tum Scipio ei, ‘Quoniam igitur, adolescens, quid sentirens,
non dissimulasti, vicarium tibi expediâ, cui tu arma
equumque et cetera instrumenta militiæ tradas, et tecum
1 ‘hinc extemplo domum ducas, exerceas, docendum cures
‘equo armisque.’ Laeto conditionem accipienti unum ex
trecentis, quos incrimines habebat, tradit. Ubi hoc modo
2 exauctoratum equitem cum gratia imperatoris ceteri vide-
runt, se quisque excusare, et vicarium accipere. Ita tre-
centis Siculis Romani equites substituti, sine publica
impensa. Docendorum atque exercendorum curam Siculi
habuerunt : quia edictum imperatoris erat, ipsum milita-
turum, qui ita non fecisset. Egregiam hanc aliam equitum
evasive ferunt, multisque proeliis rempublicam adiuvisse.

1 *Docendum cures equo armisque*] Similiter *fidibus docere* et *fidibus discere* apud Ciceronem habemus.

2 *Cum gratia imperatoris*] Ita ut nihilominus imperatori gratus esset. CREV.

U. C. 547. Legiones inde quum inspiceret, plurimorum stipendio-
 A. C. 205. rum ex iis milites delegit; maxime qui sub duce Marcello
 Plurimo- militaverant: quos quum optima disciplina institutos cre-
 rum sti- debat, tum etiam ab longa Syracusarum obsidione peritis-
 pendiorum simos esse urbium oppugnandarum. Nihil enim parvum,
 milites le- git Scipio, sed Carthaginiis iam excidia agitabat animo. Inde exer-
 citum per oppida dispersit: frumentum Siculorum civita-
 tibus imperat; ex Italia advecto parcit: veteres naves
 reficit, et cum iis C. Laelium in Africam praedatum mittit:
 novas Panormi subducit, quia ex viridi materia raptim
 factae erant, ut in sicco hibernarent.

Res Sici-
 liae com-
 ponit.

Praeparatis omnibus ad bellum, Syracusas, nondum ex
 magnis belli motibus satis tranquillas, venit. Graeci res a
 quibusdam Italici generis, eadem vi, qua per bellum cepe-
 rant, retinentibus, concessas sibi ab senatu, repetebant.
 Omnium primum ratus tueri publicam fidem, partim edicto,
 partim iudiciis etiam in pertinaces ad obtinendam iniuriam ³
 redditis, suas res Syracusanis restituit. Non ipsis tantum
 ea res, sed omnibus Siciliae populis, grata fuit; eoque
 enixius ad bellum adiuverunt.

Bellum in
 Hispania.

Eadem aestate in Hispania coortum ingens bellum, con-
 ciente Ilergete Indibili, nulla alia de causa, quam per
 admirationem Scipionis contemptu imperatorum aliorum
 orto. 'Eum superesse unum ducem Romanis, ceteris ab
 'Hannibale interfectis,' rebatur. 'Eo nec in Hispania
 'caesis Scipionibus alium, quem mitterent, habuisse: et,
 'postquam in Italia gravius bellum urgeret, adversus Han- ⁴
 'nibalem cum accessitum. Praeterquam quod nomina
 'tantum ducum in Hispania Romani haberent, exercitum
 'quoque inde veterem deductum. Trepida omnia, ut in-
 'conditam turbam tironum, esse: nunquam talem occa-
 'sionem liberandae Hispaniae fore. Servitum ad eam
 'diem aut Carthaginensibus, aut Romanis: nec in vicem
 'his aut illis, sed interdum utrisque simul. Pulsos ab
 'Romanis Carthaginenses; ab Hispanis, si consentirent,
 'pelli Romanos posse: ut ab omni externo imperio soluta
 'in perpetuum Hispania in patrios rediret mores ritusque.'
 Haec aliaque dicendo non populares modo, sed Ausetanos
 quoque, vicinam gentem, concitat, et alios finitimos sibi
 atque illis populos. Itaque intra paucos dies triginta millia
 peditum, quattuor ferme equitum in Sedetanum agrum,
 2. quo edictum erat, convenerunt. Romani quoque impera-

³ *Pertinaces ad obtinendam iniuriam*] sc. Ad ea retinenda, quae per iniuriam sibi arrogaverant. cf. Tac. Hist. ii. 84. *Vespasiano . . . ad obtinendas iniquitates haud perinde ob-*

stinante.

⁴ *Postquam in Italia*] Haec ad mentem sensumque Indibilis accomodata sunt, non ad rei veritatem. CREV.

tores, L. Lentulus et L. Manlius Acidinus, ne glisceret U. C. 517.
 prima negligendo bellum, iunctis et ipsi exercitibus, per A. C. 205.
 agrum Ausetanum, hostico, tanquam pacato, elementer
 ductis militibus, ad sedem hostium pervenere. Trium
 millium spatio procul a castris eorum posuerunt castra.
 Primo per legatos nequicquam tentatum, ut discederetur
 ab armis. Dein, quum in pabulatores Romanos impetus
 repente ab equitibus Hispanis factus esset, summisso ab
 statione Romana equitatu, proelium equestre fuit, haud
 sane memorando in partem ullam eventum. Sole oriente, ^{Acies His-}
 postero die armati instructique omnes mille ferme passus ^{panorum.}
 procul a castris Romanis aciem ostendere. Medii Ausetani
 erant: cornua dextrum Ilergetes, laevum ignobiles tene-
 bant Hispani populi. Inter cornua et mediam aciem in-
 intervalla patentia satis late fecerant: qua equitatum, ubi
 tempus esset, emitterent. Et Romani, more suo exer-
 citum quum instruxissent, id modo hostium imitati sunt,
 5 ut inter legiones et ipsi patentes equiti relinquerent vias.
 Ceterum Lentulus, ei parti usum equitis fore ratus, quae ^{Acre proe-}
 prior in dehiscentem intervallis hostium aciem equites ^{lium.}
 emisisset, Ser. Cornelio tribuno militum imperat, equites
 per patentes in hostium acie vias permittere equos iubeat:
 ipse, coepta parum prospere pedestri pugna, tantum mo-
 ratus, dum cedenti duodecimae legioni, quae in laevo
 cornu adversus Ilergetes locata erat, tertiam decimam
 legionem ex subsidiis in primam aciem firmamentum
 ducit; postquam acquata ibi pugna est, ad L. Manlium,
 inter prima signa hortantem, ac subsidia, quibus res postu-
 labat locis, inducentem, venit. Indicat tuta ab laevo cornu
 esse: iam missum ab se Cornelium Servium procella
 equestri hostes circumfusurum. Vix haec dicta dederat,
 quum Romani equites, in medios invecti hostes, simul
 pedestres acies turbarunt, simul equitibus Hispanorum viam
 immittendi equos clauserunt. Itaque, omisa pugna eques-
 6 tri, ad pedestrem Hispani descenderunt. Romani impe-
 ratores, ut turbatos hostium ordines, et trepidationem
 pavoremque, et fluctuantia viderunt signa, hortantur, orant
 milites, 'ut percussos invadant, neu restitui aciem pa-
 tiantur.' Non sustinuissent tam infestum impetum bar-
 bari, ni regulus ipse Indibilis cum equitibus ad pedes
 degressis ante prima signa peditum se obiecisset. Ibi
 aliquandiu atrox pugna stetit. Tandem postquam ii, qui
 circa regem, seminecem restantem, deinde pilo terrae

5 *Ut inter legiones . . . relinque-
 rent vias*] Hic lineamenta quaedam
 cernimus illius rationis, qua Scipio
 ad Zamam in legionibus instruendis

prospere usus est. cf. infr. xxx. 33.

6 *Ad pedestrem Hispani descende-
 runt*] sc. Ex equis descenderunt, ut
 pedestrem Martem capessent.

Vincunt
 Romani.
 Indibilis
 occisus.

U. C. 547. affixum, pugnabant, obruti telis occubuerunt, tum fuga
 A. C. 205. passim coepta, pluresque caesi, quia equos conscendendi
 equitibus spatium non fuerat, et quia percussis acriter in-
 stiterunt Romani: nec ante abscessum est, quam castris
 quoque exuerunt hostem. Tredecim millia Hispanorum
 caesa eo die, octingenti ferme capti. Romanorum socio-
 rumque paullo amplius ducenti, maxime in laevo cornu,
 ceciderunt. Pulsi castris Hispani, aut qui ex proelio effu-
 gerant, sparsi primo per agros, deinde in suas quisque
 civitates redierunt. Tum a Mandonio evocati in con-
 ciliium, conquestique ibi clades suas, increpitis auctoribus
 belli, legatos mittendos ad arma tradenda deditionemque
 faciendam censuerunt. Quibus, culpam in auctorem belli
 Indibilem, ceterosque principes, quorum plerique in acie
 cecidissent, conferentibus, tradentibusque arma, et deden-
 tibus sese, responsum est: 'In deditionem ita accipi eos,
 'si Mandonium ceterosque belli concitatores tradidissent
 'vivos: sin minus, exercitus se in agrum Ilergetum Ause-
 'tanorumque, et deinceps aliorum populorum ducturos.'
 Mandonius Haec dicta legatis, renuntiataque in concilium. Ibi Man-
 traditus ad donius ceterique principes comprehensi et traditi ad sup-
 suppli- plicium. Hispaniae populis reddita pax: stipendium eius
 cium. anni duplex et frumentum sex mensium imperatum, saga-
 7 que et togae exercitui, et obsides ab triginta ferme populis
 8 accepti.

Laelius
 classe Afri-
 cam popu-
 latur.

Ita Hispaniae rebellantis tumultu, haud magno motu,
 intra paucos dies concito et compresso, in Africam omnis
 terror versus. C. Laelius nocte ad Hipponem Regium
 quum accessisset, luce prima ad populandum agrum sub
 signis milites sociosque navales duxit. Omnibus, pacis
 modo incuriose agentibus, magna clades illata: nuntiique
 trepidi Carthaginem terrore ingenti complevere, classem
 Romanam Scipionemque imperatorem (et fama fuerat iam
 in Siciliam transgressum) advenisse. Nec quot naves vi-
 dissent, nec quanta manus agros popularetur, satis gnari,
 omnia in maius, metu augente, accipiebant. Itaque primo
 terror pavorque, dein maestitia animos incescit: 'tantum
 'fortunam mutasse, ut, qui modo ipsi exercitum ante
 'moenia Romana habuissent victores, stratisque tot hostium
 'exercitibus, omnes Italiae populos aut vi aut voluntate in
 'deditionem accepissent; ii, verso Marte, Africae popu-

Terror Car-
 thaginien-
 sium.

7 *Frumentum sex mensium*] *Mensum*, quod in codd. Reg. et Put. ex-
 stat, reposuit Bekker. In huiusmodi
 genitivis Livium non semper sibi
 constare animadvertit Drakenbor-
 chius, quoniam *apum* et *apium*, *se-*
dum et *sedium* pariter usurpat.

8 *Togae*] Togas milites in hibernis
 et otio castrorum gestasse censet Crev.
 cf. supr. xxii. 54. infr. xlv. 16.

9 *Fortunam mutasse*] *Mutare* pro
mutari frequenter a Livio dici supr.
 iii. 10. *ut nihil odor mutaret*, docuit
 Drakenb.

'lationes et obsidionem Carthaginis visuri forent, nequa- U. C. 547.
 'quam pari ad patienda ea robore, ac Romani fuissent. A. C. 205.
 'Illis Romanam plebem, illis Latium iuventutem prae-
 'buisse; maiorem semper frequentioremq; pro tot caesis
 'exercitibus subolescentem. Suam plebem imbellem in
 'urbe, imbellem in agris esse: mercede parari auxilia ex
 'Afris, gente ad omnem auram spei mobili atque infida.
 'Iam reges, Syphacem post colloquium cum Scipione
 'alienatum; Masinissam aperta defectione infestissimum
 'hostem: nihil usquam spei, nihil auxilii esse. Nec Ma-
 'gonem ex Gallia movere tumultus quicquam, nec coniun-
 'gere sese Hannibali: et Hannibalem ipsum iam et fama
 'senescere, et viribus.' In hac deflenda prolapsos ab re- 4.
 centi nuntio animos rursus terror instans revocavit ad con-
 sultandum, quonam modo obviam praesentibus periculis
 iretur. Delectus raptim in urbe agrisque haberi placet, Apparatus.
 mittere ad conducenda Afrorum auxilia, munire urbem,
 frumentum convehere, tela, arma parare, instruere naves
 ac mittere ad Hipponem adversus Romanam classem. Iam
 haec agentibus nuntius tandem venit, Laelium, non Sci-
 pionem, copiasque, quantae ad incursiones agrorum satis
 sint, transvectas; summae belli molem adhuc in Sicilia
 esse. Ita respiratum, mittique ad Syphacem legationes,
 aliosque regulos, firmandae societatis causa, coeptae. Ad
 Philippum quoque missi, qui ducenta argenti talenta polli-
 cerentur, ut in Siciliam aut in Italiam traiceret. Missi et
 ad duos imperatores in Italiam, ut omni terrore Scipionem
 retinerent: ad Magonem non legati modo, sed viginti
 quinque naves longae, sex millia peditum, octingenti
 equites, septem elephantum, ad hoc magna pecunia ad con-
 ducenda auxilia, quibus fretus propius urbem Romanam
 exercitum admovent, coniungeretque se Hannibali. Haec
 Carthagine parabant agitabantque. Ad Laelium praedas Masinissa
 ingentes ex agro inermi ac nudo praesidiis agentem Masi- ad Lae-
 nissa, fama Romanae classis exitus, cum equitibus paucis lium venit.
 venit. Is 'segniter rem agi ab Scipione' questus, 'quod
 'tum non iam exercitum in Africam traicisset, percussis
 'Carthaginiensibus, Syphace impedito finitimis bellis,
 'quem incertum haerere; si spatium ad sua, ut velit, com-
 'ponenda detur, nihil sincera fide cum Romanis acturum.
 'Hortaretur, ac stimulet Scipionem, ne cessaret. Se,
 'quanquam regno pulsus esset, cum haud contemnendis
 'copiis affuturum peditum equitumque. Nec ipsi Laelio
 'morandum in Africa esse. Classem credere profectam a

1 Quem incertum haerere] Proba incertum habere. CREV.
 Gronovii emendatio pro vulg. quem

U. C. 547. 'Carthagine, cum qua, absente Scipione, non satis tutum
 A. C. 205. 'esse contrahi certamen.' Ab hoc sermone dimisso Ma-
 5. sinissa, Laelius postero die naves praeda onustas ab Hip-
 pone solvit, revectusque in Siciliam mandata Masinissae
 Scipioni exposuit.

Iisdem ferme diebus naves, quae ab Carthagine ad Ma-
 gonem missae erant, inter Albingaunos Ligures Genuamque ²
 accesserunt. In iis locis tum forte Mago tenebat classem :
 qui, legatorum auditis verbis, iubentium exercitus quam
 maximos comparare, extemplo Gallorum et Ligurum (nam- ³
 que utriusque gentis ingens ibi multitudo erat) concilium
 habuit. 'Et missum se ad eos vindicandos in libertatem,'
 ait, 'et, ut ipsi cernant, mitti sibi ab domo praesidia : sed,
 'quantis viribus, quanto exercitu id bellum geratur, in
 'eorum potestate esse. Duos exercitus Romanos, unum
 'in Gallia, alterum in Etruria esse : satis scire, Sp. Lucre-
 'tium se cum M. Livio iuncturum : multa millia ipsis etiam
 'armanda esse, ut duobus ducibus, duobus exercitibus Ro-
 'manis resistatur.' Galli, 'summam ad id suam volun-
 'tatem esse,' dicere : 'sed, quum una castra Romana intra
 'fines, altera in finitima terra Etruria prope in conspectu
 'habeant, si palam fiat, auxiliis adiutum ab sese Poenum,
 'extemplo infestos utrimque exercitus in agrum suum in-
 'cursuros. Ea ab Gallis desideraret, quibus occulte adiuvari
 'posset. Liguribus, quod procul agro urbibusque eorum
 'castra Romana sint, libera consilia esse : illos armare
 'inventutem, et capessere pro parte bellum, aequum esse.'
 Ligures haud abnuere : tempus modo duorum mensium
 petere ad delectus habendos. Interim Mago milites, Gallis
 dimissis, clam per agros eorum mercede conducere. Com-
 meatus quoque omnis generis occulte ad eum a Gallis po- ⁴
 pulis mittebantur. M. Livius exercitum volonum ex
 Etruria in Galliam traducit : iunctusque Lucretio, si
 se Mago ex Liguribus propius urbem moveat, obviam ire
 parat : si Poenus sub angulo Alpium quietus se contineat,
 et ipse in eadem regione circa Ariminum Italiae praesidio
 futurus.

6. Post reditum ex Africa C. Laelii, et Scipione stimulo

² *Inter Albingaunos Ligures*] Inter *Albium Ingaunum Ligurum* me-
 lius noster dixerit, quoniam gens *In-*
gauni circa haec loco habitabat, quo-
 rum caput *Albium Ingaunum* erat,
 oppidum ad mare Inferum situm,
 hod. *Alberga*.

³ *Gallorum et Ligurum*] Qua ori-
 gine fuerint Ligures prorsus ignoratur,
 hoc tamen constat, eos neque Celtica

neque Iberica stirpe prognatos esse.
 cf. Dion. i. 10. Suspiciatur Nie-
 buhrius cognitionem quandam iis
 cum Liburnis fuisse, quae coniectura
 si proba sit, Ligures Pelasgico fonte
 derivatos esse verisimile est.

⁴ *A Gallis populis*] Similiter supr.
 2. *Hispani populi*. Gronovius con-
 iicit *a Galliae populis*, sed *Gallis*
 plures codd. firmant.

Oratio Ma-
 gonis ad
 Gallos et
 Ligures.

Respon-
 sum Gallo-
 rum.

Masinissae adhortationibus, et militibus, praedam ex hos- U. C. 547.
tium terra cernentibus tota classe efferri, accensis ad trai- A. C. 205.
ciendum quam primum, intervenit maiori minor cogitatio,
Locros urbem recipiendi, quae sub defectionem Italiae Locri re-
5 desciverat et ipsa ad Poenos. Spes autem affectandae eius cepti.
rei ex minima re affulsit. Latrociniis magis, quam iusto
bello, in Brutiis gerebantur res; principio ab Numidis
facto, et Brutiis, non societate magis Punica, quam suapte
ingenio, congruentibus in eum morem. Postremo Romani
quoque, iam contagione quadam rapti gaudentes, quantum
per duces licebat, excursions in hostium agros facere. Ab
iis egressi quidam urbem Locrenses circumventi, Rhegium-
que abstracti fuerant. In eo captivorum numero fabri qui-
dam fuere, assueti forte apud Poenos mercede opus in arce
Locrorum facere. Ii, cogniti ab Locrensi principibus,
qui pulsati ab adversa factione, quae Hannibali Locros tra-
diderat, Rhegium se contulerant, quum cetera percunctan-
tibus, (ut mos est, qui diu absunt) quae domi agerentur,
exposuissent, spem fecerunt, si redempti ac remissi forent,
arcem se iis tradituros. Ibi se habitare, fidemque sibi re-
rum omnium inter Carthaginienses esse. Itaque, ut qui
simul desiderio patriae angerentur, simul cupiditate in-
imicos ulciscendi arderent, redemptis extemplo iis remis-
sisque, quum ordinem agenda rei composuissent, signaque,
quae procul edita observarent, ipsi ad Scipionem Syracusas
profecti, apud quem pars exsulum erat, referentes ibi pro-
missa captivorum, quum spem ab effectu haud abhorren-
tem consuli fecissent; tribuni militum cum iis M. Sergius
et P. Matienus missi, iussique ab Rhegio tria millia militum
6 Locros ducere: et Q. Plemio propraetori scriptum, ut
rei agenda adesset. Profecti ab Rhegio, scalas ad edi-
tam altitudinem arcis fabricatas portantes, media ferme
nocte ex eo loco, unde convenerat, signum dedere prodi-
toribus arcis. Qui parati intentique, et ipsi scalas ad id
ipsum factas quum demisissent, pluribusque simul locis
scandentes acceperant, priusquam clamor oriretur, in vi-
giles Poenorum, ut in nullo tali metu, sopitos impetus est
factus. Quorum gemitus primo morientium exauditus;
deinde subita consternatio ex somno et tumultus, quum
causa ignoraretur; postremo certior res, aliis excitantibus
alios. Iamque 'ad arma' pro se quisque vocabat: 'hostes
' in arce esse, et caedi vigiles: 'oppressique forent Romani,
7 nequaquam numero pares, ni clamor, ab iis, qui extra

5 *Affectandae eius rei*] Vocem rei
odiose repetitam fuisse censet Gro-
nov. qui post *affectandae eius*, vocem
urbis subaud. intelligit.

VOL. II.

6 *Propraetori*] Hunc, utpote le-
gatum Scipionis, hoc nomine desig-
nari censet Duker.

7 *Ni clamor, ab iis*] Ni clamor ab

H h

U. C. 547. arcem erant, sublatus, incertum unde accidisset, omnia vana
 A. C. 205. augente nocturno tumultu, fecisset. Itaque velut plena
 iam hostium arce territi Poeni, omisso certamine, in alteram arcem (duae sunt haud multum inter se distantes) confugiunt. Oppidani urbem habebant, victoribus praemium in medio positam. Ex arcibus duabus proeliis quotidie levibus certabatur. Q. Pleminius Romano, Hamilcar Punico praesidio praeerat: arcessentes ex propinquis locis subsidia copias augebant. Ipse postremo veniebat Hannibal: nec sustinuissent Romani, nisi Locrensiis multitudo, exacerbata superbia atque avaritia Poenorum, ad Romanos inclinasset.

7. Scipioni ut nuntiatum est, in maiore discrimine Locris rem verti, ipsumque Hannibalem adventare; ne praesidium etiam periclitaretur, haud facili inde receptu, et ipse a Messana, L. Scipione fratre in praesidio ibi relicto, quum primum aestu fretum inclinatum est, naves mari secundo misit. Et Hannibal, a Butroto amni (haud procul is ab urbe Locris abest) nuntio praemisso, ut sui luce prima summa vi proelium cum Romanis ac Locrensiis conscrent, dum ipse, aversis omnibus in eum tumultum, ab tergo urbem incautam aggrediretur, ubi luce coeptam invenit pugnam, ipse nec in arcem se includere, turba locum artum impediturus, voluit; neque scalas, quibus scanderet muros, attulerat. Sarcinis in acervum coniectis, quum haud procul muris ad terrorem hostium aciem ostendisset, cum equitibus Numidis circumnequitabat urbem, dum scalae, quaeque alia ad oppugnandum opus erant, parantur, ad visendum, qua maxime parte aggrediretur. Progressus ad murum, scorpione icto, qui proximus eum forte steterat, teritus inde tam periculoso casu, receptui canere quum iussisset, castra procul ab ictu teli communiit. Classis Romana a Messana Locros, aliquot horis die superante, accessit: expositi omnes e navibus, et ante occasum solis urbem ingressi sunt. Postero die coepta ex arce a Poenis pugna: et Hannibal, iam scalis aliisque omnibus ad oppugnationem paratis, subibat muros: quum repente in eum,

iis sublatus, qui extra arcem erant, fecisset incertum Poenis, unde accidisset; cohibuisset Poenos incertos, utrum ab arce, an ab vicinis arci locis accidisset, nocturno tumultu augente omnia, etiam vana. Similiter fere locutus est Livius, infr. xli. 2. *Et concursatio in obscuro incidentium aliorum in alios incertum fecerat, an hostis intra vallum esset.* CREV.

8 *Quum primum aestu fretum inclinatum est*] Quum primum freti

aquae aestu propelli in eam partem coeptae sunt, versus quam Scipioni navigandum erat. CREV.

9 *Naves mari secundo misit*] Naves ferendas permisit mari secundo, id est, motui maris obsecuturas. Et intelligendus est ipse Scipio his navibus vectus fuisse, ut constat ex iis quae sequuntur. CREV.

1 *Scorpione icto, qui . . . forte*] Quum is qui forte proximus ei steterat, scorpione ictus esset. CREV.

nihil minus quam tale quicquam timentem, patefacta porta U. C. 547.
 erumpunt Romani. Ad ducentos, improvidos quum inva- A. C. 205.
 sissent, occidunt: ceteros Hannibal, ut consulem adesse
 sensit, in castra recipit; nuntioque misso ad eos, qui in
 arce erant, ut sibi met ipsi consulerent, nocte motis castris
 abiit. Et qui in arce erant, igni iniecto tectis, quae tene-
 bant, ut is tumultus hostem moraretur, agmen suorum
 fugae simili cursu ante noctem assecuti sunt. Scipio, ut et
 arcem relictam ab hostibus et vacua vidit castra, vocatos
 ad concionem Locenses graviter ob defectionem incusavit:
 de auctoribus supplicium sumpsit, bonaque eorum alterius
 factionis principibus, ob egregiam fidem adversus Roma-
 nos, concessit. 'Publice nec dare, nec eripere se quic-
 quam Locrensibus,' dixit. 'Romam mitterent legatos:
 quam senatus aequum censuisset, eam fortunam habituros.
 Illud satis scire, etsi male de populo Romano meriti es-
 sent, in meliore statu sub iratis Romanis futuros, quam
 sub amicis Carthaginensibus fuerint.' Ipse, Q. Pleminio
 legato praesidioque, quod arcem ceperat, ad tuendam ur-
 bem relicto, cum quibus venerat copiis, Messanam tra-
 iecit.

8.

Ita superbe et crudeliter habiti Locenses ab Carthagi- Pleminius
 niensibus post defectionem ab Romanis fuerant, ut modi- Praef. Lo-
 cas iniurias non aequo modo animo pati, sed prope lubenti- cris crude-
 possent. Verum enim vero tantum Pleminius Hamilca- liter se ge-
 rem praesidii praefectum, tantum praesidiarii milites Ro- rit.
 mani Poenos scelere atque avaritia superaverunt, ut non
 armis, sed vitiis videretur certari. Nihil omnium, quae
 inopi invisas opes potentioris faciunt, praetermissum in op-
 pidanos est ab duce, aut a militibus: in corpora ipsorum,
 in liberos, in coniuges infandae contumeliae editae. Nam
 avaritia ne sacrorum quidem spoliatione abstinuit: nec alia
 modo templa violata, sed Proserpinae etiam, intacti omni
 2 aetate, thesauri; praeterquam quod a Pyrrho, qui cum
 magno piaculo sacrilegii sui manubias retulit, spoliati dice-
 bantur. Ergo sicut ante regiae naves, laceratae naufragiis,
 nihil in terram integri, praeter sacram pecuniam deae,
 quam asportabant, extulerant; tum quoque alio genere cla-
 dis eadem illa pecunia omnibus contactis ea violatione tem-
 pli furorem obiecit, atque inter se ducem in ducem, mili-
 tem in militem rabie hostili vertit. Summae rei Pleminius
 praeerat: militum pars sub eo, quam ipse ab Rhegio ab-
 3 duxerat, pars sub tribunis erat. Rapto poculo argenteo ex

Eius avari-
tia.

9.

Pugna in-
ter milites
Rom.

2 Cum magno piaculo] De hac
 sacrilegii expiatione, cf. infr. 18.

3 Pars sub tribunis erat] Nimi-
 rum verisimile est tribunos a Scipione

ex Sicilia missos esse cum aliquo
 militum numero, quibus et praeesse
 eos, tanquam proprios duces, consul
 voluit. CREV.

U. C. 547. oppidani domo Pleminii miles fugiens, sequentibus, quorum A. C. 205. rum erat, obviis forte Sergio et Matieno tribunis militum fuit. Cui quum iussu tribunorum ademptum poculum esset, iurgium inde et clamor, pugna postremo orta inter Pleminii milites, tribunorumque; ut suis quisque opportunus advenerat, multitudine simul ac tumultu crescente. Victi Pleminii milites quum ad Pleminium, cruorem ac vulnera ostentantes, non sine vociferatione atque indignatione concurrissent, probra in eum ipsum iactata in iurgiis referentes; accensus ira domo sese proripuit, vocatosque tribunos nudari, ac virgas expediri iubet. Dum spoliandis iis (repugnabant enim, militemque implorabant) tempus teritur, repente milites, feroces recenti victoria, ex omnibus locis, velut adversus hostes ad arma conclamatum esset, concurrerunt. Et, quum violata iam virgis corpora tribunorum vidissent, tum vero in multo impotentiore subito rabiem accensi, sine respectu, non maiestatis modo, sed etiam humanitatis, in legatum impetum, lietoribus prius indignum in modum mulcatis, faciunt: tum ipsum, ab suis interceptum et seclusum, hostiliter lacerant, et prope exsanguem, naso auribusque mutilatis, relinquunt. His Messanam nuntiatis, Scipio, post paucos dies Locros hexeri ad-⁴ vectus, quum causam Pleminii et tribunorum audisset, Pleminio noxa liberato, relictoque in eiusdem loci praesidio, tribunis sontibus iudicatis, et in vincula coniectis, ut Romanam ad senatum mitterentur, Messanam atque inde Syracusas rediit. Pleminius impotens irae, neglectam ab Scipione et nimis leviter latam suam iniuriam ratus, nec⁵ quemquam aestimare alium eam litem posse, nisi qui atrocitatem eius patiundo sensisset, tribunos attrahi ad se iussit; laceratosque omnibus, quae pati corpus ullum potest, supplicii interfecit: nec satius vivorum poena, insepultos proiecit. Simili crudelitate et in Locrensiump principes est usus, quos ad conquerendas iniurias ad P. Scipionem perfectos audivit: et, quae antea per libidinem atque avaritiam foeda exempla in socios ediderat, tunc ab ira multiplicia edere: infamiae atque invidiae non sibi modo, sed etiam imperatori, esse.

Pleminius
hostiliter
laceratus.
A Scipione
absolvitur.

Tribunos
crudeliter
occidit.

10. Iam comitorum appetebat tempus, quum P. Licinii consulis literae Romam allatae, ‘Se exercitumque suum gravi⁶ morbo affectari: nec sisti potuisse, ni eadem vis mali, morbo affectus,

4 *Hexeri*] Graece ἑξήρης, quae sex remorum ordinibus ageretur.

5 *Nec quemquam aestimare*] sc. Pretium decernere, quo aut piaculum noxae solveretur, aut damna resarcirentur.

6 *Gravi morbo affectari*] sc. Affici, quemadmodum apud Plautum Bacchid. iii. 1. *damna, quibus patrem, et me, teque, amicosque omnes affectas tuos.* CREV.

‘aut gravior etiam, in hostes ingruisset. Itaque, quoniam U. C. 547.
 ‘ipse venire ad comitia non posset, si ita Patribus videretur, A. C. 205.
 ‘se Q. Caecilium Metellum dictatorem comitorum causa
 ‘dicturum: exercitum Q. Caecilii dimitti, e republica esse.
 ‘Nam neque usum eius ullum in praesentia esse, quum
 ‘Hannibal iam in hiberna suos receperit; et tanta inces-
 ‘serit in ea castra vis morbi, ut, nisi mature dimittantur,
 ‘nemo omnium superfuturus videatur.’ Ea consuli a
 Patribus facienda, ut e republica fideque sua duceret, per-
 missa.

Civitatem eo tempore repens religio invaserat, invento
 carmine in libris Sibyllinis, propter crebrius eo anno de
 coelo lapidatum inspectis. ‘Quandoque hostis alienigena
 ‘terrae Italiae bellum intulisset, eum pelli Italia vincique
 ‘posse, si mater Idaea a Pessinunte Romam advecta foret,’
 Id carmen ab decemviris inventum eo magis Patres movit,
 quod et legati, qui donum Delphos portaverant, referebant;
 et sacrificantes ipsos Pythio Apollini litavisse, et responsum
 oraculo editum, maiorem multo victoriam, quam cuius ex
 spoliis dona portarent, adesse populo Romano. In eiusdem
 spei summam conferebant P. Scipionis velut praesagientem
 animum de fine belli, quod depoposcisset provinciam Afri-
 cam. Itaque quo maturius fatis, ominibus, oraculisque
 portendentis sese victoriae compotes fierent, id cogitare,
 quae ratio transportandae Romam deae esset. Nullas dum
 in Asia civitates socias habebat populus Romanus. Tamen
 memores, Aesculapium quoque ex Graecia quondam, haud-
 dum ullo foedere sociata, valetudinis populi causa arcessi-
 tum, et iam cum Attalo rege, propter commune adversus
 Philippum bellum, coeptam amicitiam esse, facturum eum,
 quae possit, populi Romani causa, legatos ad eum decernunt,
 M. Valerium Laevinum, qui bis consul fuerat, ac res in
 Graecia gesserat, M. Caecilium Metellum praetorium, Ser.
 Sulpicium Galbam aedilicium, duos quaestorios, Cn. Tre-
 mellium Flaccum, et M. Valerium Faltonem. His quinque

Oraculum
Sibylli-
num.

Delphi-
cum.

11.

Mater
Idaea ex
Asia peti-
tur.

7 *Mater Idaea*] Quae et Rhea, et
 Ops, et Mater deum quoque vocabatur;
Idaea dicta ab Ida monte in Phrygia,
 ubi praecipua quadam veneratione
 colebatur. CREV. Hinc libros Sibyllinos
 Ionio fonte derivatos esse censet Niebuhrus ii. n. 1122.

8 *In eiusdem spei summam conferebant*] Ex carmine invento in libris
 Sibyllinis, et responso Apollinis Delphi-
 ci exsistebat iam quaedam spei velut
 summa, quam augebant addito et aliquo
 momento spei ex illa fiducia, qua Scipio
 huius belli victoriam animo praesagebat
 sibi ac desponde-

bat. CREV.

9 *Fatis, ominibus, oraculisque*] *Fatis*
 significari carmen librorum Sibyllinorum,
ominibus Scipionis animum de fine belli
 praesagientem, *oraculis* responsum Apollinis
 Delphici, monet Gronovius.

1 *Aesculapium quoque*] Id imperatum
 atque decretum memorat noster supr. x. 47.

2 *M. Valerium Laevinum, qui bis consul fuerat*] Quo anno primum
 consul fuerit, incertum est. Hoc bello
 praetor fuit ann. U. C. 537. consul
 iterum cum Marcello ann. 542.

U. C. 547. naves quinquere-
 A. C. 205. mes, ut ex dignitate populi Romano adirent
 eas terras, ad quas concilianda maiestas nomini Romano
 esset, decernunt. Legati Asiam petentes protinus Delphos³
 quum escendissent, oraculum adierunt, consulentes, ad quod
 negotium domo missi essent, perficiendi eius quam sibi
 spem populoque Romano portenderet. Responsum esse
 ferunt, 'Per Attalum regem compotes eius fore, quod pe-
 terent. Quum Romam deam devexissent, tum curarent,
 'ut eam, qui vir optimus Romae esset, hospitio exciperet.'
 Pergamum ad regem venerunt. Is legatos comiter acce-
 pto Pessinunte in Phrygiam deduxit: sacrumque iis
 lapidem, quam matrem deum esse incolae dicebant, tradi-⁴
 dit, ac deportare Romam iussit. Praemissus ab legatis M.
 Valerius Falto nuntiavit, deam apportari: quaerendum
 virum optimum in civitate esse, qui eam rite hospitio exci-⁵
 peret.

Datur le-
 gatis lapis,
 quam Ma-
 trem deum
 vocabant.

Comitia.

Q. Caecilius Metellus dictator ab consule in Brutiis co-
 mitiorum causa dictus, exercitusque eius dimissus: magister
 equitum L. Veturius Philo. Comitia per dictatorem habita.
 Consules facti M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tu-
 ditanus absens, quum provinciam Graeciam haberet. Prae-⁶
 tores inde creati, Ti. Claudius Nero, M. Marcius Ralla, L.
 Scribonius Libo, M. Pomponius Matho. Comitii peractis,
 dictator sese magistratu abdicavit.

Ludi Romani ter, plebei septies instaurati. Curules
 erant aediles Cn. et L. Corneli Lentuli. Lucius Hispan-
 niam provinciam habebat: absens creatus, absens cum ho-
 norem gessit. Ti. Claudius Asellus et M. Iunius Pennus
 plebei aediles fuerunt. Aedem Virtutis eo anno ad portam
 Capenam M. Marcellus dedicavit, septimo decimo anno
 postquam a patre eius primo consulatu vota in Gallia ad
 Clastidium fuerat. Et flamen Martialis eo anno est mor-⁷
 tuus M. Aemilius Regillus.

³ *Protinus*] Uno itineris tenore. Asiam petentibus, Delphos adire pa-
 rum longum aut devium est. CREV.

⁴ *Lapidem, quam matrem deum*] Hanc loquendi figuram, qua relati-
 vum duobus nominibus interpositum
 sequenti coniungitur, editores corru-
 perant, et dederant *quem*: Iac. Grono-
 vius vindicavit ex aliquot scriptis
 vel optimis, Put. Cantabrig. aliisque,
 quibus et regius noster accedit. Sic et
 supr. xxiv. 42. moniti ab eodem
 Iac. Gronovio restituimus *oppidum*,
quae causa belli esset: quum vulgati
 haberent *quod*. Sic et illud Ennii
 apud Festum, et Cic. *Aspice hoc sub-
 lime candens, quem invocant omnes*

Iovem. CREV.

⁵ *Hospitio exciperet*] Non tamen
 deam Nasica domum suam deporta-
 vit, ut apparet infr. 14. huius libri.
 Itaque, si sibi Livium constare volu-
 mus, *hospitio excipere*, interpreta-
 bimur obviam ire numini tanquam
 hospitem, et illud hospitali manu de
 nave accipere. CREV.

⁶ *Quum provinciam Graeciam ha-
 beret*] Missus P. Sulpicio successor,
 ut ex cap. seq. patet.

⁷ *Flamen Martialis . . . M. Aemi-
 lius Regillus*] Supr. xxiv. 7. et 8.
 appellatus est M. Aemilius Regillus
 Flamen Quirinalis, spe consulatus
 deiectus a Fabio. Utrum hic flamen

Neglectae eo biennio res in Graecia erant. Itaque Phil- U. C. 547.
 8 lippus Aetolos, desertos ab Romano, cui uni fidebant, A. C. 205.
 auxilio, quibus voluit conditionibus, ad petendam et pacis- 12.
 cendam subegit pacem. Quod nisi omni vi perficere ma- Aetoli pa-
 turasset, bellantem eum cum Aetolis P. Sempronius pro- cem cum
 consul, successor imperii missus Sulpicio, eum decem mil- Philippo
 libus peditum, et mille equitibus, et triginta quinque rostra- faciunt.
 tis navibus (haud parvum momentum ad opem ferendam
 sociis) oppressisset. Vixdum pace facta, nuntius regi venit,
 Romanos Dyrrhachium venisse: Parthinosque et propin-
 quas alias gentes motas esse ad spein novandi res: Dimal-
 9 lumque oppugnari. Eo se verterant Romani ab Aetolorum,
 quo missi erant, auxilio, irati, quod sine auctoritate sua
 1 adversus foedus cum rege pacem fecissent. Ea quum au-
 disset Philippus, ne qui motus maior in finitimis gentibus
 populisque oriretur, magnis itineribus Apolloniam conten-
 dit; quo Sempronius se receperat, misso Laetorio legato
 2 cum parte copiarum et quindecim navibus in Aetoliam, ad
 visendas res, pacemque, si posset, turbendam. Philippus
 agros Apolloniatum vastavit, et, ad urbem admotis copiis,
 potestatem pugnae Romano fecit. Quem postquam quie-
 tum muros tantummodo tueri vidit, nec satis fidens viribus,
 ut urbem oppugnaret, et cum Romanis quoque, sicut cum
 Aetolis, cupiens pacem, si posset, sin minus, indutias facere,
 nihil ultra irritatis novo certamine odiis, in regnum se re-
 cepit. Per idem tempus, taedio diutini belli, Epirotae, Itemque
 tentata prius Romanorum voluntate, legatos de pace com- Romani.
 muni ad Philippum misere; satis confidere, conventuram
 eam, affirmantes, si ad colloquium cum P. Sempronio im-
 3 peratore Romano venisset. Facile impetratum, (neque
 enim ne ipsius quidem regis abhorrebat animus) ut in Epi-
 rum transiret. Phoenice urbs est Epiri: ibi prius collo-
 4 tus rex cum Acropo, et Darda, et Philippo Epirotarum
 praetoribus, postea cum P. Sempronio congreditur. Affuit
 colloquio et Amynder Athamanum rex, et magistratus
 alii Epirotarum et Acarnanum. Primus Philippus praetor

Martialis alius ab illo sit, an idem
 duo habuerit sacerdotia, an memoria
 Livium fefellerit, incertum relinquere
 cogimur. CREV.

8 *Desertos ab Romano*] *Romanis*
 auctore Rhenano reposuit Bekker.

9 *Ab Aetolorum . . . auxilio*] sc.
 Ab auxilio Aetolis ferendo.

1 *Adversus foedus*] Foederis leges
 supr. xxvi. 24. memorantur.

2 *In Aetoliam, ad visendas res*] *Copulam et ex ed. prima ante voces*
ad visendas res revocavit Gronov.

quem auctorem secutus est Bekker.
 Noster haud dubie fide plurium codi-
 cum nixus particulam resecauit.

3 *Neque enim ne ipsius quidem*
regis] Etenim duabus huiusmodi
 particulis negativis, tantum abest ut
 negatio tollatur, ut Graeco more
 etiam fortior reddatur. cf. supr. xxviii.
 27. infr. xxxi. 38.

4 *Et Darda*] *Derda* in vet. lib.
 legi animadvertit Sigonius. Δέρδου
 apud Thueyd. i. 59. legitur, sed *Darda*
 plures codd. exhibent.

U. C. 547. verba fecit, et petiit simul ab rege et ab imperatore Romano,
 A. C. 205. ut finem belli facerent, darentque eam Epirotis veniam.
 P. Sempronius conditiones pacis dixit, ut Parthini, et Dimallum, et Bargulum, et Eugenium Romanorum essent. Atintania, si, missis Romam legatis, ab senatu impetrasset, 5 Macedoni accederet. In eas conditiones quum pax conveniret, ab rege foederi ascripti, Prusia Bithyniae rex, Achaiei, Boeoti, Thessali, Acarnanes, Epirotae: ab Romanis, Ili-6 enses, Attalus rex, Pleuratus, Nabis Lacedaemoniorum tyrannus, Elei, Messenii, Athenienses. Haec conscripta consignataque sunt, et in duos menses indutiae factae, donec Romam mitterentur legati, ut populus in has conditiones pacem iuberet. Iusseruntque omnes tribus: quia, verso in Africam bello, omnibus aliis in praesentia levare volebant bellis. P. Sempronius, pace facta, ad consulatum Romam decessit.

13. P. Sempronio, M. Cornelio consulibus (quintus decimus
 U. C. 548. is annus Punici belli erat) provinciae, Cornelio Etruria 7
 A. C. 204. cum vetere exercitu, Sempronio Bruttii, ut novas scriberet
 M. Cornelio, P. legiones, decretae. Praetoribus, M. Marcio urbana, L. Scribonio Liboni peregrina, et eidem Gallia, M. Pomponio Mathoni Sicilia, Ti. Claudio Neroni Sardinia evenit.
 P. Scipioni cum eo exercitu, cum ea classe, quam habebat, prorogatum in annum imperium est: item P. Licinio, ut Bruttios cum duabus legionibus obtineret, quoad cum in provincia cum imperio morari consuli e republica visum esset. Et M. Livio, et Sp. Lucretio, cum binis legionibus, quibus adversus Magonem Galliae praesidio fuissent, prorogatum imperium est. Et Cn. Octavio, ut, quum Sardiniam legionemque Ti. Claudio tradidisset, ipse navibus longis quadraginta maritimam oram, quibus finibus senatus censuisset, tutaretur. M. Pomponio praetori in Sicilia Cannensis exercitus duae legiones decretae. T. Quinctius 8 Tarentum, C. Hostilius Tubulus Capuam, propraetores,

5 Si . . . impetrasset] Nempe Philippus.

6 Ilienses] Haec prima, nisi nos fallit opinio, occurrit apud Livium mentio Iliensium: quos hic Romani socios, alibi, ut infr. xxxvii. 37. xxxviii. 39. etiam originis suae auctores agnoscunt. CREV. cf. Niebhr. i. n. 543.

7 Etruria cum vetere exercitu] Cum eo exercitu quem Arretium duxisse Laevinus memoratur infr. xxviii. 46. CREV.

8 T. Quinctius Tarentum] Hic est T. Quinctius Flaminius, qui postea Philippum regem devicit, ut constat

ex Plut. in eius vita. Ceterum qui dicitur hic Tarentum, sicut priore anno, obtinere iussus, nusquam supra memoratus est Tarentum missus esse cum imperio. Quin etiam infr. xxviii. 10. et 45. sequi videtur, ut observat Perizonius Animadv. Hist. 4. Q. Claudium, superiore anno, Tarento praefuisse. Sed fieri potuit, ut Claudius, postquam ei prorogatum imperium fuerat, vel mortuus sit, vel aliquo casu aut negotio impeditus e provincia decesserit, eique successor Quinctius missus fuerit. Itaque tunc nihil aliud obici poterit Livio, nisi quod rem eam, de qua mentionem

sicut priore anno, cum vetere uterque praesidio, obtinerent. U. C. 548.
De Hispaniae imperio, quos in eam provinciam duos pro- A. C. 204.
consules mitti placeret, latum ad populum est. Omnes
tribus eosdem, L. Cornelium Lentulum et L. Manlium
Acidinum, proconsules, sicut priore anno tenuissent, ob-
tinere eas provincias iusserunt. Consules delectum habere
instituerunt, et ad novas scribendas in Bruttios legiones, et
in ceterorum (ita enim iussi ab senatu erant) exercituum
supplementum.

Quaquam nondum aperte Africa provincia decreta erat, 14.
9 (occultantibus id, credo, Patribus, ne praesciscerent Car-
thaginienses) tamen in eam spei erecta civitas erat, in
Africa eo anno debellatum iri, finemque bello Punico
adesse. Impleverat ea res superstitionum animos, pro-
nique et ad nuntianda, et ad credenda prodigia erant: eo
1 plura vulgabantur. 'Duos soles visos: et nocte interlux- Prodigia.
2 'isse: et facem Setiae ab ortu solis ad occidentem porrigi
' visam. Tarracinae portam, Anagninae et portam et multis
' locis murum de coelo tactum. In aede Iunonis Sospitae
' Lanuvii cum horrendo fragore strepitum editum.' Eorum
procurandorum causa diem unum supplicatio fuit: et no-
vendiale sacrum, quod de coelo lapidatum esset, factum.
Eo accessit consultatio de matre Idaea accipienda, quam,
praeterquam quod M. Valerius, unus ex legatis praegressus,
actutum in Italia fore nuntiaverat, recens nuntius aderat,
Tarracinae iam esse. Haud parvae rei iudicium senatum
tenebat, qui vir optimus in civitate esset. Veram certe
victoriam eius rei sibi quisque mallet, quam ulla imperia
honoresve, suffragio seu Patrum, seu plebis delatos. P. P. Scipio
Scipionem, Cn. filium, eius qui in Hispania ceciderat, indicatus
adolescentem nondum quaestorium, indicaverunt in tota vir opti-
3 civitate virum bonorum optimum esse. Id quibus virtu-
4 tibus inducti ita indicarint, sicut proditum a proximis me-
moriae temporum illorum scriptoribus libens posteris tra-
derem; ita meas opiniones, coniectando rem vetustate

nullam fecerat, hic tanquam supra
memoratam narret. CREV.

9 Ne praesciscerent Carthaginien-
ses] Ne praescirent ex vet. libr. re-
ponendum suadet Sigonius, sed praesciscerent eodem sensu accipi potest,
quo supr. xxvii. 35.

1 Et nocte interluxisse] Eleganter
pro inter tenebras luxisse. GRONOV.

2 Et facem Setiae] Plures codd.
facem Stellae exhibent, qualis illa
Virgilii Stella facem ducens. Dra-
kenborechius illam modo ab Setiae in-
colis animadversam fuisse coniecit.

3 Virum bonorum optimum] Bo-

norum pro vulg. bonum emendavit
Gronov. cuius coniecturam firmat in-
scriptio quaedam haud procul sepul-
cro Scipionum apud Romam reperta,
in honorem Lucii Scipionis filii Barba-
ti, literis archaïcis scripta. Lapis ille,
qui il marmo Barberino dicitur, hanc
inscriptionem exhibet, HOC OINO.
PLOTRUME. COSENTIONT. R. DUONORO.
OPTIMO. FUISSE. VIRO, scilicet, hunc
unum plurimi consentiunt Romae bo-
norum optimum fuisse virum.

4 Proditum a proximis] Si pro-
ditum fuisset. CREV.

U. C. 548. obrutam, non interponam. P. Cornelius cum omnibus
 A. C. 204. matronis Ostiam ire iussus obviam deae, isque eam de
 nave accipere, et in terram elatam tradere ferendam ma-
 tronis. Postquam navis ad ostium amnis Tiberini acces-
 sit, sicut erat iussus, in salum nave evectus, ab sacerdotibus
 Claudia. deam accepit, extulitque in terram. Matronae primores
 civitatis, inter quas unius Claudiae Quintae insigne est 5
 nomen, acceperunt: cui dubia, ut traditur, antea fama cla-
 rior ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit.
 Eae per manus, succedentes deinceps aliae aliis, omni
 effusa civitate obviam, turibulis ante ianuas positis, qua
 praeferebatur, atque accenso ture, precantibus, ut volens
 propitiaque urbem Romanam iniret, in aedem Victoriae,
 quae est in Palatio, pertulere deam pridie Idus Apriles; 6
 isque dies festus fuit. Populus frequens dona deae in Pa-
 Megalesia. latium tulit: lectisterniumque et ludi fuere, Megalesia 7
 appellata.

15. Quum de supplemento legionum, quae in provinciis
 erant, ageretur; 'tempus esse,' a quibusdam senatoribus 8
 subiectum est, 'quae dubiis in rebus utcumque tolerata
 'essent, ea, dempto iam tandem deum benignitate metu,
 'non ultra pati.' Erectis expectatione Patribus, subiece-
 runt, 'colonias Latinas duodecim, quae Q. Fabio et Q.
 'Fulvio consulibus abnuissent milites dare, eas annum iam
 'ferme sextum vacationem militiae, quasi honoris et bene-
 'ficii causa, habere: quum interim boni obedientesque
 'socii, pro fide atque obsequio in populum Romanum,
 'continuis omnium annorum delectibus exhausti essent.'
 Sub hanc vocem non memoria magis Patribus renovata rei
 prope iam oblitteratae, quam ira irritata est. Itaque, nihil
 prius referre consules passi, decreverunt, 'ut consules ma-
 S. C. de colo- gistratus denosque principes Nepete, Sutrio, Ardea, 9
 niis quae milites non dederant. 'Calibus, Alba, Carseolis, Sora, Suessa, Setia, Circeis,
 'Narnia, Interamna,' (eae namque coloniae in ea causa 1
 erant) 'Romam excirent: iis imperarent, quantum quae-

5 *Claudiae Quintae*] Eam falso
 virginem Vestalem a multis credi,
 allatis plurimis argumentis, maxime-
 que provocans ad Ovid. Fast. iv.
 313. docet Duker. *Quintae* prono-
 men, ut *Fabius Quintus* supr. iii. 1.
 cf. Sueton. Tib. 2. Propert. iv. 12.

6 *Pridie Idus Apriles; isque dies
 festus fuit*] Ludos tamen Megalenses
 Fasti dierum antiqui demonstrant a
 pridie Nonas Aprilis ad V. Idus fu-
 isse. Itaque vel ii ludi, primo cele-
 brati pridie Idus Aprilis, in pridie
 Nonas postea reiecti sunt: vel hic
 pro *pridie Idus*, legendum est *pridie*

Nonas. MANUTIUS.

7 *Megalesia appellata*] A nomine
 Magnae Matris deum. cf. Cic. de
 Harusp. 12.

8 *A quibusdam senatoribus sub-
 iectum est*] Quidam senatores monu-
 erunt.

9 *Denosque principes*] sc. *Decem
 primos* cuiusque coloniae, qui in sua
 quisque decuria principes erant. Hi
 in legationes mittebantur. cf. supr.
 viii. 8. Cic. pro Sex. Rosc. 9. Niebhr.
 i. n. 784. ii. n. 42.

1 *Eae namque coloniae*] cf. Supr.
 xvii. 9.

‘que earum coloniarum militum plurimum dedisset populo U. C. 548.
 ‘Romano, ex quo hostes in Italia essent, duplicatum eius A. C. 204.
 ‘summae numerum peditum daret, et equites centenos
 ‘vicenos. Si qua eum numerum equitum explere non
 ‘posset, pro equite uno tres pedites liceret dare: pedites
 ‘equitesque quam locupletissimi legerentur, mitterentur-
 ‘que, ubicumque extra Italiam supplemento opus esset.
 ‘Si qui ex iis recusarent, retineri eius coloniae magistratus
 ‘legatosque placere: neque, si postularent, senatum dari,
 ‘priusquam imperata fecissent. Stipendium praeterea iis
 2 ‘coloniis in millia aeris asses singulos imperari exigique
 3 ‘quotannis: censumque in iis coloniis agi ex formula ab
 ‘Romanis censoribus data. Dari autem placere eandem,
 ‘quam populo Romano: deferrique Roman ab iuratis
 ‘censoribus coloniarum, priusquam magistratu abirent.’
 Ex hoc senatusconsulto, accitis Romam magistratibus pri-
 moribusque earum coloniarum, consules quum militem sti-
 pendiumque imperassent, alii aliis magis recusare ac recla-
 4 mare. Negare ‘tantum militum effici posse: vix, si
 5 ‘simplum ex formula imperetur, enisuros.’ Orare atque
 obsecrare, ‘ut sibi senatum adire ac deprecari liceret.
 ‘Nihil se, quare perire merito deberent, admisisse: sed, si
 ‘pereundum etiam foret, neque suum delictum, neque
 ‘iram populi Romani, ut plus militum darent, quam ha-
 ‘berent, posse efficere.’ Consules obstinati manere legatos
 Romae iubent; magistratus ire domos ad delectus habendo-
 6: nisi summa militum, quae imperata esset, Romam
 adducta, neminem iis senatum daturum. Ita praecisa spe
 senatum adeundi deprecandique, delectus in iis duodecim
 coloniis, per longam vacationem numero iuniorum aucto,
 haud difficulter est perfectus.

6 Altera item res, prope aeque longo neglecta silentio, re- 16.
 lata a M. Valerio Laevino est. Qui, ‘privatis collatas pe- Privatis
 ‘cunias, se ac M. Claudio consulibus, reddi tandem, acqum iubetur
 ‘esse’ dixit. ‘Nec mirari quemquam debere, in publica reddi pecu-
 ‘obligata fide suam praecipuam curam esse. Nam, prae- nia.
 ‘terquam quod aliquid proprie ad consulem eius anni, quo
 ‘collatae pecuniae essent, pertineret, etiam se auctorem ita

2 *In millia aeris*] Census enim in singula aeris millia semper agebatur. cf. Niebhr. ii. n. 889. infr. xxxix. 7. et 44.

3 *Ex formula ab Romanis censoribus data*] In qua res mancipii, quae censui subiiciebantur, quo pretio singulae aestimandae essent, perscribebantur. Niebhr. i. n. 1044, 1045.

4 *Si simplum ex formula impe-*

retur] Intellige consuetam legem, ex qua certus numerus militum cuique coloniae imperabatur. cf. sup. xxii. 57.

5 *Enisuros*] sc. Omni virium nisi id effecturos.

6 *Prope aeque longo*] Imo longiore. Siquidem Marcelli et Laevini consulatus in annum U. C. 542. incidit, Fabii et Fulvii in sequentem. CREV.

U. C. 548. 'conferendi fuisse, inopi aerario, nec plebe ad tributum 7
A. C. 204. 'sufficiente.' Grata ea Patribus admonitio fuit: iussisque
referre consulibus, decreverunt, 'ut tribus pensionibus ea
' pecunia solveretur: primam praesentem ii, qui tum essent,
' duas tertii et quinti consules numerarent.'

Locren-
sium lega-
ti.

17.
Eorum
oratio de-
plorantium
fortunas
suas.

Omnes deinde alias curas una occupavit, postquam Lo-
crensium clades, quae ignoratae ad eam diem fuerant, le-
gatorum adventu vulgatae sunt. Nec tam Q. Pleminii
seelus, quam Scipionis in eo aut ambitio aut negligentia 8
iras hominum irritavit. Decem legati Locrensium, obsiti
squalore et sordibus, in comitio sedentibus consulibus vela-
menta supplicum, ramos oleae (ut Graecis mos est) porri-
gentes, ante tribunal cum flebili vociferatione humi procu-
buerunt. Quaerentibus consulibus, 'Locrenses se,' dixerunt,
'esse, ea passos a Q. Pleminio legato Romanisque militibus,
' quae pati ne Carthaginienses quidem velit populus Ro-
' manus. Rogare, uti sibi Patres aedeundi, deplorandique
' aerumnas suas potestatem facerent.' Senatu dato, maximus 9
natu ex iis: 'Scio, quanti aestimentur nostrae apud vos
' querelae, Patres conscripti, plurimum in eo momenti esse,
' si probe sciatis, et quomodo proditi Locri Hannibali sint,
' et quomodo, pulso Hannibalis praesidio, restituti in di-
' tionem vestram. Quippe si et culpa defectionis procul a
' publico consilio absit, et reditum in vestram ditionem
' appareat, non voluntate solum, sed ope etiam ac virtute
' nostra; magis indignemini, bonis ac fidelibus sociis tam
' atroces atque indignas iniurias ab legato vestro militibus-
' que fieri. Sed ego causam utriusque defectionis nostrae 1
' in aliud tempus differendam arbitror esse, duarum rerum
' gratia: unius, ut coram P. Scipione, qui Locros recepit,
' omnium nobis recte perperamque factorum testis, agatur;
' alterius, quod, qualescunque sumus, tamen haec, quae
' passi sumus, pati non debuimus. Non possumus dis-
' simulare, Patres conscripti, nos, quum praesidium Pu-
' nicum in arce nostra haberemus, multa foeda et indigna,
' et a praefecto praesidii Hamilcare, et ab Numidis Afrisque
' passos esse. Sed quid illa sunt, collata cum iis, quae

7 *Inopi aerario*] Proba lectio: quam tamen auctoritas mss. destituit. Omnes enim *inopiae* vel *inopia aerarii*. CREV.

8 *Ambitio*] Pravum colligendi ex nimia indulgentia favoris studium: vel propensus in potentiores favor. CREV.

9 *Scio, quanti aestimentur*] Scio plurimum momenti, ad statuendum quanti aestinare debeatis querelas nostras, in eo esse, si probe sciatis ...

sive, scio, id velut pretium quod dicturi estis querelis nostris, plurimum pendere ex eo, si probe sciatis. CREV.

1 *Causam ... differendam*] Non hodie nos debere dicere de utraque defectione nostra, et super hoc negotio causam civitatis nostrae agere. *Causa* non est hic id a quo aliquid producit, sed pro negotio, lite, accipi debet. Hinc sequitur mox *ut ... agatur*, nempe causa illa. CREV.

' hodie patimur? Cum bona venia, quaeso, audiat, Pa- U. C. 548.
 ' tres conscripti, id, quod invitatus dicam. In discrimine est A. C. 204.
 ' nunc humanum omne genus, utrum vos, an Carthagini-
 ' enses principes terrarum videat. Si ex iis, quae Locrenses
 ' aut ab illis passi sumus, aut a vestro praesidio nunc quum
 ' maxime patimur, aestimandum Romanum ac Punicum
 ' imperium sit; nemo non illos sibi, quam vos, dominos
 ' praeoptet. Et tamen videte, quemadmodum Locrenses
 ' in vos animati sint. Quum a Carthaginiensibus iniurias
 ' tanto minores acciperemus, ad vestrum imperatorem con-
 ' fugimus: quum a vestro praesidio plus quam hostilia
 ' patiamur, nusquam alio, quam ad vos, querelas detulimus.
 ' Aut vos respicietis perditas res nostras, Patres conscripti,
 ' aut ne ab diis quidem immortalibus quod precemur, quic-
 ' quam superest. Q. Pleminius legatus missus est cum
 ' praesidio ad recipiendos a Carthaginiensibus Locros, et
 ' cum eodem ibi relictus est praesidio. In hoc legato
 ' vestro (dant enim animum ad loquendum libere ultimae
 ' miseriae) nec hominis quicquam est, Patres conscripti,
 ' praeter figuram et speciem; neque Romani civis, praeter
 ' habitum, vestitumque, et sonum Latinae linguae. Pestis
 ' ac bellua immanis, quales fretum quondam, quo ab Sicilia
 ' dividimur, ad perniciem navigantium circumsedis-
 ' se fabulae ferunt. At si scelus, libidinemque, et avaritiam
 ' solus ipse exercere in socios vestros satis haberet, unam
 ' profundam quidem voraginem tamen patientia nostra ex-
 ' pleremus. Nunc omnes centuriones militesque vestros
 ' (adeo in promiscuo licentiam atque improbitatem esse
 ' voluit) Pleminios fecit: omnes rapiunt, spoliant, ver-
 ' berant, vulnerant, occidunt: constuprant matronas, vir-
 ' gines, ingenuos, raptos ex complexu parentum. Quotidie
 ' capitur urbs nostra, quotidie diripitur; dies noctesque
 ' omnia passim mulierum puerorumque, qui rapiuntur
 ' atque asportantur, ploratibus sonant. Miretur, qui sciat,
 ' quomodo aut nos ad patiendum sufficiamus, aut illos, qui
 ' faciunt, nondum tantarum iniuriarum satietas ceperit.
 2 ' Neque ego exsequi possum, nec vobis operae est audire
 ' singula, quae passi sumus. Communiter omnia ample-
 ' ctar. Nego domum ullam Locris; nego quemquam ho-
 ' minem expertem iniuriae esse; nego ullum genus sceleris,
 ' libidinis, avaritiae superesse, quod in ullo, qui pati po-
 ' tuerit, praetermissum sit. Vix ratio iniri potest, uter
 ' casus civitatis sit detestabilior, quum hostes bello urbem
 ' cepere, an quum exitiabilis tyrannus vi atque armis op-
 ' pressit. Omnia, quae captae urbes patiuntur, passi sumus,

U. C. 548. 'et quum maxime patimur, Patres conscripti; omnia, quae
 A. C. 204. 'crudelissimi atque importunissimi tyranni scelera in op-
 18. 'pressos cives edunt, Pleminius in nos, liberosque nostros,
 'et coniuges, edidit. Unum est, de quo nominatim et nos
 'queri religio infixā animis cogat, et vos audire, et exsolvere
 'republicam vestram religione, si ita vobis videbitur, ve-³
 'limus, Patres conscripti. Vidimus enim, cum quanta
 'caerimonia non vestros solum colatis deos, sed etiam ex-⁴
 'ternos accipiatis. Fanum est apud nos Proserpinae, de
 'cuius sanctitate templi credo aliquam famam ad vos per-
 'venisse Pyrrhi bello: qui quum, ex Sicilia rediens, Locros
 'classe praeterveheretur, inter alia foeda, quae propter
 'fidem erga vos in civitatem nostram facinora edidit, the-
 'sauros quoque Proserpinae, intactos ad eam diem, spo-
 'liavit: atque ita, pecunia in naves imposita, ipse terra est
 'profectus. Quid ergo evenit, Patres conscripti? Classis
 'postero die foedissima tempestate lacerata, omnesque
 'naves, quae sacram pecuniam habuerunt, in litora nostra
 'eiectae sunt. Qua tanta clade edoctus tandem deos
 'esse superbissimus rex, pecuniam omnem conquisitam in
 'thesauros Proserpinae referri iussit. Nec tamen illi
 'unquam postea prosperi quicquam evenit: pulsusque
 'Italia, ignobili atque inhonesta morte, temere nocte in-
 'gressus Argos, occubuit. Haec quum audisset legatus
 'vester, tribunique militum, et mille alia, quae non au-
 'gendae religionis causa, sed praesentis deae numine saepe
 'comperta nobis maioribusque nostris, referebantur; ausi
 'sunt nihilo minus sacrilegas admoveere manus intactis illis
 'thesauris, et nefanda praeda se ipsos ac domos conta-
 'minare suas et milites vestros. Quibus, per vos fidemque⁵
 'vestram, Patres conscripti, priusquam eorum scelus ex-⁶
 'pietis, neque in Italia, neque in Africa quicquam rei ges-

3 *Rempubicam vestram religione*] Peccato contra religionem, piaculo.

4 *Etiam externos accipiatis*] cf. Quae de Idaea matre supr. 14. traduntur.

5 *Per vos fidemque vestram*] Particulam *que* eiiciendam censet Gronovius, quem Bekker. secutus est, qui *vos* in casu quarto accipit, sub. *precamur*, et locum ita refingit, *per, vos, fidem vestram*, sc. per fidem vestram vos obsecramus. Similiter Quint. Curt. v. 8. 16. *Per ego vos decora maiorum*. Crevierius tamen vulgatam lectionem defendit, quam cod. Victorinus exhibet.

6 *Priusquam eorum scelus expietis, neque in Italia, neque in Africa quicquam rei*] Haec omnia solus

codex Victorinus nobis integra exhibuit. In ceteris codd. nostris, ut et in Gronovianis, nihil fere horum exstat. Non possumus tamen assentiri Gronovio ea recidenti, et horum omnium loco substituenti *ne quam rem*. Si tantum credimus Put. codici, quid fiet his eiusdem orationis locis, quae decurtata et mutila in eodem libro reperiuntur? *Qualescunque sumus, pati non debimus: omissis mediis, tamen haec quae passi sumus*. Et, *saepe comperta nobisque nostris*, pro *nobis maioribusque nostris*. Et, *Hae dea poenas a templi sui violatoribus habet desinet*, omissis *rois nec ante*, quae praefigunt ceteri libri verbo *desinet*, et omnino necessaria sunt ad integrandum sensum.

'seritis; ne, quod piaculum commiserunt, non suo solum U. C. 548.
 'sanguine, sed etiam publica clade luant. Quanquam ne A. C. 204.
 'nunc quidem, Patres conscripti, aut in ducibus, aut in
 'militibus vestris cessat ira deae. Aliquoties iam inter se
 7 'signis collatis concucurrerunt. Dux alterius partis Ple-
 'minius, alterius duo tribuni militum erant: non acrius
 'eum Carthaginiensibus, quam inter se ipsi, ferro dimica-
 'verunt: praebuissentque occasionem furore suo Locros
 'recipiendi Hannibali, ni accitus ab nobis Scipio interve-
 'nisset. At, hercule, milites contactos sacrilegio furor
 'agitat: in ducibus ipsis puniendis nullum deae numen
 'apparuit? Imo ibi praesens maxime fuit. Virgis caesi
 'tribuni ab legato sunt. Legatus deinde insidiis tribu-
 'norum interceptus, praeterquam quod toto corpore lace-
 'ratus, naso quoque auribusque decisis, exsanguis est re-
 'lictus: recreatus deinde legatus ex vulneribus, tribunos
 'militum in vincula coniectos, dein verberatos, servilibus-
 8 'que omnibus suppliciis cruciatos trucidando occidit;
 'mortuos deinde prohibuit sepeliri. Has dea poenas a
 'templi sui spoliatoribus habet: nec ante desinet omnibus
 'eos agitare furiis, quam reposita sacra pecunia in thesauris
 'fuerit. Maiores quondam nostri, gravi Crotoniensium
 'bello, quia extra urbem templum est, transferre in urbem
 'eam pecuniam voluerunt. Noctu audita ex delubro vox
 'est,' Abstinerent manus: deam sua templa defensuram.
 'Quia movendi inde thesauros incussa erat religio, muro
 9 'circumdare templum voluerunt. Ad aliquantum iam alti-
 'tudinis excitata erant moenia, quum subito collapsa ruina
 'sunt. Sed et nunc, et saepe alias dea suam sedem,
 'suumque templum aut tutata est, aut a violatoribus gravia
 'piacula exegit. Nostras iniurias nec potest, nec possit
 'alius ulcisci, quam vos, Patres conscripti. Ad vos ves-
 'tramque fidem supplices confugimus. Nihil nostra in-
 'terest, utrum sub illo legato, sub illo praesidio Locros
 'esse sinatis, an irato Hannibali et Poenis ad supplicium
 'dedatis. Non postulamus, ut extemplo nobis, ut de ab-
 'sente, ut indicta causa credatis. Veniat, coram ipse

Multa alia exempla cumulare posse-
 mus. Sed haec satis sint. Quibus
 quidem ideo immorati sumus, quia
 Gronovius eos increpat hoc loco, qui
 sibi credituri non sint. Rationem
 igitur reddimus, cur a viro doctissimo,
 et acutissimo, et de Livii opere tam
 bene merito, dissentire cogamur.
 CREV. In Gronovii partes Bekker,
 se addit.

7 *Concucurrerunt*] Ita Put. codex,
 quem Iac. Gronovius citat.

8 *Cruciatos trucidando occidit*]
 Omnis scriptorum et vett. editorum
 manus: *trucidatos cruciando occidit*.
 Mutavit Gronovius, qui sic exponit.
 Significat, inquit, non tortos solum,
 sed omni saevitiae genere truncatis
 artibus discerptos, tandem mortem in-
 venisse. cf. supr. xxi. 13. Val. Max.
 ix. 2. CREV.

9 *Ad aliquantum iam altitudinis*]
 Praepositionem *ad* delet Bekker. sed
 retinendam censet Crevier.

U. C. 548. 'audiat, ipse diluat. Si quicquam sceleris, quod homo in
A. C. 204. 'homines edere potest, in nos praetermisit; non recusa-
'mus, quin et nos omnia eadem iterum, si pati possumus,
'patiamur, et ille omni divino humanoque liberetur scelere.'

19.

Fabii sen-
tentia
atrox in
Scipionem.

Haec quum ab legatis dicta essent, quaesissetque ab iis
Q. Fabius, detulissentne eas querelas ad P. Scipionem; re-
sponderunt, 'missos legatos esse, sed eum belli apparatu
'occupatum esse: et in Africam aut iam traiecisse, aut
'intra paucos dies traiecturum. Et, legati gratia quanta
'esset apud imperatorem, expertos esse: quum, inter eum
'et tribunos cognita causa, tribunos in vincula coniecerit;
'legatum aequae sententiae, aut magis etiam, in ea potestate
'reliquerit.' Iussis excedere e templo legatis, non Pleminius
modo, sed etiam Scipio, principum orationibus lacerari.
Ante omnes Q. Fabius, natum eum ad corrumpendam dis-
ciplinam militarem, arguere. 'Sic et in Hispania plus
'prope per seditionem militum, quam bello, amissum: ex-
'terno et regio more et indulgere licentiae militum, et
'saevire in eos.' Sententiam deinde aequae truces orationi
adiecit. 'Pleminium legatum vinctum Romam deportari
'placere, et ex vinculis causam dicere: ac, si vera forent,
'quae Locrenses quererentur, in carcere necari, bonaque
'eius publicari. P. Scipionem, quod de provincia deces-
'sisset iniussu senatus, revocari: agique cum tribunis plebis,
'ut de imperio eius abrogando ferrent ad populum. Lo-
'crensibus coram senatum respondere, Quas iniurias sibi
'factas quererentur, eas neque senatum, neque populum
'Romanum factas velle. Viros bonos, sociosque, et amicos
'eos appellari: liberos, coniuges, quacque alia erepta essent,
'restitui: pecuniam, quanta ex thesauris Proserpinae sub-
'lata esset, conquiri, duplamque pecuniam in thesauros re-
'poni: et sacrum piaculare fieri, ita ut prius ad collegium
'pontificum referretur, quod sacri thesauri moti, violati
'essent, quae piacula, quibus diis, quibus hostiis, fieri pla-
'ceret. Milites, qui Locris essent, omnes in Siciliam trans-
'portari: quattuor cohortes sociorum Latini nominis in
'praesidium Locros adduci.' Perrogari eo die sententiae,²
accensis studiis pro Scipione et adversus Scipionem, non
potuere. Praeter Pleminii facinus Locrensiūque cladem,
ipsius etiam imperatoris non Romanus modo, sed ne mili-
taris quidem cultus iactabatur: 'cum pallio crepidisque³

Obiectus
Scipioni
cultus li-
centior.

¹ *Saevire in eos*] Invidiose notat Fabius supplicium sumptum a Scipione de auctoribus seditionis Sucronensis. CREV.

² *Perrogari eo die sententiae*] Deliberatio ad finem perducere eo die non potuit. CREV.

³ *Cum pallio crepidisque*] Pallium et crepidae Graecorum erant. De pallio, notum est. Crepidas a Graecis maxime gestatas esse suadet vox ipsa, quae mere Graeca est, teste Gellio, xiii. 20. et diserte Persius *crepidas Graiorum* appellat, Sat. i. v.

4 'inambulare in gymnasio, libellis cum palaestraeque ope- U. C. 548.
 5 'ram dare: aeque segniter molliterque cohortem totam A. C. 204.
 'Syracusarum amoenitate frui: Carthaginem atque Hanni-
 'balem excidisse de memoria: exercitum omnem licentia
 'corruptum, qualis Sucerone in Hispania fuerit, qualis nunc
 'Loeris, sociis magis, quam hosti, metuendum.' Haec 20.
 quanquam partim vera, partim mixta, eoque similia veris Metelli
 iactabantur, vicit tamen Q. Metelli sententia: qui, de ce-
 teris Maximo assensus, de Scipionis causa dissensit. 'Qui
 'enim convenire, quem modo civitas iuvenem admodum
 'recuperandae Hispaniae delegerit ducem, quem, recepta
 'ab hostibus Hispania, ad imponendum Punico bello finem
 'creaverit consulem, spe destinaverit Hannibalem ex Italia
 'detracturum, Africam subacturum, cum repente, tanquam
 'Q. Plerninium, indicta causa prope damnatum, ex provin-
 'cia revocari? quum ea, quae in se nefarie facta Locrenses
 'quererentur, ne praesente quidem Scipione facta dicerent,
 'neque aliud, quam patientia, aut pudor, quod legato pe-
 'perisset, insimulari possit? Sibi placere, M. Pomponium
 'praetorem, cui Sicilia provincia sorte evenisset, triduo
 6 'proximo in provinciam proficisci: consules decem legatos,
 'quos iis videretur, ex senatu legere, quos cum praetore
 7 'mitterent, et duos tribunos plebei, atque aedilem. Cum
 8 'eo consilio praetorem cognoscere. Si ea, quae Locrenses
 'facta quererentur, iussu aut voluntate P. Scipionis facta
 'essent, ut eum de provincia decedere iuberent. Si P.
 'Scipio iam in Africam traiecisset, tribuni plebis atque
 'aedilis cum duobus legatis, quos maxime praetor idoneos
 'censuisset, in Africam proficiscerentur: tribuni atque

127. Iam vero crepidae ipsae, prae-
 terquam quod non Romanae, non
 satis ex dignitate imperatoris vide-
 bantur esse. Idem ferme obiecit
 Cicero Verri. *Stetit soleatus praetor
 populi Romani cum pallio purpureo.*
Soleae enim idem fere erant, quod
crepidae. Iis plantarum calces tan-
tummodo infime tegebantur. Cetera
prope nuda et teretibus habenis
vinata, ut habet Gell. loco iam me-
morato. Germanicum quoque Caes-
sarem a Tiberio perstrictum in senatu
auctor est Tacitus, Ann. ii. 59. quod
in Aegypto pedibus intectis, id est
soleatus crepidatusve incessisset, et
pari cum Graecis amictu. CREV.

4 *Libellis eum palaestraeque]* Li-
 bellos hic intelligimus a rhetoribus
 philosophisve conscriptos et propo-
 sitos auditoribus: quemadmodum
 apud Cic. de Or. i. 105. *atque ex eo.*

*qui non in libellis, sed in maximis
 causis, et in hoc domicilio imperii et
 gloriae. sit consilio linguaeque prin-*
ceps. CREV.

5 *Cohortem totam]* Amicos omnes
 et ministros proconsulis. *Cohortis*
 nomine designantur ii qui magistratui
 in provincia adsunt, consilarii, adju-
 tores, administri. Et sic passim Ci-
 cero hoc nomen usurpat in libris con-
 tra Verrem. CREV.

6 *Decem legatos]* Numerus hic ad
decem primos senatores haud dubie
 spectat. cf. Niehr. i. n. 785. ii. n. 42.

7 *Duos tribunos plebei]* cf. Supr.
 ix. 9. et 37.

8 *Cum eo consilio praetorem co-*
gnoscere] sc. Assidentibus tribunis
 plebei, aedili, et decem legatis, quae-
 stionem de iis, quae Scipioni obiecta
 erant, habere.

U. C. 548. ' aedilis, qui reducerent inde Scipionem : legati, qui exer-
 A. C. 204. ' citui praecessent, donec novus imperator ad eum exercitum
 ' venisset. Sin M. Pomponius et decem legati comperissent,
 ' neque iussu, neque voluntate P. Scipionis ea facta esse,
 ' ut ad exercitum Scipio maneret, bellumque, ut proposuis-
 Legati Lo- ' set, gereret.' Hoc facto senatusconsulto, cum tribunis
 cros mit- plebis actum est, ut compararent inter se, aut sorte legerent,
 tuntur, qui duo cum praetore ac legatis irent. Ad collegium pon-
 tificum relatum de expiandis, quae Locris in templo Pro-
 serpinae tacta, violata, elataque inde essent. Tribuni ple-
 bis cum praetore et decem legatis profecti M. Claudius
 Marcellus et M. Cincius Alimentus : iis aedilis plebis datus,
 quem, si aut in Sicilia praetori dicto audiens non esset
 Scipio, aut iam in Africam traiecisset, prendere tribuni iu-
 berent, ac iure sacrosanctae potestatis reducerent. Prius
 Locros ire, quam Messanam, consilium erat.

21. Ceterum duplex fama est, quod ad Pleminium attinet.
 Alii, auditis, quae Romae acta essent, in exsilium Neapo-
 lim euntem forte in Q. Metellum, unum ex legatis, inci-
 disse, et ab eo Rhegium vi retractum tradunt : alii, ab ipso
 Scipione legatum cum triginta nobilissimis equitum missum,
 qui Q. Pleminium in catenas, et cum eo seditionis princi-
 pes, conicerent. Ii omnes, seu ante Scipionis, seu tum
 praetoris iussu, traditi in custodiam Rheginis. Praetor le-
 gatique Locros profecti primam, sicuti mandatum erat,
 religionis curam habuere. Omnem enim sacram pecuniam,
 quaeque apud Pleminium, quaeque apud milites erat, con-
 quisitam, cum ea, quam ipsi secum attulerant, in thesauris
 reposuerunt, ac piaculare sacrum fecerunt. Tum vocatos
 ad concionem milites praetor signa extra urbem efferre
 iubet, castraque in campo locat, cum gravi edicto, ' Si quis
 ' miles aut in urbe restitisset, aut secum extulisset, quod²
 ' suum non esset ; Locrensibus se permittere, ut, quod sui
 ' quisque cognosset, prehenderet : si quid non compareret,³
 ' repeteret. Ante omnia, libera corpora placere sine mora
 ' Locrensibus restitui : non levi defuncturum poena, qui
 ' non restituisset.' Locrensiū deinde concionem habuit,

Pleminius
 in vincula
 coniectus.

Sacra pe-
 cunia in
 thesauris
 Proserpi-
 nae reponi-
 tur.

⁹ *Ad collegium pontificum*] Scripti
ad concilium : quod utrum pro vero
 habere debeat, se non decernere pro-
 fitetur Crevier, suspicatur tamen Dra-
 kenb. id ex librariorum incuria na-
 tum esse.

¹ *In exsilium Neapolim*] Nea-
 polim inter urbes fuisse in quibus ex-
 sulibus Romanis esse licebat, e Polyb.
 vi. 12. docet Sigon. de Ant. Iur. Ita-
 liae ii. 14. DUKER.

² *Quod suum non esset*] Haec in

solo Victor. cod. reperimus, quae Li-
 viana esse non dubitamus. CREV.

³ *Si quid non compareret, repe-
 teret*] Ultimo verbo carent plerique
 libri, et eius loco substituant unde.
 Itaque Gronovius legendum putat : *si
 quid non compareret, vindicaret*, id
 est, iudicio repeteret. Nos tanta mo-
 liri piget, ubi libri certam non prae-
 ferunt faciem. Victor. codex servat
re repeteret. CREV. *Vindicaret* re-
 cepit Bekker.

atque, 'iis libertatem legesque suas populum Romanum U. C. 548.
 4 'senatumque restituere,' dixit. 'Si qui Pleminium aliumve A. C. 204.
 'quem accusare vellet, Rhegium se sequeretur. Si de P.
 5 'Scipione publice queri vellent, ea, quae Locris nefarie in
 'deos hominesque facta essent, iussu aut voluntate P. Sci-
 'pionis facta esse, legatos mitterent Messanam; ibi se cum
 'consilio cogniturum.' Locrenses praetori legatisque, et Locrenses
 senatui ac populo Romano gratias egere: 'se ad Pleminium nolunt Sci-
 'accusandum ituros. Scipionem, quanquam parum iniuriis pionem ac-
 'civitatis suae doluerit, eum esse virum, quem amicum sibi, cusare.
 'quam inimicum, malint esse. Pro certo se habere, neque
 'iussu, neque voluntate P. Scipionis tot tam nefanda com-
 'missa: aut Pleminio nimium, aut sibi parum creditum.
 'Natura insitum quibusdam esse, ut magis peccari nolint,
 'quam satis animi ad vindicanda peccata habeant.' Et
 praetori et consilio haud mediocre onus demptum erat de
 Scipione cognoscendi. Pleminium, et ad duo et triginta
 homines cum eo damnaverunt, atque in catenis Romam
 miserunt: ipsi ad Scipionem profecti sunt, ut ea quoque,
 quae vulgata sermonibus erant de cultu ac desidia impera-
 toris solutaeque militiae disciplina, comperta oculis perfer-
 rent Romam. Venientibus iis Syracusas, Scipio res, non 22.
 verba, ad purgandum sese paravit. Exercitum omnem eo Scipio res,
 convenire, classem expediri iussit, tanquam dimicandum eo non verba,
 die terra marique cum Carthaginiensibus esset. Quo die ad purgan-
 venerunt, hospitio comiter acceptis postero die terrestrem dum se pa-
 navalemque exercitus, non instructos modo, sed hos decur- rat.
 rentes, classem in portu, simulacrum et ipsam edentem
 navalis pugnae, ostendit: tum circa armamentaria et horrea
 aliumque belli apparatus visendum praetor legatique ducti.
 Tantaque admiratio singularum universarumque rerum in-
 cussa, ut satis crederent, aut illo duce atque exercitu vinci
 Carthaginiensem populum, aut nullo alio posse: iuberent-
 que, quod dii bene verterent, traicere, et spei conceptae,
 6 quo die illum omnes centuriae priorem consulem dixissent,
 primo quoque tempore compotem populum Romanum
 facere: adeoque laetis inde animis profecti sunt, tanquam
 victoriam, non belli magnificum apparatus, nuntiaturi Ro-
 mam essent.

Pleminius, quique in eadem causa erant, postquam Ro- Pleminius
 mam est ventum, ex templo in carcerem conditi. Ac primo in vinculis
 producti ad populum ab tribunis, apud praeoccupatos Lo- moritur.

4 *Si qui*] *Si quis* est, si ex omni-
 bus hominibus aliquis: *si qui*, si ex
 quibusdam hominibus, si ex certo
 hominum numero aliquis. RASCHIG.

5 *Publice*] Nomine civitatis suae.

6 *Priorem consulem*] Eundem,
 quem *consulem maiorem* veteres ap-
 pellabant. cf. Festus v. *Maiorem con-*
sulem. Niebhr. i. n. 1143.

U. C. 548. crensium clade animos, nullum misericordiae locum habue-
 A. C. 204. runt. Postea, quum saepius producerentur, iam senescente
 invidia, mollebantur irae: et ipsa deformitas Pleminii me-
 moriaque absentis Scipionis favorem ad vulgum conciliabat.
 Mortuus tamen prius in vinculis est, quam iudicium de eo
 populi perficeretur. Hunc Pleminium Clodius Licinius in 7
 libro tertio rerum Romanarum refert, ludis votivis, quos
 Romae Africanus iterum consul faciebat, conatum per
 quosdam, quos pretio corruperat, aliquot locis urbem incen-
 dere, ut frangendi carceris fugiendique haberet occasionem:
 patefacto dein scelere, delegatum in Tullianum ex senatus-8
 consulto. De Scipione nusquam, nisi in senatu, actum:
 ubi omnes legatique et tribuni, classem eam, exercitum,
 ducemque verbis extollentes, effecerunt, ut senatus cense-
 ret, primo quoque tempore in Africam traiciendum; Sci-
 pionique permetteretur, ut ex iis exercitibus, qui in Sicilia
 essent, ipse legeret, quos in Africam secum traiceret, quos
 provinciae relinqueret praesidio.

23. Dum haec apud Romanos geruntur, Carthaginenses
 quoque, quum, speculis per promontoria omnia positis,
 percunctantes paventesque ad singulos nuntios sollicitam
 hiemem egissent, laud parvum et ipsi tuendae Africae mo-
 mentum adiecerunt societatem Syphacis regis, cuius maxime
 fiducia traiecurum in Africam Romanum crediderunt.
 Erat Hasdrubali Gisgonis filio non hospitium modo cum
 rege, de quo ante dictum est, quum ex Hispania forte in
 idem tempus Scipio atque Hasdrubal convenerunt: sed
 mentio quoque inchoata affinitatis, ut rex duceret filiam
 Hasdrubalis. Ad eam rem consummandam tempusque 9
 nuptiis statuendum (iam enim et nubilis erat virgo) profec-
 tus Hasdrubal, ut accensum cupiditate (et sunt ante omnes
 Numidae barbaros effusi in Venerem) sensit, virginem ab
 Carthagine arcessit, maturatque nuptias: et inter aliam

Hasdruba-
 lis filiam
 ducit Sy-
 phax.

7 *Clodius Licinius*] Meminit Cic. de Legg. i. 6. Clodii, historiarum scriptoris: qui si hic est *Clodius Licinius*, eius aetas certo cognoscetur. Docet enim ibidem Cicero illum, de quo agit, Clodium scripsisse post Coelium Antipatrum, ac proinde circa Syllana tempora. CREV.

8 *Tullianum*] *Inferiorem carcerem* vocat ipse Livius infr. xxxiv. 44. Hunc locum sic describit Sall. Cat. 55. "Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur . . . circiter duodecim pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus vincta: sed incultu, tenebris, odore foeda atque terribilis eius fa-

cies." In eum demittebant soutes quibus gula laqueo frangenda esset. *Tullianum* dicebatur a Ser. Tullio rege, qui eam carceris partem aedificaverat. Ceterum, quod hic dubitanter et adiecto auctoris nomine de Pleminio in carcere necato memorat Livius, id tanquam certum, nec sibi ullo modo suspectum, rursus narrat loco supra allato. CREV. Carcer hodie exstat infra ecclesiam S. Iosephi. cf. Nardini di Rom. Antica ii. p. 281.

9 *Ad eam rem consummandam*] *Confirmendam* plur. codd. exhibent. An huius aevi verbum sit *consummare* dubitat Drakenborchius, sed supr. xxviii. 17. id usurpatum habemus.

gratulationem, ut publicum quoque foedus privato adiace-
retur, societas inter populum Carthaginiensem regemque,
data ultro citroque fide, eosdem amicos inimicosque habi-
turos, iureiurando affirmatur. Ceterum Hasdrubal, memor
et cum Scipione initae regi societatis, et quam vana et
mutabilia barbarorum ingenia essent, veritus, ne, si traice-
ret in Africam Scipio, parvum vinculum eae nuptiae essent,
dum accensum recenti amore Numidam habet, perpellit,
blanditiis quoque puellae adhibitis, ut legatos in Siciliam
ad Scipionem mittat, per quos moneat eum, 'Ne prioribus
'suis promissis fretus in Africam traiciat. Se et nuptiis
'civis Carthaginiensis, filiae Hasdrubalis, quem viderit
'apud se in hospitio, et publico etiam foedere cum populo
'Carthaginensi iunctum. Optare primum, ut procul ab
'Africa, sicut adhuc fecerint, bellum Romani cum Cartha-
'giniensibus gerant, ne sibi interesse certaminibus eorum,
'armaque aut haec, aut illa, abnuentem alteram societatem,
'sequi necesse sit. Si non abstineat Africa Scipio, et Car-
'thagini exercitum admoveat, sibi necessarium fore, et pro
'terra Africa, in qua et ipse sit genitus, et pro patria con-
'iugis suae, proque parente ac penatibus dimicare.'

Scipioni
amicitiam
renuntiat.

Cum his mandatis ab rege legati ad Scipionem missi, 24.
Syraculis eum convenerunt. Scipio, quanquam magno
momento rerum in Africa gerendarum magnaque spe desti-
tutus erat, legatis propere, priusquam res vulgaretur, re-
missis in Africam, literas dat ad regem, quibus etiam atque
etiam monet eum, 'Ne iura hospitii secum, neu cum
'populo Romano initae societatis, neu fas, fidem, dexteras,
'deos testes atque arbitros conventorum, fallat.' Ceterum,
quando neque celari adventus Numidarum poterat, (vagati
enim in urbe, obversatique praetorio erant) et, si sileretur,
quid petentes venissent, periculum erat, ne vera eo ipso,
quod celarentur, sua sponte magis emanarent, timorque in
exercitum incideret, ne simul cum rege et Carthaginiensi-
bus foret bellandum, avertit a vero falsis praecoccupando
mentes hominum. Et, vocatis ad concionem militibus,
'Non ultra esse cunctandum,' ait. 'Instare, ut in Africam
'quam primum traiciat, socios reges. Masinissam prius
'ipsum ad Laelium venisse, querentem, quod cunctando
'tempus tereretur. Nunc Syphacem mittere legatos, idem
'admirantem, quae tam diuturnae morae sit causa: postu-
'lantemque, ut aut traiciatur tandem in Africam exercitus,
'aut, si mutata consilia sint, certior fiat, ut et ipse sibi ac
'regno suo possit consulere. Itaque, paratis iam omnibus
1 'instructisque, et re iam non ultra recipiente cunctationem,

Quam rem
sedulo dis-
simulat
apud mili-
tes Scipio.

1 Recipiente cunctationem] h. e. Admittente.

U. C. 548. 'in animo sibi esse, Lilybaeum classe traducta, eodemque
 A. C. 204. 'omnibus peditum equitumque copiis contractis, quae prima
 'dies cursum navibus daret, deis bene iuvantibus, in Afri-
 'cam traicere.' Literas ad M. Pomponium mittit, ut, si
 ei videretur, Lilybaeum veniret: ut communiter consule-
 rent, quas potissimum legiones, et quantum militum nume-
 rum in Africam traiceret. Item circum oram omnem ma-
 ritimam misit, ut naves onerariae comprehensae Lilybaeum
 omnes contraherentur. Quicquid militum naviumque in
 Sicilia erat, quum Lilybaeum convenissent, et nec urbs
 multitudinem hominum, nec portus naves caperet, tantus
 omnibus ardor erat in Africam traiciendi, ut non ad bellum
 duci viderentur, sed ad certa victoriae praemia. Praecipue,
 qui superabant ex Cannensi exercitu, milites, illo, non alio
 duce, credebant, navata reipublicae opera, finire se militiam
 ignominiosam posse. Et Scipio minime id genus militum
 aspernabatur: ut qui neque ad Cannas ignavia eorum cla-
 dem acceptam sciret, neque ullos aequae veteres milites in
 exercitu Romano esse, expertosque non variis proeliis modo,
 sed urbibus etiam oppugnandis. Quinta et sexta Can-
 nenses erant legiones. Eas se traiceturum in Africam quum
 dixisset, singulos milites inspexit: relictisque, quos non
 idoneos credebat, in locum eorum subiecit, quos secum ex
 Italia adduxerat; supplevitque ita eas legiones, ut singulae
 sena millia et ducentos pedites, trecentos haberent equites:
 sociorum item Latini nominis pedites equitesque de exer-
 citu Cannensi legit.

25. Quantum militum in Africam transportatum sit, non
 parvo numero inter auctores discrepat. Alibi decem millia
 peditum, duo millia et ducentos equites, alibi sexdecim
 millia peditum, mille et sexcentos equites; alibi parte plus
 dimidia rem auctam, quinque et triginta millia peditum
 equitumque in naves imposita invenio. Quidam non
 adiecere numerum: inter quos me ipse in re dubia poni
 malim. Coelius, ut abstinet numero, ita ad immensum
 multitudinis speciem auget. Volucres ad terram delapsas
 clamore militum ait, tantamque multitudinem conscendisse
 naves, ut nemo mortalium, aut in Italia, aut in Sicilia,
 relinqui videretur.

Copiae na-
 ves con-
 scendunt.

Milites ut in naves ordine ac sine tumultu conscenderent,
 ipse eam sibi curam sumpsit. Nauticos C. Laelius, qui
 classis praefectus erat, in navibus, ante conscendere coactos,
 continuit. Commeatus imponendi M. Pomponio praetori
 cura data: quinque et quadraginta dierum cibaria, e quibus
 quindecim dierum cocta, imposita. Ut omnes iam in na-
 vibus erant, scaphas circummisit, ut ex navibus guberna-

2 toresque et magistri navium et bini milites in forum con- U. C. 548.
venirent ad imperia accipienda. Postquam convenerunt, A. C. 204.
primum ab iis quaesivit, si aquam hominibus iumentisque
in totidem dies, quot frumentum, imposuissent. Ubi re-
3 sponderunt, aquam dierum quinque et quadraginta in
navibus esse; tum edixit militibus, ut silentium quieti
nautis sipe certamine ad ministeria exsequenda bene obe-
4 dientes praestarent. Cum viginti rostratis se ac L. Scipio- Ordo clas-
nem ab dextro cornu, laevum, totidem rostratas, et C. Lae- sis.
lium praefectum classis cum M. Porcio Catone (quaestor is
tum erat) onerariis futurum praesidio. Lumina in navibus
singula rostratae, bina onerariae habent: in praetoria
5 nave insigne nocturnum trium luminum fore. Emporia ut
peterent, gubernatoribus edixit. Fertilissimus ager, coque
abundans omnium copia rerum est regio, et imbelles (quod
plerumque in uberi agro evenit) barbari sunt: priusque,
quam Carthagine subveniretur, opprimi videbantur posse.
Iis editis imperiis, redire ad naves iussi: et postero die,
deis bene invantibus, signo dato solvere naves.

Multae classes Romanae e Sicilia atque ipso illo portu 26.
profectae erant. Ceterum non eo bello solum, (nec id Classis sol-
mirum; praedatum enim tantummodo pleraeque classes vit.
ierant) sed ne priore quidem, ulla profectio tanti spectaculi
fuit; quanquam si magnitudine classis aestimaretur, et bini
6 consules cum binis exercitibus ante traiecerant, et prope
totidem rostratae in illis classibus fuerant, quot onerariis
Scipio tum traiciebat. Nam, praeter quadraginta longas
naves, quadringentis ferme onerariis exercitum transvexit.
7 Sed et bellum bello, secundum priore, ut atrocius Romanis
videretur, quum quod in Italia bellabatur, tum ingentes
strages tot exercituum, simul caesis ducibus, effecerant: et

2 *Magistri navium*] Intelligendi videntur magistri, sive praefecti sociorum navalium, de quibus mentionem facit Livius infr. xliii. 8. CREV.

3 *Ut silentium*] Ut quieti ac bene obediens suis ducibus, silentium praestarent nautis ad ministeria nautica exsequenda, abstinentes omni certamine adversus eos, sed sinentes eos sine tumultu id agere quod sui officii esset. CREV.

4 *Cum viginti rostratis*] Se ac L. Scipionem ab dextro cornu cum viginti rostratis; C. Laelium praefectum classis et M. Porcium Catonem cum viginti quoque rostratis futuros onerariis praesidio. Haec erat directa ac simplex loquendi forma. At maluit Livius variare orationem: *laevum cornu, totidem rostratas*, id

est, quod quidem cornu totidem rostratas habitum erat. CREV.

5 *Emporia ut peterent*] Africae regionem *Emporia* neutro genere, Hispaniae urbem *Emporias* feminino dici monet Duker.

6 *Prope totidem rostratae*] M. Regulus et L. Manlius consules trecentis triginta rostratis navibus e Sicilia solverunt, teste Polyb. i. 25. Aliae quoque classes Romanae illo bello parem, aut etiam maiorem numerum longarum navium habuerunt. CREV.

7 *Sed et bellum bello*] Sed et secundum bellum priore bello atrocius Romanis videbatur, tum quia in Italia bellabatur, tum quia tot exercitus caesi cum ducibus ipsis ab Hannibale fuerant. CREV.

U. C. 548. Scipio dux, partim factis fortibus, partim suapte fortuna
 A. C. 204. quadam ingentis ad incrementa gloriae celebratus, conver-
 terat animos: simul et mens ipsa traiciendi, nulli ante eo
 bello duci tentata, quod ad Hannibalem detrahendum ex
 Italia, transferendumque et finiendum in Africa bellum, se
 transire vulgaverat. Concurrerat ad spectaculum in por-
 tum omnis turba, non habitantium modo Lilybaei, sed
 legationum omnium ex Sicilia: quae et ad prosequendum
 Scipionem officii causa convenerant, et praetorem provin-
 ciae M. Pomponium secutae fuerant. Ad hoc legiones,
 quae in Sicilia relinquebantur, ad prosequendos commili-
 tones processerant: nec classis modo prospectantibus e
 terra, sed terra etiam omnis circa referta turba spectaculo
 27. navigantibus erat. Ubi illuxit, Scipio e praetoria nave,
 Scipionis precatio. silentio per praeconem facto, ‘Divi divaeque,’ inquit,
 ‘maria terrasque qui colitis, vos precor quaesoque, uti,
 ‘quae in meo imperio gesta sunt, geruntur, postque ge-
 ‘rentur, ea mihi, populo plebique Romanae, sociis nomi-
 ‘nique Latino, qui populi Romani, quique meam sectam,
 ‘imperium, auspiciūque terra, mari, amnibusque sequun-
 ‘tur, bene verruncent: eaque vos omnia bene iuvetis: 8
 ‘bonis auctibus auxitis: salvos incolumesque, victis per-
 ‘duellibus victores, spoliis decoratos, praeda onustos tri-
 ‘umphantesque, mecum domos reduces sistatis: inimi-
 ‘corum hostiumque ulciscendorum copiam faxitis: quae-
 ‘que populus Carthaginiensis in civitatem nostram facere
 ‘molitus est, ea ut mihi populoque Romano in civitatem
 ‘Carthaginiensium exempla edendi facultatem detis.’ Se-
 cundum eas preces cruda exta victimae, uti mos est, in 9
 mare porricit, tubaque signum dedit proficiscendi. Vento
 secundo vehementi satis profecti, celeriter e conspectu
 terrae ablati sunt: et a meridie nebula ocepit, ita ut vix
 concursus navium inter se vitarent. Lenior ventus in alto
 factus. Noctem insequentem eadem caligo obtinuit: sole
 orto est discussa, et addita vis vento. Iam terram cerne-
 bant. Haud ita multo post gubernator Scipioni ait, ‘non
 ‘plus quinque millia passuum Africam abesse: Mercurii
 ‘promontorium se cernere. Si iubeat eo dirigi, iam in
 ‘portu fore omnem classem.’ Scipio, ut in conspectu terra
 fuit, precatus, uti bono reipublicae suoque Africam viderit,
 dare vela, et alium infra navibus accessum petere iubet.
 Vento eodem ferebantur. Ceterum nebula sub idem ferme

8 *Bene verruncent*] Bene vertant.
 Quemadmodum *averruncare* antiquè
 pro avertere, ita *verruncare* pro *ver-*
tere dici monet Gronovius, qui a Grae-
 co ἐρύκειν originem Latini verbi du-

cendam censet.

9 *In mare porricit*] Hoc verbum
 solenne sacrorum est. cf. Varro, de
 Re Rust. i. 29. *Extā deīs cum da-*
bant, porricere dicebant.

tempus, quo pridie, exorta conspectum terrae ademit, et U. C. 548.
 ventus premente nebula cecidit. Nox deinde incertiora A. C. 204.
 omnia fecit. Itaque ancoras, ne aut inter se concurrerent
 naves, aut terrae inferrentur, iecere. Ubi illuxit, ventus
 idem coortus, nebula disiecta, aperuit omnia Africae litora.
 Scipio, quod esset proximum promontorium, percunctatus, Ad Pulchri
 quum Pulchri promontorium id vocari audisset, ‘Placet Prom. ap-
 ‘omen,’ inquit; ‘huc dirigite naves.’ Eo classis decurrit: pellit.
 copiaeque omnes in terram expositae sunt.

Prosperam navigationem sine terrore ac tumultu fuisse,
 permultis Gracis Latinisque auctoribus credidi: Coelius
 unus, praeterquam quod non mersas fluctibus naves, ce-
 teros omnes coelestes maritimosque terrores, postremo ab-
 reptam tempestate ab Africa classem ad insulam Aegi-
 murum, inde aegre correctum cursum, exponit: et, prope
 obrutis navibus, iniussu imperatoris, scaphis, haud secus
 quam naufragos, milites sine armis cum ingenti tumultu in
 terram evasisse.

Expositis copiis, Romani castra in proximis tumulis me- 28.
 tantur. Iam non in maritimos modo agros, conspectu Terror in
 primum classis, dein tumultu egredientium in terram, Africa.
 pavor terrorque pervenerat, sed in ipsas urbes. Neque
 enim hominum modo turba, mulierum puerorumque ag-
 minibus immixta, omnes passim compleverat vias, sed
 pecora quoque prae se agrestes agebant; ut relinqui subito
 Africam diceres. Urbibus vero ipsis maiorem, quam quem
 secum attulerant, terrorem inferebant. Praecipue Cartha-
 ginis prope ut captae tumultus fuit. Nam post M. Atilium
 1 Regulum et L. Manlium consules, annis prope quinquaginta, nullum Romanum exercitum viderant, praeter prae-
 datorias classes, quibus exscensiones in agros maritimos
 factae erant: raptisque, quae obvia fors fecerat, prius re-
 cursum semper ad naves, quam clamor agrestes conciret,
 fuerat. Eo maior tum fuga pavorque in urbe fuit. Et,
 hercule, neque exercitus domi validus, neque dux, quem
 opponerent, erat. Hasdrubal, Gisgonis filius, genere, fama,
 divitiis, regia tum etiam affinitate, longe primus civitatis
 erat: sed eum ab illo ipso Scipione aliquot proeliis fustum
 pulsumque in Hispania meminerant: nec magis ducem
 duci parem, quam tumultuarium exercitum suum Romano
 exercitui esse. Itaque, velut si urbem extemplo aggres-
 surus Scipio foret, ita ad arma est conclamatum: portaeque
 raptim clausae et armati in muris, vigiliae et stationes
 dispositae, ac nocte insequenti vigilatum est. Postero die

1 *Annis prope quinquaginta*] Imo M. Regulo, L. Manlio consulibus, cf.
 hic est annus quinquagesimus tertius a supr. xxviii. 43.

U. C. 548. quingenti equites, speculatum ad mare turbandosque egredientes ex navibus missi, in stationes Romanorum inciderunt. Iam enim Scipio, classe Uticam missa, ipse haud ita multum progressus a mari, tumultos proximos ceperat; equites et in stationibus locis idoneis posuerat, et per agros miserat praedatum. Ii cum Carthaginiensi equitatu proelium quum commisissent, paucos in ipso certamine, plerosque fugientes persecuti (in quibus praefectum quoque Hannonem, nobilem iuvenem) occiderunt. Scipio non agros modo circa vastavit, sed urbem etiam proximam Afrorum² satis opulentam cepit: ubi praeter cetera, quae extemplo in naves onerarias imposita, missaeque in Siciliam erant, octo millia liberorum servorumque capitum sunt capta. Laetissimus tamen Romanis in principio rerum gregendarum adventus fuit Masinissae: quem quidam cum ducentis haud amplius equitibus, plerique cum duum millium equitatu tradunt venisse. Ceterum quum longe maximus omnium aetatis suae regum hic fuerit, plurimumque rem Romanam inверit, operae pretium videtur excedere paullulum ad enarrandum, quam varia fortuna usus sit in amittendo recuperandoque paterno regno.

29.
Scipio
agros popu-
latur,
victo equi-
tatu Car-
thagin.

Masinissa
ad Roma-
nos venit.

Masinissae
varia for-
tuna.

Militanti pro Carthaginiensibus in Hispania pater ei moritur: Galae nomen erat. Regnum ad fratrem regis⁴ Oesaleem, pergrandem natu, (mos ita apud Numidas est) pervenit. Haud multo post, Oesalce quoque mortuo, maior ex duobus filiis eius Capusa, puero admodum altero, paternum imperium accepit. Ceterum quum magis iure⁵ gentis, quam auctoritate inter suos aut viribus, obtineret regnum; exstitit quidam, Mezetulus nomine, non alienus sanguine regibus, familiae semper inimicae, ac de imperio varia fortuna cum iis, qui tum obtinebant, certantis. Is, concitatis popularibus, apud quos, invidia regum, magnae⁶ auctoritatis erat, castris palam positis, descendere regem in aciem, ac dimicare de regno coegit. In eo proelio Capusa cum multis principum cecidit: gens Massylorum omnis⁷

² Sed urbem etiam proximam] Hanc urbem Appianus in Libyco p. 8. vocat Λόχα. SIGON.

³ Excedere] Deflectere a re proposita, excedere quasi finibus rei propositae. RASCH.

⁴ Regnum ad fratrem regis Oesaleem] Similem ordinem successionis, ut in demortui regis, sive principis locum non filius subiret, sed frater, in Hispania quoque servatum apparet supr. xxviii. 21. Vide alia exempla apud Grotium de iure belli et pacis ii. 7. 24. CREV.

⁵ Magis iure gentis, quam auctoritate . . . aut viribus] Ius gentis regem legitimum facit, auctoritas venerabilem, vires potentem. Sic distinguendum debet harum vocum sensus, iure gentis, auctoritate, viribus. CREV.

⁶ Invidia regum] Invidia in reges concitata.

⁷ Gens Massylorum omnis] Paternum Masinissae regnum. Masasylis parebant Syphaci. Utrique populo commune erat Numidarum nomen. CREV.

in ditionem imperiumque Mezetuli concessit. Regio U. C. 548.
 tamen nomine abstinuit: contentusque nomine modico A. C. 204.
 tutoris, puerum Lacumacen, qui stirpis regiae supererat,
 regem appellat. Carthaginiensem nobilem feminam, sorori
 filiam Hannibalis, quae proxime Oesalei regi nupta
 8 fuerat, matrimonio sibi iungit, spe Carthaginiensium societatis;
 et cum Syphace hospitium vetustum legatis missis renovat,
 omnia ea auxilia praeparans adversus Masinissam.
 Et Masinissa, audita morte patrum, dein nece fratris patruclis,
 ex Hispania in Mauritaniam (Bocchar ea tempestate rex Maurorum erat) traiecit. Ab eo supplex infimis
 precibus auxilium itineri, quoniam bello non poterat, quattuor
 millia Maurorum impetravit. Cum iis, praemisso nuntio
 ad paternos suosque amicos, quum ad fines regni pervenisset,
 quingenti ferme Numidae ad eum convenerunt. Igitur Mauris inde,
 sicut convenerat, retro ad regem remissis, quanquam aliquanto
 minor spe multitudo, nec eum qua tantam rem aggredi satis
 auderet, conveniret; ratus agendo ac moliendo vires quoque
 ad agendum aliquid collecturum, proficiscenti ad Syphacem
 Lacumaci regulo ad Thapsum occurrit. Trepidum agmen quum
 in urbem refugisset, urbem Masinissa primo impetu capit:
 ex regis alios tradentes se recipit, alios vim parantes occidit.
 Pars maxima cum ipso puero inter tumultum ad Syphacem,
 quo primum intenderant iter, pervenerunt. Fama huius modicae
 rei, in principio rerum prospere actae, convertit ad Masinissam
 Numidas: affluebantque undique ex agris vicisque veteres
 milites Galae, et invitabant iuvenem ad recuperandum
 paternum regnum. Numero militum aliquantum Mezetulus
 superabat. Nam et ipse eum exercitum, quo Capusam vicerat,
 et ex receptis post caedem regis aliquot habebat: et puer
 Lacumaces ab Syphace auxilia ingentia adduxerat. Quindecim
 millia peditum Mezetulo, decem millia equitum erant. Quibuscum
 Masinissa, nequaquam tantum peditum equitumve habens,
 acie conflixit. Vicit tamen et veterum militum virtus et

30.

8 *Spe Carthaginiensium societatis*] Ex hoc loco, et iis quae capite sequenti
 narrantur, patet Carthaginienses Lacumaci et Mezetulo contra Masinissam
 fuisse. Atque hac maxime causa suspicari possumus Numidam a
 Carthaginiensibus alienatum ad Romanos descisse. Congruunt tempora.
 Etenim Masinissa etiam tum in Hispania erat, quum eius regnum
 Mezetulus invasit. Postea novas odio eius in Poenos vires addidit pro-
 fecto tradita Syphaci contra fidem

ipsi datam in matrimonium Sophonisba. Vid. nostrum supr. xxviii. 16.
 et ea quae ibi annotavimus. CREV.

9 *Ad Thapsum*] Mendum in hac voce latere suspicantur plures critici,
 et urbis clarioris nomen prominus cognitae urbis nomine a librariis scriptum esse,
 quod tamen conjectura assequi difficilior esset.

1 *Et ex receptis*] Et aliquot habebat ex iis, quos post caedem Capusae
 regis ad sua signa revocaverat. CREV.

U. C. 548. prudentia inter Romana et Punica arma exercitati ducis.
 A. C. 204. Regulus cum tutore et exigua Masaesylorum manu in Carthaginiensium agrum perfugit. Ita recuperato regno paterno, Masinissa, quia sibi adversus Syphacem haud paullo maiorem restare dimicationem cernebat, optimum ratus cum fratre patrucele gratiam reconciliare, missis, qui et puero spem facerent, si in fidem Masinissae sese permisisset, futurum in eodem honore, quo apud Galam Oesalces quondam fuisset; et qui Mezetulo, praeter impunitatem, 2 sua omnia cum fide restitui sponderent; ambo praeoptantes exsilio modicam domi fortunam, omnia, ne id fieret, Carthaginiensibus de industria agentibus, ad sese perduxit.

31.

Syphacem
 Hasdrubal
 in Masinissam
 instigat.

Hasdrubal tum forte, quum haec gerebantur, apud Syphacem erat. Qui Numidae, haud sane multum ad se pertinere credenti, utrum penes Lacumacen, an Masinissam regnum Massylorum esset, 'falli eum magnopere,' ait, 'si Masinissam iisdem contentum fore, quibus patrem Galam, aut patruum eius Oesalcem, credat: multo maiorem indolem in eo animi ingenique esse, quam in ullo gentis eius unquam fuisset. Saepe eum in Hispania rarae inter homines virtutis specimen dedisse sociis pariter hostibusque: et Syphacem, et Carthaginienses, nisi orientem illum ignem oppressissent, ingenti mox incendio, quum iam nullam opem ferre possent, arsueros. Adhuc teneras et fragiles eius vires esse, vixdum coalescens fovendis regnum.' Instando stimulandoque pervincit, ut exercitum ad fines Massylorum admoveat; atque in agro, de quo saepe cum Gala non verbis modo disceptatum, sed etiam armis certatum fuerat, tanquam haud dubie iuris sui, castra locet. 'Si quis arceat, id quod maxime opus sit, acie dimicaturum: sin per metum agro cedatur, in medium regnum eundum. Aut sine certamine concessuros in ditionem eius Massylos, aut nequaquam pares futuros armis.' His vocibus incitatus Syphax Masinissae bellum infert, et primo certamine Massylos fundit fugatque. Masinissa cum paucis equitibus ex acie in montem (Balbum incolae vocant) perfugit. Familiae aliquot, cum mapalibus 3 pecoribusque suis (ea pecunia illis est) persecuti sunt 4 regem: cetera Massylorum multitudo in ditionem Syphacis concessit. Quem ceperant exsules montem, herbidus aquosusque est; et, quia pecori bonus alendo erat, ho-

Syphax
 vincit Masinissam.

2 *Et qui Mezetulo*] Gronovius re-
 cidit *τὸ qui*: nec immerito, nisi alios
 ad Lacumacem, alios ad Mezetulum
 legavit Masinissa. Tunc enim nihil
 mutandum foret. CREV.

3 *Cum mapalibus*] Ergo et Nu-
 midae erant in illorum populorum

numero, qui vagas secum circumfere-
 bant domos. cf. Plin. H. N. v. 3.
 Sall. Iugurth. 18.

4 *Ea pecunia illis est*] Ut quibus
 nummus non esset, sed in pecoribus
 omnia bona constarent.

minum quoque, carne ac lacte vescentium, abunde sufficiebat alimentis. Inde nocturnis primo ac furtivis incursionibus, deinde aperto latrocinio, infesta omnia circa esse : maxime uri Carthaginiensis ager, quia et plus praedae, quam inter Numidas, et latrocinium tutius erat. Iamque adeo licenter cludebant, ut ad mare devectam praedam venderent mercatoribus, appellentibus naves ad id ipsum ; pluresque, quam iusto saepe in bello, Carthaginiensium caderent caperenturque. Deplorabant ea apud Syphacem Carthaginienses, infensumque et ipsum ad reliquias belli persequendas instigabant. Sed vix regium videbatur, latronem vagum in montibus consecrari. Bocchar, ex praefectis regis vir acer et impiger, ad id delectus. Ei data quattuor millia peditum, duo equitum : praemiorumque ingentium spe oneratus, si caput Masinissae retulisset, aut vivum (id vero inaeestimabile gaudium fore) cepisset, palatos incurioseque agentes improvise adortus, pecorum hominumque ingenti multitudine a praesidio armatorum exclusa, Masinissam ipsum cum paucis in verticem montis compellit. Inde, prope ut iam debellato, nec praeda modo pecorum hominumque captorum missa ad regem, sed copiis etiam, ut aliquanto maioribus, quam pro reliquiis belli, remissis, cum haud amplius peditibus mille ducentisque equitibus, degressum iugis Masinissam persecutus, in valle arta, faucibus utrimque obsessis, inclusit. Ibi ingens caedes Massylorum facta. Masinissa cum quinquaginta haud amplius equitibus per anfractus montis ignotos sequentibus se eripuit. Tenuit tamen vestigia Bocchar : adeptusque eum patentibus prope Clupeam urbem campis, ita circumvenit, ut, praeter quattuor equites, omnes ad unum interficeret. Cum iis ipsum quoque Masinissam saucium prope e manibus inter tumultum amisit. In conspectu erant fugientes ; ala equitum, dispersa toto campo, quibusdam, ut occurrerent, per obliqua tendentibus, quinque hostes sequebatur. Annis ingens fugientes accepit, (neque enim cunctanter, ut quos maior metus urgeret, immiserant equos) raptique gurgite, et in obliquum praelati. Duobus in conspectu hostium in praerapidum gurgitem haustis, ipse periisse creditus. At duo reliqui equites cum eo inter virgulta ulterioris ripae emerserunt. Is finis Bocchari sequendi fuit, nec ingredi flumen auso, nec habere credenti se iam, quem sequeretur. Inde vanus auctor absumpti Masinissae ad regem rediit ; missique, qui Car-

32.

Bocchar
mittitur in
Masinissam.

Masinissa
insilit in
fluvium,
unde cum
duobus
emergit.

5 Cum haud amplius peditibus mille] Ita pro vulg. quingentis haud amplius peditibus Gronovius legendum censet.

6 Inde vanus auctor absumpti] Falso nuntians periisse Masinissam.

U. C. 548. thaginem gaudium ingens nuntiarent: totaque Africa fama 7
 A. C. 204. mortis Masinissae repleta varie animos affecit.

In spelunca latens, vulnus curat.

33.

Syphax adversus eum contendit.

Masinissa cum paucis evadit.

Masinissa in spelunca occulta, quum herbis curaret vulnus, duorum equitum latrocinio per dies aliquot vixit. Ubi primum ducta cicatrix, patique posse visa iactationem, audacia ingenti pergit ire ad regnum repetendum: atque, in ipso itinere haud plus quadraginta equitibus collectis, quum in Massylos, palam iam quis esset ferens, venisset, tantum motum quum favore pristino, tum gaudio insperato, quod, quem perisse crediderant, incolumem cernebant, fecit, ut intra paucos dies sex millia peditum armatorum, quattuor equitum, ad eum convenirent: iamque non in possessione modo paterni regni esset, sed etiam socios Carthaginensium populos Masaesylorumque fines (id Syphacis regnum erat) vastaret. Inde, irritato ad bellum Syphace, inter Cirtam Hipponemque in iugis opportunorum ad omnia montium consedit. Maiorem igitur eam rem Syphax ratus, quam ut per praefectum ageret, cum filio iuvene (nomen Verminae erat) parte exercitus missa, imperat, ut, circumducto agmine, in se intentum hostem ab tergo invadat. Nocte profectus Vermina, qui ex occulto aggressurus erat: Syphax autem interdiu aperto itinere, ut qui, signis collatis, acie dimicaturus esset, movit castra. Ubi tempus visum est, quo pervenisse iam circummissi videri poterant, et ipse leni clivo ferente ad hostem, quum multitudine fretus, tum praeparatis ab tergo insidiis, per adversum montem erectam aciem ducit. Masinissa fiducia maxime loci, quo multo aequiore pugnaturus erat, et ipse dirigit suos. Atrox proelium et diu anceps fuit; loco et virtute militum Masinissam, multitudine, quae nimio maior erat, Syphacem iuvante. Ea multitudo divisa, quum pars a fronte urgeret, pars a tergo se circumfudisset, victoriam haud dubiam Syphaci dedit: et ne effugium quidem patebat hinc a fronte, hinc ab tergo inclusis. Itaque ceteri pedites equitesque caesi aut capti. Ducentos ferme equites Masinissa circa se conglobatos, divisosque turmatim in tres partes, erumpere iubet; loco praedicto, in quem ex dissipata convenirent fuga. Ipse, qua intenderat, inter media tela hostium evasit. Duae turmae haesere: altera metu dedita hosti; pertinacior in repugnando telis obruta et confixa est. Verminam prope vestigiis instantem, in alia

7 *Totaque Africa fama mortis*] sc. Quum tota Africa Masinissae mortis fama repleta esset, id varie hominum animos affecit. Sed Crevierius multo concinniores locutionem fore censet, si, resceta voce *repleta, totaque Africa* in auferendi casu poni in-

telligamus. Locum vitio laborare Drakenb. existimat. Equidem de industria Graecorum more ita scripsisse Livium suspicor.

8 *Pertinacior in repugnando*] Ea scilicet altera, quae pertinacior in repugnando erat.

9 atque alia flectendo itinera eludens, taedio et desperatione tandem fessum, absistere sequendo coegit. Ipse cum sexaginta equitibus ad minorem Syrtim pervenit. Ibi cum conscientia egregia saepe repetiti regni paterni, inter Punica Emporia gentemque Garamantum omne tempus, usque ad C. Laelii classisque Romanae adventum in Africam, consumpsit. Haec animum inclinant, ut cum modico potius, quam cum magno praesidio equitum, ad Scipionem quoque postea venisse Masinissam credam: quippe illa regnantis multitudo, haec paucitas exsulis fortunae conveniens est.

Carthaginienses, ala equitum cum praefecto amissa, alio equitatu per novum delectum comparato, Hannonem Hamilcaris filium praeficiunt. Hasdrubalem subinde ac Syphacem per literas nuntiosque, postremo etiam per legatos, arcessunt: Hasdrubalem opem ferre prope circumsessae patriae iubent: Syphacem orant, ut Carthagini, ut universae Africae subveniat. Ad Uticam tum castra Scipio, ferme mille passus ab urbe, habebat, translata a mari, ubi paucos dies stativa coniuncta classi fuerant. Hanno, nequaquam satis valido, non modo ad lacessendum hostem, sed ne ad tuendos quidem a populationibus agros, equitatu accepto, id omnium primum egit, ut per conquisitionem numerum equitum augetet. Nec aliarum gentium aspernatus, maxime tamen Numidas (id longe primum equitum in Africa est genus) conducit. Iam ad quattuor millia equitum habebat, quum Salecam nomine urbem occupavit; quindecim ferme millia ab Romanis castris. Quod ubi Scipioni relatum est, 'Aestiva sub tectis equitatus!' inquit. 'Sint vel plures; dum talem ducem habeant.' Eoque minus sibi cessandum ratus, quo illi segnius rem agerent,

34.
Carthaginienses novum equitatum sibi comparant.

9 *Flectendo itinera eludens*] Itinere coniecit Iac. Gronov. quem secutus est Crevier, sed *itinera* Drak. et Bekker. servant.

1 *Punica Emporia*] Intellige regionem, de qua supr. 25. De ea rursus, xxxiv. 62. sic habet noster: *Emporia vocant eam regionem. Ora est minoris Syrtis, et agri uberis. Una civitas eius, Leptis.* Non ita longe ab ea incolunt Garamantes, meridiem versus. Et meminisse oportet, Masinissam tunc huc illuc vagum errasse, et loca etiam a sese mutuo aliquantum dissita alterno cursu attingere potuisse.

2 *Garamantum omne tempus, usque*] Haec verba nobis solus exhibuit Victor. codex. Reliqui nostri, ut et ii quos Gronovius excussit, iis carent.

Nihil tamen videmus, quare ea repudiare debeamus. CREV.

3 *Salecam*] Hoc nomen varie in mss. habetur. Put. *Saluccam*: Victor. *Salccam*. Suspiciatur Gronovius, cum quo Crevierius sentit, eandem hanc urbem esse, quae ab Appiano dicitur Λόχα. cf. supr. 29. *Saleram* vulgo legitur, quae Sigonio urbs ea esse videtur, quam *Θολούντα* Appianus vocat.

4 *Aestiva sub tectis equitatus*] Supple agit. Haec verba Scipionis sunt mirantis, quod equites suos Hannibal tam molliter habeat, ut eos sinat aestiva sub tectis agere, non durare sub pellibus cogat. CREV.

5 *Sibi cessandum*] Revocavimus pronomen *sibi*, quod Sigonius eiecerat, sed libri nostri tumentur. CREV.

U. C. 548. Masinissam cum equitatu praemissum portis obequitare,
 A. C. 204. atque hostem ad pugnam elicere, iubet: ubi omnis multi-
 tudo se effudisset, graviorque iam in certamine esset, quam
 ut facile sustineri posset, cederet paullatim; se in tempore
 pugnae obventurum. Tantum moratus, quantum satis 6
 temporis praegresso visum ad eliciendos hostes, cum Ro-
 mano equitatu secutus, tegentibus tumultis, qui peropportu-
 ne circa viae flexus oppositi erant, occultus processit.

Equestre
 proelium.

Masinissa, ex composito, nunc terrentis, nunc timentis
 modo, aut ipsis obequitabat portis, aut cedendo, quum
 timoris simulatio audaciam hosti faceret, ad insequendum
 temere eliciebat. Nondum omnes egressi erant, varieque
 dux fatigabatur, alios vino et somno graves arma capere, et
 frenare equos cogendo, aliis, ne sparsi et inconditi sine
 ordine, sine signis omnibus portis excurrerent, obsistendo.
 Primo incaute se evehentes Masinissa excipiebat: mox
 plures simul conferti porta effusi aequaverant certamen:
 postremo, iam omnis equitatus proelio quum adesset, sus-
 tineri ultra nequiere. Non tamen effusa fuga Masinissa,
 sed cedendo sensim, impetus eorum excipiebat: donec ad
 tumultos tegentes Romanum equitatum pertraxit. Inde
 exorti equites, et ipsi integris viribus, et recentibus equis,
 Hannoni Afrisque pugnando ac sequendo fessis se circum-
 fudere: et Masinissa, flexis subito equis, in pugnam rediit.

Vincuntur
 Carthagi-
 nienses.

Mille ferme, qui primi agminis fuerant, ut quibus haud
 facilis receptus fuit, cum ipso duce Hannone interclusi
 atque interfecti sunt. Ceteros, ducis praecipue territos
 caede, effuse fugientes per tria millia passuum victores 7
 secuti, ad duo praeterea millia equitum aut ceperunt, aut
 occiderunt. Inter eos satis constabat, non minus ducentos
 Carthaginensium equites fuisse, et divitiis quosdam et
 genere illustres.

35. Eodem forte, quo haec gesta sunt, die naves, quae prae-
 dam in Siciliam vexerant, cum commeatu rediere; velut
 ominatae, ad praedam alteram repetendam sese venisse.
 Duos eodem nomine Carthaginensium duces duobus
 equestribus proeliis interfectos, non omnes auctores sunt:
 veriti, credo, ne falleret bis relata eadem res. Coelius 8
 quidem et Valerius captum etiam Hannonem tradunt. 9

6 *Quantum satis temporis praegresso visum*] Quantum credidit satis esse temporis, ut Masinissa, qui praegressus fuerat, posset elicere hostes ad pugnam. CREV.

7 *Per tria millia passuum*] *Per triginta millia*, quae voces in codd. quibusdam leguntur, reposuit Gronovius, quum rem vix memoratu dignam esse censeat, si victor eques hostem fugien-

tem *per tria millia* passuum insecutus sit. Sed Drakenb. et Crevier. *triginta* non admittunt, quia numerus credibilem persequendi modum nimis excedat.

8 *Ne falleret*] Ne bis unam rem per imprudentiam narrarent. CREV.

9 *Captum etiam Hannonem*] Non interfectum, ut supr. memoratum est. CREV.

Scipio praefectos equitesque, prout cuiusque opera U. C. 548.
 fuerat, ante omnes Masinissam, insignibus donis donat: et, A. C. 204.
 firmo praesidio Salecae imposito, ipse cum cetero exercitu Scipio po-
 profectus, non agris modo, quacunque incedebat, pulatur
 sed urbibus etiam quibusdam vicisque expugnatis, late fuso African.
 terrore belli, septimo die, quam profectus erat, magnam
 vim hominum et pecoris et omnis generis praedae trahens,
 in castra redit: gravesque iterum hostilibus spoliis naves
 dimittit. Inde, omissis expeditionibus parvis populationi-
 busque, ad oppugnandam Uticam omnes belli vires con-
 vertit: eam deinde, si cepisset, sedem ad cetera exsequenda
 habiturus. Simul et a classe navales socii, qua ex parte Uticam
 urbs mari alluitur, simul et terrestres exercitus ab immi- oppugnat.
 nente prope ipsis moenibus tumulto est admotus. Tor-
 menta machinasque et advexerat secum, et ex Sicilia missa
 cum commeatibus erant: et nova in armamentario, multis
 talium operum artificibus de industria inclusis, fiebant.
 Uticensibus tanta undique mole circumsessis in Cartha-
 giniensi populo, Carthaginensibus in Hasdrubale ita, si is
 movisset Syphacem, spes omnis erat: sed desiderio indi-
 gentium auxilii tardius cuncta movebantur. Hasdrubal, Hasdruba-
 intentissima conquisitione quum ad triginta millia peditum, lis et Sy-
 tria equitum confecisset, non tamen ante adventum Sy- phacis in-
 phacis castra propius hostem movere est ausus. Syphax gentes co-
 cum quinquaginta millibus peditum, decem equitum ad- piae.
 venit: confestimque motis ab Carthagine castris, haud
 procul Utica munitionibusque Romanis consedit. Quorum Scipio re-
 adventus hoc tamen momenti fecit, ut Scipio, quum quadra- cedit ab
 ginta ferme dies nequicquam omnia experiens obsedis- Utica.
 set Uticam, abscederet inde irritum incepto. Et (iam enim
 hiems instabat) castra hiberna in promontorio, quod tenui
 iugo continenti adhaerens in aliquantum maris spatium
 extenditur, communit: uno vallo et navalia castra amplex-
 titur. Iugo medio legionum castris impositis, litus ad sep-
 tentrionem versum subductae naves navalesque socii

1 *Navales socii*] Milites classici. cf. supr. xxvi. 28.

2 *Ita, si is*] Modo tamen is Syphacem impulsisset ad bellum.

3 *Quod tenui iugo*] Adhaerens continenti, sive terrae, per tenue iugum instar isthmi angusti. Ille locus postea a Scipionis hibernis dictus est *Corneliana* sive *Cornelia castra*, quo eum nomine appellant Caesar de Bello Civili ii. Plinius H. N. v. 4.

4 *Uno vallo et navalia castra*] Et navalia et castra ex emendatione Gronov. recepit Bekkerus, Draken-

borchio non adversante.

5 *Litus ad septentrionem . . . ad alterum litus*] Magna codicum Gronovianorum manus, consentientibus nostris, pro voce *litus* utrobique exhibet *latus*: quod fortasse commodius videbitur. Possumus tamen intelligere iugum illud ita porrectum esse in altum, ut mari tum a septentrione, tum a meridieingeretur: sique nihil erit mutatione opus. Cetera huius loci recte se habent, licet variant scripti. CREV. Gronovium secutus est Bekker.

U. C. 548. tenebant : meridianam vallem ad alterum litus devexam
A. C. 204. equitatus. Haec in Africa usque ad extremum auctumni
gesta.

36. Praeter convectum undique ex populatis circa agris
Commeatus ad Scipionem ad-
vecti. frumentum, commeatusque ex Sicilia atque Italia advectos,
Cn. Octavius proprætor ex Sardinia ab Ti. Claudio præ-
tore, cuius ea provincia erat, ingentem vim frumenti ad-
vexit : horreaque non solum, quæ iam facta erant, repleta,
sed nova ædificata. Vestimenta exercitui deerant. Id
mandatum Octavio, ut cum prætore ageret, si quid ex ea
provincia comparari ac mitti posset. Ea quoque haud
segniter curata res. Mille ducentæ togæ brevi spatîo, et 6
duodecim millia tunicarum missa.

Sempronius Cos. cum Hannibale male pugnat.
Aestate ea, qua hæc in Africa gesta sunt, P. Sempronius
consul, cui Bruttii provincia erat, in agro Crotoniensi cum
Hannibale in ipso itinere tumultuario proelio confligit.
Agminibus magis, quam acie, pugnatum est. Romani 7
pulsî, et tumultu verius, quam pugna, ad mille et ducenti
de exercitu consulis interfecti : in castra trepide reditum.
Neque oppugnare tamen ea hostes ausi. Ceterum silentio
proximæ noctis profectus inde consul, præmisso nuntio ad
P. Licinium proconsulem, ut suas legiones admoveret,
copias coniunxit. Ita duo duces, duo exercitus ad Han-
nibalem redierunt. Nec mora dimicandi facta est : quum
consuli duplicatæ vires, Poeno recens victoria animo esset. 8
In primam aciem suas legiones Sempronius induxit : in
subsidîis locatæ P. Licinii legiones. Consul principio
pugnae ædem Fortunæ Primigeniæ vovit, si eo die 9
hostes fudisset : composque eius voti fuit. Fusi ac fugati
Poeni : supra quattuor millia armatorum caesa : paullo
minus trecenti vivi capti, et equi quadraginta, et undecim
militaria signa. Percussus adverso proelio Hannibal Cro-
tonem exercitum abduxit.

Cornelius Cos. Etruriam in officio continet.
Eodem tempore M. Cornelius consul in altera parte
Italiae non tam armis, quam iudiciorum terrore, Etruriam
continet, totam ferme ad Magonem, ac per eum ad spem
novandi res, versam. Eas quaestiones ex senatusconsulto
minime ambitiose habuit : multique nobiles Etrusci, qui 1

6 *Mille ducentæ togæ*] cf. Supr. xxii. 54.

7 *Agminibus magis, quam acie*] Legionibus potius itineri, quam pugnae instructis. cf. supr. xxi. 57.

8 *Poeni recens victoria animo esset*] *Animo* casu sexto positum pro *in animo* habet Drakenb. ceterum *animo esse non in animo esse*, sc. animo obversari, sed *animo sumendo esse, animos facere* intelligit Doer.

9 *Fortunæ Primigeniæ*] *Fortuna Primigenia* dicta videtur ea, quæ primum natis adesse crederetur. Huic templum antiquitus condiderat dicaveratque Servius Tullius, teste Plut. in Qu. Rom. Ceterum dedicatio huius ædis infr. xxxiv. 53. narratur.

1 *Minime ambitiose*] Ita ut neminis gratiam capteret, sed cuiusque meritum tantum spectaret. cf. supr. 16. *Scipionis . . . ambitio*.

aut ipsi ierant, aut miserant ad Magonem de populorum U. C. 548.
suorum defectione, primo praesentes erant condemnati; A. C. 204.
postea, conscientia sibi met ipsi exsilium consciscentes,
quum absentes damnati essent, corporibus subtractis, bona
2 tantum, quae publicari poterant, pignoranda poenae prae-
bebant.

Dum haec consules diversis regionibus agunt, censores 37.
interim Romae M. Livius et C. Claudius senatum recita- Livii et
verunt. Princeps iterum lectus Q. Fabius Maximus. Claudii
Notati septem: nemo tamen, qui sella curuli sedisset. censura.
3 Sarta tecta acriter et cum summa fide exegerunt. Viam e
4 foro Boario ad Veneris, et circa foros publicos, et aedem
Matris Magnae in Palatio faciendam locaverunt. Vectigal
5 etiam novum ex salaria annona statuerunt. Sextante sal
6 et Romae et per totam Italiam erat. Romae pretio eodem,
7 pluris in foris et conciliabulis, et alio alibi pretio praeben-
dum locaverunt. Id vectigal commentum alterum ex cen-
soribus satis credebant, populo iratum, quod iniquo iudicio
8 quondam damnatus esset: et in pretio salis maxime onera-
9 tas tribus, quarum opera damnatus erat, credebant. Inde
Salinatori Livio inditum cognomen. Lustrum conditum
serius, quia per provincias dimiserunt censores, ut civium
Romanorum in exercitibus, quantus ubique esset, referretur
Census.
1 hominum: condidit lustrum C. Claudius Nero. Duodecim

2 *Pignoranda poenae*] Tanquam
pignus ad poenam a se exsolvendam
relictum suppeditabant. DOER.

3 *Sarta tecta*] *Opera publica*, in-
quit Festus, quae locantur ut integra
praesentur, sarta tecta vocantur.
Etenim sarcire est integrum facere.
Exigunt igitur censores sarta tecta,
dum cogunt redemptores aedificia
publica, quae tuenda conduxerunt,
integra praestare. CREV.

4 *Et circa foros publicos*] Et circa
viam illam, vel fortasse, circa forum
Boarium, foros publicos. *Foros* expo-
nit ipse Livius supr. i. 35. "in Circo
loca" unde spectarentur ludi, quae
vocat Festus *Circensia spectacula*.
Num igitur hic quoque *foros publicos*
intelligemus spectacula, sive loca ex
quibus spectarentur ludi gladiatorii,
qui interdum in foro Boario ederentur?
CREV.

5 *Ex salaria annona*] Ex annua
salis venditione et quaestu. *Annona*
iam de eo, quod anno quoque pro-
venit. DOER.

6 *Sextante sal ... erat*] Salis men-
sura quaedam, (quae quum vulgo

cognita esset, a Livio non exprimitur)
ante inventum novum vectigal, veni-
bat sextante, sive sexta assis parte.

7 *In foris et conciliabulis*] cf. Supr.
xxv. 5. Niebhr. ii. n. 886.

8 *Damnatus esset*] cf. Supr. xxvii.
34.

9 *Maxime oneratas tribus*] Quo-
modo fieri potuerit, ut aliae tribus
magis, aliae minus oneratae sint, se
non intelligere Dukerus profitetur.
Quippe Maecia tribus sola M. Livium
non damnaverat, at si qui cives ex
aliis tribubus Romae degerent, non
magis onerati fuerunt, quam qui ex
Maecia; nec qui ex Maecia extra
illam in foris et conciliabulis aliisque
Italiae locis habitabant, minus quam
illi. Nescio an nodus hoc modo ex-
pediatur, si pretio maiore censores
sal praebeandum locaverint in oppi-
dulis iis, in quibus negociandi et nun-
dinandi causa conveniebant cives ex
iis tribubus, quarum maxime opera
Livius damnatus erat.

1 *Duodecim deinde coloniurum*] cf.
Supr. 15.

U. C. 548. deinde coloniarum, (quod nunquam antea factum erat) de-
 A. C. 204-ferentibus ipsarum coloniarum censoribus, censum acce-
 perunt: ut, quantum numero militum, quantum pecunia
 valerent, in publicis tabulis monumenta exstarent. Equi-
 tum deinde census agi coeptus est: et ambo forte censores
 equum publicum habebant. Quum ad tribum Polliam
 ventum est, in qua M. Livii nomen erat, et praeo cunc-
 taretur citare ipsum censorem; 'Cita,' inquit Nero, 'M.
 'Livium:' et, sive ex residua et vetere similitudine, sive
 intempestiva iactatione severitatis inflatus, M. Livium, quia
 populi iudicio esset damnatus, equum vendere iussit. Item ²
 M. Livius, quum ad tribum Arniensem et nomen collegae
 ventum est, vendere equum C. Claudium iussit, duarum
 rerum causa: unius, quod falsum adversus se testimonium
 dixisset; alterius, quod non sincera fide secum in gratiam
 redisset. Itaque ibi foedum certamen inquinandi famam ³
 alterius, cum suae famae damno, factum est. Exitu cen-
 surae quum in leges iurasset C. Claudius, et in aerarium ⁴
 escendisset, inter nomina eorum, quos aerarios relinquebat, ⁵
 dedit collegae nomen. Deinde M. Livius in aerarium
 venit, et, praeter Macciam tribum, quae se nec condem-
 nasset, neque condemnatum aut consulem aut censorem
 fecisset, populum Romanum omnem, quattuor et triginta
 tribus, aerarios reliquit: quod et innocentem se condem-
 nasset, et condemnatum consulem et censorem fecissent:
 neque infitiri possent, aut iudicio semel, aut comitiis bis
 ab se peccatum esse. Inter quattuor et triginta tribus et
 C. Claudium aerarium fore. Quod si exemplum haberet
 bis eundem aerarium relinquendi, C. Claudium nominatim
 se inter aerarios fuisse relicturum. Pravum certamen no- ⁶
 tarum inter censores: castigatio inconstantiae populi cen-
 soria, et gravitate temporum illorum digna. In invidia
 censores quum essent, crescendi ex his ratus esse occa-
 sionem Cn. Baebius tribunus plebis diem ad populum
 utrique dixit. Ea res consensu Patrum discussa est, ne
 postea obnoxia populari aurae censura esset.

7

² *Equum vendere*] Equum publi-
 cum, ad quem emendum alendumque
 pecunia e publico praebebatur. cf.
 supr. i. 9. Niehr. i. n. 1016.

³ *Itaque ibi*] *Aequè* ex coniectura
 Gronov. reposuit Bekker.

⁴ *Quum in leges iurasset*] Magi-
 stratum deponentibus iurare mos erat.
 Exemplum insigne habes apud Cic.
 Ep. ad Divers. v. 2. Colligitur autem
 ex Plinii Panegyrico hanc fuisse hu-
 ius iurisiurandi formulam, ut iurarent
 ii, qui abibant magistratu, se nihil
 contra leges fecisse. Sic enim ille

ad Traianum: *Abiturus consulatu
 iurasti te nihil contra leges fecisse.*
 Ideo dicebantur *iurare in leges.* CR.

⁵ *Quos aerarios relinquebat*] cf.
 Supr. iv. 24.

⁶ *Pravum certamen notarum in-
 ter censores*] Pravum haberi debet
 certamen illud censorum sese mutuo
 notantium. At castigatio inconstan-
 tiae populi censorem decebat. CREV.

⁷ *Populari aurae*] Levitati mul-
 titudinis, quae non minus mobilis est
 quam aura. CREV.

Eadem aestate in Brutiis Clamptia a consule vi capta, U. C. 548.
 Consentia et Pandosia, et ignobiles aliae civitates, volum- A. C. 204.
 tate in ditionem venerunt. Et, quum comitiorum iam ap- 38.
 peteret tempus, Cornelium potius ex Etruria, ubi nihil Comitia.
 belli erat, Romam acciri placuit. Is consules Cn. Servi-
 lium Caepionem et C. Servilium Geminum creavit. Inde
 praetoria comitia habita. Creati P. Cornelius Lentulus, P.
 Quinctilius Varus, P. Aelius Pactus, P. Villius Tappulus.
 Ili duo, quum aediles plebis essent, praetores creati sunt.
 Consul, comitiis perfectis, ad exercitum in Etruriam re-
 diit.

Sacerdotes eo anno mortui, atque in locum eorum suf-
 facti; Ti. Veturius Philo flamen Martialis, in locum M.
 Aemilii Regilli, qui priore anno mortuus erat, creatus in-
 sauguratusque: et in M. Pomponii Mathonis auguris et Sacerdotes
 decemviri locum creati, decemvir M. Anrelius Cotta, augur mortui et
 Ti. Sempronius Gracchus admodum adolescens, quod tunc suffecti.
 per rarum in mandandis sacerdotiis erat. Quadrigae au-
 reae eo anno in Capitolio positae ab aedilibus curulibus,
 C. Livio et M. Servilio Gemino. Et ludi Romani biduum
 instaurati. Item per biduum plebei ab aedilibus P. Aelio,
 P. Villio: et Iovis epulum fuit ludorum causa.

8 *Auguris et decemviri*] De plu- vide supr. xxvii. 6.
 ribus sacerdotiis in unum collatis

EPITOME LIBRI XXX.

IN Africa Scipio Carthaginienses et eundem Syphacem Numidarum regem Hasdrubalemque pluribus procliis vicit, adiuuvante Masinissa, binaque hostium castra expugnavit: in quibus quadraginta millia hominum ferro ignique consumpta sunt. Syphacem per C. Laelium et Masinissam cepit. Masinissa Sophonisbam, uxorem Syphacis, filiam Hasdrubalis, captam statim adamavit, et, nuptiis factis, uxorem habuit. Castigatus a Scipione venenum ei misit: quo hausto illa decessit. Effectumque est multis Scipionis victoriis, ut Carthaginienses, in desperationem acti, in auxilium publicae salutis Hannibalem ex Italia revocarent. Isque, anno sexto decimo Italia decedens, in Africam traiecit, tentavitque per colloquium pacem cum Scipione componere: et, quum de conditionibus pacis non convenisset, acie victus est. Pax Carthaginiensibus data est petentibus. Hannibal Gisgonem, pacem dissuadentem, manu sua detraxit: excusata deinde temeritate facti, ipse pacem suasit. Mago, qui bello in agro Insubrium cum Romanis conflixerat, vulneratus, dum in Africam per legatos revocatus revertitur, ex vulnere mortuus est. Masinissae regnum restitutum est. Reversus in urbem Scipio amplissimum nobilissimumque egit triumphum, quem Q. Terentius Culleo senator pileatus secutus est. Scipio Africanus (incertum militari prius favore, an populari aura ita cognominatus) primus certe hic imperator victae a se nomine gentis nobilitatus est.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXX.

C. N. SERVILIUS CAEPIO et C. Servilius Geminus U. C. 549.
 consules, (sexthus decimus is annus belli Punici erat) A. C. 203.
 quum de republica belloque et provinciis ad senatum retu- Provinciae.
 lissent, censuerunt Patres, ut consules inter se compara-
 rent, sortirenturve, uter Bruttios adversus Hannibalem,
 uter Etruriam ac Ligures provinciam haberet. Cui Brut-
 tii evenissent, exercitum a P. Sempronio acciperet. P. Sem- Laus P. Li-
 pronius (ei quoque enim proconsuli imperium in annum cinii.
 prorogabatur) P. Licinio succederet: is Romam revertere-
 1 tur, bello quoque bonus habitus ad cetera, quibus nemo ea
 tempestate instructor civis habebatur, congestis omnibus
 humanis a natura fortunaque bonis. Nobilis idem ac dives
 2 erat: forma viribusque corporis excellebat. Facundissimus
 3 habebatur, seu causa oranda, seu in senatu, ad populum
 4 suadendi ac dissuadendi locus esset: iuris pontificii peri-
 5 tissimus. Super haec, bellicae quoque laudis consulatus
 compotem fecerat. Quod in Bruttiiis provincia, idem in
 Etruria ac Liguribus decretum. M. Cornelius novo con-
 suli tradere exercitum iussus: ipse, prorogato imperio, Gal-
 liam provinciam obtinere cum legionibus iis, quas praetor
 L. Scribonius priore anno habuisset. Sortiti deinde pro-
 vincias: Caepioni Bruttii, Servilio Gemino Etruria evenit.

1 *Ad cetera*] Praeter ceteras lau-
 des et ornamenta. CREV.

2 *Facundissimus habebatur*] Mi-
 rum quidem, quod Cicero huius P.
 Licinii, cuius tam honorifice Livius
 meminit, nullam mentionem fecerit
 in libro qui inscribitur *Brutus*, sive
De claris Oratoribus. DRAK.

3 *Seu in senatu, ad populum*] Ele-
 gans asyndeton, quod tnetur libri
 nostri cum Gronovianis optimis. Male
 inserta fuerat particula *et* in vulgatis.
 CREV. Equidem malim, *seu causa*
oranda ad populum, seu in senatu
suadendi, &c.

4 *Iuris pontificii peritissimus*] Pon-
 tifex maximus P. Licinius erat. Ideo

laudatur in eo peritia iuris pontificii.
 CREV.

5 *Bellicae quoque laudis consu-
 latus compotem fecerat*] Haec est
 lectio veterum editorum et scripto-
 rum fere omnium. Gruterus dederat
Bellicae quoque laudes consulatus
compotem fecerant: eique obsecuti
 fuerant editores. Profecto contra
 Livii mentem. Nihil enim omnino
 ab eo memoratum est ante consu-
 latum Crassi, unde ille bellator ha-
 beretur. Non igitur, ut recte ob-
 servat Gronovius, vult Livius eum
 consulem factum quia bellator erat,
 sed consulatum ei occasionem dedisse
 bellicae sibi parandae laudis. CREV.

U. C. 549. Tum praetorum provinciae in sortem coniectae. Iuris-
 A. C. 203. dictionem urbanam Paetus Aelius, Sardiniam P. Lentulus,
 Siciliam P. Villius, Ariminum cum duabus legionibus (sub
 Lucretio Spurio eae fuerant) Quinctilius Varus est sorti-
 tus. Et Lucretio prorogatum imperium, ut Genuam op-
 pidum a Magone Poeno dirutum exaedificaret. P. Sci-
 pioni, non temporis, sed rei gerendae fine, donec debella-
 tum in Africa foret, prorogatum imperium est: decretum-
 que, ut supplicatio fieret, quod is in Africam provinciam
 traiecisset, ut ea res salutaris populo Romano ipsique duci
 2. atque exercitui esset. In Siciliam tria millia militum sunt
 scripta, et quia, quod roboris ea provincia habuerat, in
 Africam transvectum fuerat; et quia, ne qua classis ex 6
 Africa traiceret, quadraginta navibus custodiri placuerat
 Siciliae maritimam oram. Tredecim novas naves Villius
 secum in Siciliam duxit: ceterae in Sicilia veteres refectae.
 Huic classi M. Pomponius, prioris anni praetor, prorogato
 imperio praepositus, novos milites ex Italia advectos in
 naves imposuit. Parem navium numerum Cn. Octavio, 7
 praetori item prioris anni, cum pari iure imperii ad tuen-
 dam Sardiniae oram Patres decreverunt. Lentulus prae-
 tor duo millia militum dare in naves iussus. Et Italiae
 ora, quia incertum erat, quo missuri classem Carthaginien-
 ses forent, (videbantur autem, quicquid nudatum praesidiis
 esset, petituri) M. Marcio, praetori prioris anni, cum toti-
 dem navibus tuenda data est. Tria millia militum in eam
 classem ex decreto Patrum consules scripserunt, et duas
 legiones urbanas ad incerta belli. Hispaniae cum exerci- 8
 tibus imperioque veteribus imperatoribus, L. Lentulo et L.
 Manlio Acidino, decretae. Viginti omnino legionibus, et
 centum sexaginta navibus longis res Romana eo anno
 gesta.

Legiones
 20. naves
 160.

Praetores in provincias ire iussi. Consulibus imperatum,
 priusquam ab urbe profisciscerentur, ludos magnos facerent, 9
 quos T. Manlius Torquatus dictator in quintum annum vo-
 visset, si eodem statu respublica staret. Et novas religiones 1

6 *Et quia, ne qua classis*] *Et quia*
 reposuit Crevier, ex codicis Put. lec-
 tione *et qui ante qua*, docens dupli-
 cem rationem afferri, cur tria millia
 militum in Siciliam scripta fuerint;
 unam, quia insula non satis firmo
 praesidio teneretur, alteram, ut novi
 milites imponerentur in naves, quibus
 ora maritima custodiretur.

7 *Cn. Octavio, praetori item prioris*
anni] Eum biennio ante praetorem
 fuisse supr. xxviii. 38. et Sardiniam
 sortitum esse, anno autem priore pro-

rogato imperio cum quadraginta na-
 vibus maritimam oram, quibus finibus
 senatus censuisset supr. xxix. 13. tu-
 tari iussum esse monet Perizon.

8 *Ad incerta belli*] Similiter pas-
 sim apud nostrum *ad subita belli*, sub.
ministeria.

9 *Ludos magnos facerent, quos T.*
Manlius] cf. Supr. xxvii. 33.

1 *Novas religiones*] Metus per pro-
 digia, omnia, aliaque eiusmodi animis
 hominum injectos.

excitabant in animis hominum prodigia, ex pluribus locis nuntiata. Aurum in Capitolio corvi non lacerasse tantum rostris crediti, sed etiam edisse. Mures Antii coronam auream arrosere. Circa Capuam omnem agrum locustarum vis ingens, ita ut, unde advenissent, parum constaret, complevit. Equuleus Reate cum quinque pedibus natus. Anagninae sparsi primum ignes in coelo, dein fax ingens arsit. Frusinone arcus solem tenui linea amplexus est; ² circulum deinde ipsum maior solis orbis extrinsecus inclusit. Arpini terra campestri agro in ingentem sinum ³ cecidit. Consulum alteri, primam hostiam immolanti, caput iocinoris defuit. Ea prodigia maioribus hostiis procurata: editi a collegio pontificum dii, quibus sacrificaretur.

U. C. 549.
A. C. 203.
Prodigia.

Iis transactis, consules praetoresque in provincias profecti. ^{3.} Omnibus tamen, velut eam sortitis, Africae cura erat; seu quia ibi summam rerum bellicae verti cernebant; seu ut Scipioni gratificarentur, in quem tum omnis versa civitas erat. Itaque non ex Sardinia tantum, sicut ante dictum est, sed ex Sicilia quoque et Hispania vestimenta, frumentumque, et arma etiam ex Sicilia, et omne genus commeatus eo portabantur. Nec Scipio ullo tempore hiemis belli opera remiserat, quae multa simul undique eum circumstant. Uticam obsidebat: castra in conspectu Hasdrubalis erant. Carthaginenses deduxerant naves: classem paratam instructamque ad commeatus intercipiendos habebant. Inter haec ne Syphacis quidem reconciliandi curam ex ⁴ animo miserat; si forte iam satias amoris in uxore ex multa copia cepisset. Ab Syphace magis pacis cum Carthaginensibus conditiones, ut Romani Africa, Poeni Italia excederent, quam, si bellaretur, spes ulla desciturum afferebatur. Haec per nuntios magis equidem acta crediderim, (et ita pars maior auctores sunt) quam ipsum Syphacem, ut Antias Valerius prodit, in castra Romana ad colloquium venisse. Primo eas conditiones imperator Romanus vix auribus admisit. Postea, ut causa probabilis suis commeandi foret in castra hostium, mollius eadem illa abnuere, ac spem facere, saepius ultro citroque agitantibus rem conventuram.

Res gestae
in Africa.

Hibernacula Carthaginensium, congesta temere ex agris ⁵ materia exaedificata, lignea ferme tota erant. Numidae praecipue arundine textis, storeaque pars maxima tectis, ⁶

Castra
Hasdrubalis
et Syphacis.

² *Maior solis orbis*] Quem Graeca voce (ἄλω) *halo* Anglice dicimus.

³ *Caput iocinoris*] cf. Supr. viii. 9. xxvii. 26.

⁴ *Si forte iam satias amoris in uxore*] *Eum* pro iam legendum suadet Gronov. sed quoniam nullius eod. auctoritate firmatur, non restituen-

dum censet Drak. *In uxore* melius haud dubie quam *in uxorem*, quod Sigonio placuit. cf. Ovid. Met. iv. 258. *Venerisque modum sibi fecit in illa.*

⁵ *Numidae praecipue*] Paulo intricatior hic est verborum ordo, quae sic digerere videmur posse. Numidae

U. C. 549. passim nullo ordine, quidam, ut sine imperio occupatis
 A. C. 203. locis, extra fossam etiam vallumque habitabant. Haec re-
 lata Scipioni spem fecerant castra hostium per occasionem
 4. incendendi. Cum legatis, quos mitteret ad Syphacem, ca-
 lonum loco primos ordines spectatae virtutis atque pruden-
 tia servili habitu mittebat; qui, dum in colloquio legati
 essent, vagi per castra, alius alia, aditus exitusque omnes,
 situm formamque et universorum castrorum, et partium,
 qua Poeni, qua Numidae haberent, quantum intervalli inter 7
 Hasdrubalis ac regia castra esset, specularentur: moremque
 simul noscerent stationum vigiliarumque: nocte, an inter-
 diu opportuniores insidianti essent. Et inter crebra collo-
 quia alii atque alii de industria, quo pluribus omnia nota
 essent, mittebantur. Quum saepius agitata res certiore
 spem pacis in dies et Syphaci et Carthaginensibus per eum
 faceret; legati Romani 'vetitos se reverti ad imperatorem'
 aiunt, 'nisi certum responsum detur. Proinde, seu ipsi 8
 'staret iam sententia, seu consulendus Hasdrubal et Car-
 'thaginenses essent, consuleret. Tempus esse, aut pacem
 'componi, aut bellum naviter geri.' Dum consulitur Has-
 drubal ab Syphace, ab Hasdrubale Carthaginenses; et spe-
 culatores omnia visendi, et Scipio ad comparanda ea, quae
 in rem erant, tempus habuit. Et ex mentione ac spe pacis
 negligentia, ut fit, apud Poenos Numidamque orta cavendi,
 ne quid hostile interim paterentur. Tandem relatum re-
 sponsum, quibusdam, quia nimis cupere Romanus pacem
 videbatur, iniquis per occasionem adiectis; quae peroppor-
 tune cupienti tollere indutias Scipioni causam praebuere.
 Ac nuntio regis, quum relaturum se ad consilium dixisset,
 postero die respondit, 'Se uno frustra tendente, nulli alii
 'pacem placuisse. Renuntiaret igitur, nullam aliam spem
 'pacis, quam relictis Carthaginensibus, Syphaci cum Ro-
 'manis esse.' Ita tollit indutias, ut libera fide incepta ex-
 sequeretur: deductisque navibus (et iam veris principium
 erat) machinas tormentaue, velut a mari aggressurus Uti-
 cam, imponit. Et duo millia militum ad capiendum, quem
 antea tenuerat, tumultum super Uticam mittit: simul ut ab
 eo, quod parabat, in alterius rei curam converteret hostium

praecipue passim nullo ordine *hiber-
 naculis* arundine textis, pars maxima,
 (plerique eorum) storea quoque tee-
 tis, habitabant; quidam extra fossam
 etiam vallumque, ut in locis sine im-
 perio occupatis. *Storea* efficitur e
 palea, vel ulva texta. CREV.

6 *Primos ordines*] *Primi ordines*
 vetere militia erant sex primorum or-
 dinum centuriones: duo primi pili,

duo primi principes, duo primi has-
 tati. GRONOV.

7 *Qua Numidae haberent*] *Ha-
 bere* pro *habitare* dici animadvertit
 Drakenb. supr. xxvi. 34. infr. xxxii.
 14. cf. Cic. Ep. ad Divers. vii. 6.

8 *Seu ipsi staret iam sententia*] *Supple*, responsum daret.

9 *Iniquis*] sc. Conditionibus, quam
 vocem quidam male inseruerunt.

animos: simul ne qua, quum ipse ad Syphacem Hasdruba- U. C. 549.
lemque profectus esset, eruptio ex urbe et impetus in castra A. C. 203.
sua, relicta cum levi praesidio, fieret.

His praeparatis, advocatoque consilio, edicere explorato- 5.
ribus iussis, quae comperta afferrent, Masinissaque, cui Incensa a
omnia hostium nota erant; postremo ipse, quid pararet in Scipione.
proximam noctem, proponit. Tribunis edicit, ut, ubi,
1 praetorio dimisso, signa concinuissent, extemplo educerent
castris legiones. Ita, ut imperaverat, signa sub occasum
solis offerri sunt coepta. Ad primam ferme vigiliam agmen
explicaverunt: media nocte (septem enim millia itineris
erant) modico gradu ad castra hostium perventum. Ibi
Scipio partem copiarum Laelio, Masinissamque ac Numidas,
attribuit: et castra Syphacis invadere, ignesque coniicere
2 iubet. Singulos deinde separatim, Laelium ac Masinissam,
seductos obtestatur, 'ut, quantum nox providentiae adimat,
3 'tantum diligentia expleant curaque. Se Hasdrubalem Pu-
'nicaque castra aggressurum. Ceterum non ante coeptu-
'rum, quam ignem in regiiis castris conspexisset.' Neque
4 ea res morata diu est. Nam, ut proximis casis iniectus
ignis haesit, extemplo proxima quaeque, et deinceps con-
tinua amplexus, totis se passim dissipavit castris. Et trepi-
5 datio quidem, quantam necesse erat, in nocturno effuso tam
late incendio, orta est: ceterum, fortuitum, non hostilem ac
bellicum, ignem rati esse, sine armis ad restinguendum in-
cendium effusi, in armatos incidere hostes, maxime Numi-
das, ab Masinissa notitia regionum castrorum ad exitus iti-
nerum idoneis locis dispositos. Multos in ipsis cubilibus
semisomnos hausit flamma: multi in praecipiti fuga, ruen-
tes super alios alii, in angustiis portarum obtriti sunt. Re- 6.
lucentem flammam primo vigiles Carthaginensium, deinde
excitati alii nocturno tumultu quum conspexissent, ab eo-
dem errore credere et ipsi sua sponte incendium ortum.
6 Et clamor inter caedem et vulnera sublatus, an ex trepi-
datione nocturna esset, confusus, sensum veri adimebat.

1 Praetorio dimisso] se. Consilio, quod in praetorio habebatur. cf. supr. xxi. 54.

2 Singulos] Singulos deinde separatim a sese invicem, Laelium, inquam, et Masinissam, seductos a vulgo et turba, obtestatur. Videtur Livius ideo expressisse nomina Laelii et Masinissae, ut restringeret vocem singulos, quae latioris significationis esse poterat. CREV.

3 Diligentia expleant curaque] Totum huic locum e Polyb. xiv. 4. desumptum esse monet Sigonius.

4 Proximis casis iniectus] Primis

pro proximis reponendum suadet Gronov. tum quia voces proxima quacque sequuntur, tum quia Polybius ita scripsit. Emendationem Gronov. in textum recepit Bekker.

5 Quantam necesse erat] Quantam pro vulg. quanta emendavit Gronovius, sed quanta servant Crev. et Bekker.

6 An ex trepidatione nocturna esset, confusus] Aliquid vitiosum in hoc loco latere putat Gronov. sed Crevier. licet constructio verborum durior sit, ita exponi posse censet, clamor confusus, sive incertus, an

U. C. 549. Igitur pro se quisque inermes, ut quibus nihil hostile sus-
 A. C. 203. pectum esset, omnibus portis, qua cuique proximum erat, ea modo, quae restinguendo igni forent, portantes, in agmen Romanum ruebant. Quibus caesis omnibus, praeterquam hostili odio, etiam ne quis nuntius effugeret, extemplo Scipio neglectas, ut in tali tumultu, portas invadit: ignibusque in proxima tecta coniectis, effusa flamma primo veluti sparsa pluribus locis reluxit, dein per continua serpens, uno repente omnia incendio hausit. Ambusti homines iumentaue foeda primum fuga, dein strage, obruerant itinera portarum. Quos non oppresserat ignis, ferro absumpti: binaque castra clade una deleta. Duces tamen ambo, et ex tot millibus armatorum duo millia peditum et quingenti equites semiermes, magna pars saucii, afflatique 7 incendio, effugerunt. Caesa aut hausta flammis quadraginta millia hominum sunt, capta supra quinque millia; multi Carthaginiensium nobiles, undecim senatores: signa militaria centum septuaginta quattuor, equi Numidici supra duo millia septingenti, elephanti sex capti; octo flamma ferroque absumpti, magnaue vis armorum capta. Ea omnia imperator Vulcano sacrata incendit.

7. Hasdrubal ex fuga, cum paucis, Afrorum urbem proximam petierat: eoque omnes, qui supererant, vestigia ducis sequentes, se contulerant. Metu deinde, ne dederetur Scipioni, urbe excessit. Mox eodem patentibus portis Romani accepti: nec quicquam hostile, quia voluntate concesserant in ditionem, factum. Duae subinde urbes captae direptaeque. Ea praeda, et quae castris ex incensis et igne rapta erat, militi concessa est. Syphax octo millium ferme inde spatio loco communito consedit. Hasdrubal Carthaginem contendit, ne quid per metum ex recenti clade mollius consuleretur. Quo tantus primo terror est allatus, ut, omissa Utica, Carthaginem crederent extemplo Scipionem obsessurum. Senatum itaque suffetes (quod velut consulare imperium apud eos erat) vocaverunt. Ibi e tribus (una de pace legatos ad Scipionem decernebat: altera Hannibalem ad tuendam ab exitiabili bello patriam revocabat: tertia Romanae in adversis rebus constantiae erat; reparandum exercitum, Syphacemque hortandum, ne bello absisteret, censebat) haec sententia, quia Hasdrubal prae-

ex trepidatione, quae nocturnum incendium comitari solet, ortus esset. *Confusis* Rhenanus mavult.

7 *Afflatique incendio*] Similiter supr. xxviii. 23. *ambustique afflatu vaporis*.

8 *Afrorum urbem*] Urbs illa non erat Punicae originis, sed Afri cam

tenebant. Nomen eius, quod Polybius praetermisit, apud Appianum Punie. p. 13. exstat, εἰς Ἀνδᾶν κατ-έφυγεν.

9 *Senatum itaque suffetes*] cf. Supr. xxviii. 37. *Sufetes* scribendum monet Sigon.

sens Barcinæque omnes factionis bellum malebant, vicit. U. C. 549.
 Inde delectus in urbe agrisque haberi coeptus, et ad Sypha- A. C. 203.
 cem legati missi, summa ope et ipsum reparantem bellum: Carthagi-
 quum uxor non iam, ut ante, blanditiis, satis potentibus ad bellum re-
 animum auantis, sed precibus et misericordia valuisse, parant.
 plena lacrimarum obtestans, ne patrem suum patriamque
 proderet, iisdemque flammis Carthaginem, quibus castra
 conflagrassent, absumi sineret. Spem quoque opportune
 oblatam afferebant legati: quattuor millia Celtiberorum
 circa urbem nomine Abbam, ab conquisitoribus suis con-
 ducta in Hispania, egregiae iuventutis, sibi occurrisset: et
 Hasdrubalem propediem affore cum manu haudquaquam
 contemnenda. Igitur non benigne modo legatis respondit,
 sed ostendit etiam multitudinem agrestium Numidarum,
 quibus per eosdem dies arma equosque dedisset, et omnem
 iuventutem affirmat exciturum ex regno. 'Scire incendio,
 'non proelio, cladem acceptam: cum bello inferiorem esse,
 'qui armis vincatur.' Haec legatis responsa. Et post dies
 paucos rursus Hasdrubal et Syphax copias iunxerunt. Is
 omnis exercitus fuit triginta ferme millium armatorum. Copias
cum Sy-
phace iun-
gunt.

8.

Scipionem, velut iam debellato, quod ad Syphacem Car-
 thaginiensesque attineret, Uticæ oppugnandæ intentum,
 iamque machinas admoventem muris, avertit fama redinte-
 grati belli: modicisque praesidiis ad speciem modo obsidio-
 nis terra marique relictis, ipse cum robore exercitus ire ad
 hostes pergit. Primo in tumulto, quattuor ferme millia dis-
 tante ab castris regiis, consedit: postero die cum equitatu
 in Magnos (ita vocant) campos, subiectos ei tumulto, de-
 gressus, succedendo ad stationes hostium, lacessendoque
 levibus proeliis, diem absumpsit: et per insequens biduum
 tumultuosis hinc atque illinc excursionibus in vicem, nihil
 dictu satis dignum fecerunt. Quarto die utrimque in
 1 aciem descensum est. Romanus principes post hastatorum
 2 prima signa, in subsidiis triarios constituit: equitatum Itali-
 cum ab dextro cornu, ab laevo Numidas Masinissamque
 opposuit. Syphax Hasdrubalque, Numidicis adversus Ita-
 licum equitatum, Carthaginiensibus contra Masinissam
 3 locatis, Celtiberos in mediam aciem in adversa signa legio-

It ad hos-
tes Scipio.

1 *Principes post hastatorum prima signa*] Post signa hastatorum, quæ prima erant, id est, ex quibus prima constabat acies. Ceterum hic ante Sigonium legebatur: *post principes hastatorum prima signa*. Correxerit ille, ut postulabat et sollennis mos Romanorum in instruenda acie, a Livio saepius testatus, et Polybius xiv. 8. in huius ipsius proelii narratione. Cr.

2 *In subsidiis triarios constituit*]

Mutationem quandam in legione ordinanda nunc factam fuisse admodum verisimile est. cf. infr. 33. Niebhr. iii. n. 826.

3 *Celtiberos in mediam aciem*] Praepositionem in auctore Gronovio deleverit Bekker. volentibus pluribus codd. sed illam servandam censent Crevier, et Drakenh. utpote interceptam a prima litera vocis sequentis.

U. C. 549. num acceperere. Ita instructi concurrunt. Primo impetu
A. C. 203. simul utraque cornua, et Numidae et Carthaginienses pulsi.
Proelium committitur. Nam neque Numidae, maxima pars agrestes, Romanum
equitatum, neque Carthaginienses, et ipse novus miles,

Vineunt
Romani.

Masinissam, recenti super cetera victoria terribilem, sustinere. Nudata utrimque cornibus Celtiberum acies stabat: quod nec in fuga salus ulla ostendebatur locis ignotis, neque spes veniae ab Scipione erat; quem, bene meritum de se et gente sua, mercenariis armis in Africam oppugnatum venissent. Igitur, circumfusus undique hostibus, alii super alios cadentes, obstinati moriebantur: omnibusque in eos versis, aliquantum ad fugam temporis Syphax et Hasdrubal praeceperunt. Fatigatos caede diutius, quam pugna, victores nox oppressit.

9. Postero die Scipio Laelium Masinissamque cum omni Romano et Numidico equitatu expeditisque militum, ad persequendos Syphacem atque Hasdrubalem mittit. Ipse, cum robore exercitus, urbes circa, quae omnes Carthaginensium ditionis erant, partim spe, partim metu, partim vi subegit. Carthagini quidem erat ingens terror, et circum-
ferentem arma Scipionem, omnibus finitimis raptim perdomitis, ipsam Carthaginem repente aggressurum credebant. Itaque et muri reficiebantur, propugnaculisque armabantur: et pro se quisque, quae diutinae obsidioni tolerandae sunt, ex agris convehit. Rara mentio est pacis, frequentior legatorum ad Hannibalem arcessendum mittendorum. Pars maxima classem, quae ad commeatus excipiendos parata erat, mittere iubent ad opprimendam stationem navium ad Uticam, incaute agentem: forsitan etiam navalia castra, relicta cum levi praesidio, oppressuros. In hoc consilium maxime inclinant: legatos tamen ad Hannibalem mittendos censent. Quippe, classi ut felicissime gerantur res, parte aliqua levare Uticae obsidionem: Carthaginem ipsam qui tueatur, neque imperatorem alium, quam Hannibalem, neque exercitum alium, quam Hannibalis, superesse. Deductae ergo postero die naves, simul et legati in Italiam profecti, raptimque omnia, stimulante fortuna, agebantur:

Terror
Poenorum.

Legati
missi ad
revocan-
dum Han-
nibalem.

4 *Carthagini*] cf. Supr. xxviii. 26. Ita quoque in columna Rostrata a Duilio consule posita *Carthagini* legitur, et simili modo *Lacedaemoni* pro *Lacedaemone* infr. xxxv. 35. quidam codices exhibent.

5 *Quae diutinae obsidioni tolerandae sunt*] *Diutinae obsidionis* auctoritate plur. codd. reposuit Bekker. assentiente Drakenborchio. Exemplum verbi *esse* cum genitivo supr.

xxvii. 9. et infr. xxxviii. 50. adeas.

6 *Ad commeatus excipiendos*] Ad intercipiendos commeatus, qui ad Scipionem mitterentur.

7 *Ut felicissime gerantur*] h. e. Quamvis, etiamsi. cf. supr. xxii. 25. *Ut vera omnia essent.*

8 *Parte aliqua*] Id unum ex eo successu commodum percipi, quod aliqua ex parte levaretur Uticae obsidio. CREV.

et, in quo quisque cessasset, prodi ab se salutem omnium rebatur. U. C. 549.
A. C. 203.

Scipio, gravem iam spoliis multarum urbium exercitum trahens, captivis aliaque praeda in vetera castra ad Uticam missis, iam in Carthaginem intentus, occupat relictum fuga custodem Tuneta. Abest ab Carthagine quindecim millia ferme passuum locus, quum operibus, tum suapte natura tutus, et qui et ab Carthagine conspici et praebere ipse prospectum, quum ad urbem, tum ad circumfusum mare urbi, posset. Inde, quum maxime vallum Romani iacerent, 10. conspecta classis hostium est, Uticam Carthagine petens. Igitur, omisso opere, pronuntiatum iter, signaque raptim ferri sunt coepta: ne naves, in terram et obsidionem versae, ac minime navali proelio aptae, opprimerentur. Qui enim Classem Romanam invadunt Carthaginenses. restitissent agili et nautico instrumento aptae et armatae classi naves, tormenta machinasque portantes, et aut in onerariarum usum versae, aut ita appulsae ad muros, ut pro aggere ac pontibus praebere ascensus possent? Itaque 1 Scipio, contra quam in navali certamine solet, rostratis, quae praesidio aliis esse poterant, in postremam aciem receptis prope terram, onerariarum quadruplicem ordinem pro muro adversus hostem opposuit: easque ipsas, ne in tumultu pugnae turbari ordines possent, malis antennisque de nave in navem traiectis, ac validis fimbriis velut uno inter se 2 vinculo illigatis, comprehendit: tabulasque superinstravit, 3 ut pervium ordinem faceret: et sub ipsis pontibus intervalla 4 fecit, qua procurrere speculatoriae naves in hostem, ac tuto recipi possent. His raptim pro tempore instructis, mille ferme delecti propugnatores onerariis imponuntur: telorum maxime missilium, ut, quamvis longo certamine, sufficerent, vis ingens congeritur. Ita parati atque intenti hostium adventum opperiebantur. Carthaginenses, qui, si maturassent, omnia permixta turba trepidantium primo impetu oppressissent, pereulsi terrestribus cladibus, atque inde ne in mari quidem, ubi ipsi plus poterant, satis fidentes, die segni navigatione absumpto, sub occasum solis in portum (Ruscinona Afri vocant) classe appulere. Postero die sub ortum solis instruxere ab alto naves, velut ad iustum proelium

9 *Agili et nautico instrumento aptae ... classi*] Classi agili ad motum, et instructae ornataeque instrumento nautico. CREV.

1 *Quae praesidio aliis esse poterant*] Quae, si de navali pugna ageretur, potuissent esse aliis praesidio; quarum is vulgo usus est, ut aliis praesidio sint. CREV.

2 *Ut pervium ordinem faceret*] *Fecisset* Bekker. fide codd. Put. et

Reg. *Ut pervium in totum ordinem esset* probat Crevier. codice Rhenani submisus, et *pervium* idem esse atque *pervium usum* censet, quemadmodum apud Festum v. *Vici*.

3 *Sub ipsis pontibus*] Sub tabulis illis, quae e nave in navem transitum dabant. CREV.

4 *Qua procurrere*] cf. Thueyd. ii. 83, ubi Peloponnesiaca classis simili ratione structa fuisse narratur.

U. C. 549. navale, et tanquam exituris contra Romanis. Quum diu
 A. C. 203. stetissent, postquam nihil moveri ab hostibus viderunt, tum
 demum onerarias aggrediuntur. Erat res minime certa-
 mini navali similis, proxime speciem muros oppugnantium ⁵
 navium. Altitudine aliquantum onerariae superabant; ex
 rostratis Poeni vana pleraque (utpote supino iactu) tela in
 superiorem locum mittebant: gravior ac pondere ipso libra-
 tior superne ex onerariis ictus erat. Speculatoriae naves
 ac levia ipsa navigia, quae sub constratis pontium per inter- ⁶
 valla excurrebant, primo ipso tantum impetu ac magnitu- ⁷
 dine rostratarum obruebantur: deinde et propugnatoribus
 quoque incommodae erant, quod permixtae cum hostium
 navibus inhibere saepe tela cogeant, metu ne ambiguo ictu
 suis inciderent: postremo asseres ferreo unco praefixi (har- ⁸
 pagones vocant) ex Punicis navibus iniici in Romanos
 coepti. Quos quum neque ipsos, neque catenas, quibus
 suspensi iniiciebantur, incidere possent; ut quaeque retro
 inhibita rostrata onerariam haerentem unco traheret, scindi
 videres vincula, quibus alia aliis innexa erat, seriem ⁹ aliam
 simul plurium navium trahi. Hoc maxime modo lacerati
 quidem omnes pontes, et vix transiliendi in secundum
 ordinem navium spatium propugnatoribus datum est. Sex
 ferme onerariae puppibus abstractae Carthaginem sunt:
 maior quam pro re laetitia, sed eo gratior, quod inter assi-
 duas clades ac lacrimas unum quantumcunque ex insperato
 gaudium affulserat; cum eo, ut appareret, haud procul ¹
 exitio fuisse Romanam classem, ni cessatum a praefectis
 suarum navium foret, et Scipio in tempore subvenisset.

Naves sex
 abstrahunt.

11. Per eosdem forte dies, quum Laelius et Masinissa quinto
 decimo ferme die in Numidiam pervenissent, Massyli, reg- ²
 num paternum Masinissae, laeti, ut ad regem diu desidera-
 tum, concessere. Syphax, pulsus inde praefectis praesidi-
 isque suis, vetere se continebat regno, nequitiam quieturus.
 Stimulabant aegrum amore uxor socerque: et ita viris

Masinissa
 regnum re-
 cuperat.

⁵ *Proxime speciem*] Proxime ac-
 cedeat res ad speciem navium muros
 oppugnantium: ea certaminis species
 erat, quasi naves oppugnant muros.
 CREV.

⁶ *Sub constratis pontium*] Sic
strata viarum apud Virg. Aen. l. 426.
 legi monet Doer.

⁷ *Primo ipso tantum impetu*] Primo
 id tantum afferebant damni
 Romanis, quod obruerentur ipsae vel
 solo impetu ac magnitudine Puni-
 earum rostratarum; deinde etiam iis
 incommodae erant, qui ex onerariis
 pugnabant adversus Poenos. CREV.

⁸ *Harpagones vocant*] Inter har-

pagones navibus attrahendis adhi-
 bitos, et *manus ferreas* supr. xxvi.
^{39.} discrepantiam quandam fuisse,
 colligere licet ex Caes. Bell. Civ. ii.
^{57.} si *manus ferreas atque harpa-*
gones paraverant. DOER.

⁹ *Seriem aliam*] Crevierio arridet
 coniectura Gronovii *seriemque simul*
plurium.

¹ *Cum eo, ut appareret*] sc. Prac-
 terquam quod . . .

² *Regnum paternum Masinissae*] Mas-
 sylis enim Masinissae, Masac-
 sylis Syphacis regnum continebatur.
 cf. supr. xxiv. 48.

equisque abundabat, ut subiectae oculis regni per multos U. C. 549.
 florentis annos vires etiam minus barbaro atque impotenti A. C. 203.
 animo spiritus possent facere. Igitur omnibus, qui bello Syphax
 apti erant, in unum coactis equos, arma, tela dividit. bellum re-
³ Equites in turmas, pedites in cohortes, sicut quondam ab parat.
 Romanis centurionibus didicerat, distribuit. Exercitu haud
 minore, quam quem prius habuerat, ceterum omni prope
 novo atque incondito, ire ad hostes pergit. Et, castris in
 propinquo positis, primo pauci equites ex tuto speculantes
 ab stationibus progredi; inde iaculis summoti recurrere ad
 suos: inde excursions in vicem fieri, et, quum pulsos in-
 dignatio accenderet, plures subire: quod irritamentum cer-
 taminum equestrium est, quum aut vincitibus spes, aut
 pulsus ira aggregat suos. Ita tum a paucis proelio accenso,
 omnem utrimque postremo equitatum certaminis studium
⁴ effudit. Ac, dum sincerum equestre proelium erat, multi- Vincitur a
 tudo Masaesylorum, ingentia agmina Syphace emittente, Laelio et
 sustineri vix poterat: deinde, ut pedes Romanus repentino Masinissa.
 per turmas suas viam dantes intereursu stabilem aciem
 fecit, absterruitque effuse invehentem sese hostem, primo
 barbari segnius permittere equos; deinde stare ac prope
 turbari novo genere pugnae; postremo, non pediti solum
 cedere, sed ne equitem quidem sustinere, peditis praesidio
 audentem. Iam signa quoque legionum appropinquabant.
 Tum vero Masaesyli non modo primum impetum, sed ne
 conspectum quidem signorum atque armorum, tulerunt:
 tantum seu memoria priorum cladum, seu praesens terror
 valuit. Ibi Syphax, dum obequitat hostium turmis, si 12.
 pudore, si periculo suo fugam sistere posset, equo graviter Capitur.
 icto, effusus opprimitur capiturque, et vivus, laetum ante
 omnes Masinissae praebiturus spectaculum, ad Laelium
 pertrahitur.

Circa caput regni Syphacis erat: eo se ingens hominum
 contulit vis. Caedes in eo proelio minor, quam victoria,
 fuit, quia equestri tantummodo proelio certatum fuerat.
 Non plus quinque millia occisa, minus dimidium eius homi-
 num captum est, impetu in castra facto, quo percussa rege
 amisso multitudo se contulerat. Masinissa, 'Sibi quidem,'
 dicere, 'nihil esse in praesentia pulchrius, quam victorem,
 'recuperatum tanto post intervallo, patrium invisere regi-
 'num: sed tam secundis, quam adversis, rebus non dari
 'spatium ad cessandum. Si se Laelius cum equitatu vini-
 'cto Syphace Cirtam praecedere sinat, trepida omnia
 'metu se oppressurum: Laelium cum peditibus subsequi

³ *Ab Romanis centurionibus*] cf. lorum equitum proelium, nullis pedi-
 Supr. xxiv. 48. tibus se ei immiscentibus, CREV.

⁴ *Sincerum equestre proelium*] So-
 VOL. II.

U. C. 549. 'modicis itineribus posse.' Assentiente Laelio, praegressus
 A. C. 203. Cirtam, evocari ad colloquium principes Cirtensium iubet.
 Sed apud ignaros regis casus, neque quae acta essent prom-
 mendo, nec minis, nec suadendo, ante valuit, quam rex
 vinctus in conspectum datus est. Tum ad spectaculum
 tam foedum comploratio orta: et partim pavore moenia
 sunt deserta, partim repentino consensu gratiam apud vi-
 ctorem quaerentium patefactae portae. Et Masinissa, prae-
 sidio circa portas opportunaque moenium dimisso, ne cui
 fugae pateret exitus, ad regiam occupandam citato vadit
 equo. Intranti vestibulum in ipso limine Sophonisba, uxor
 Syphacis, filia Hasdrubalis Poeni, occurrit: et, quum in
 medio agmine armatorum Masinissam insignem, quum
 armis, tum cetero habitu, conspexisset, regem esse (id quod
 erat) rata, genibus advoluta eius: 'Omnia quidem ut 5
 'posses in nobis, dii dederunt, virtusque et felicitas tua.
 'Sed, si captivae apud dominum vitae necisque suae vocem
 'supplicem mittere licet, si genua, si victricem attingere
 'dextram, precor quaeque per maiestatem regiam, in qua
 'paullo ante nos quoque fuimus, per gentis Numidarum
 'nomen, quod tibi cum Syphace commune fuit, per huiusce
 'regiae deos, qui te melioribus omnibus accipiant, quam
 'Syphacem hinc miserunt, hanc veniam supplici des, ut
 'ipse, quodcunque fert animus, de captiva statuas, neque
 'me in cuiusquam Romani superbum ac crudele arbitrium
 'venire sinas. Si nihil aliud, quam Syphacis uxor, fuissem,
 'tamen Numidae, atque in eadem mecum Africa geniti,
 'quam alienigenae et externi, fidem experiri malletm.
 'Quid Carthaginensi ab Romano, quid filiae Hasdrubalis
 'timendum sit, vides. Si nulla alia re potes, morte me ut
 'vindices ab Romanorum arbitrio, oro obtestorque.' Forma
 erat insignis et florentissima aetas. Itaque quum modo,
 dextram amplectens, in id, ne cui Romano traderetur,
 fidem exposceret, propiusque blanditias oratio esset, quam
 preces; non in misericordiam modo prolapsus est animus
 victoris, sed (ut est genus Numidarum in Venerem prae-
 ceptis) amore captivae victor captus, data dextra in id, quod 6
 petebatur, obligandae fidei, in regiam concedit. Institit
 deinde reputare secum ipse, quemadmodum promissi fidem
 praestaret. Quod quum expedire non posset, ab amore te-

Sophonis-
 ba Masi-
 nissae sup-
 plicat.

5 *Ut posses in nobis*] In nos repo-
 nendum suadet Crevier. sed exempla
 plura sexti casus similiter usurpati
 apud Livium exstant. cf. supr. iii. 17.
 v. 36. xxviii. 43.

6 *Amore captivae victor captus*]
 Iam observavimus ex Appiano ad
 xxviii. 16. Sophonisbam Masinissae

quondam desponsam fuisse. Erravit
 ille quidem circa tempus nuptiarum
 Sophonisbae cum Syphace: sed ce-
 tera vera esse nihil vetat. Id si ad-
 mittatur, minus mirum erit nondum
 fortasse plane extinctam in animo
 Masinissae flammam in veteres vires
 subito resurrexisse. CREV.

merarium atque impudens mutuatur consilium. Nuptias in
 7 eum ipsum diem repente parari iubet, ne quid relinqueret
 integri aut Laelio, aut ipsi Scipioni, consulendi velut in
 captivam, quae Masinissae iam nupta foret. Factis nuptiis
 supervenit Laelius: et adeo non dissimulavit improbare se
 factum, ut primo etiam cum Syphace et ceteris captivis de-
 tractam eam toro geniali mittere ad Scipionem conatus sit.
 Victus deinde precibus Masinissae orantis, ut arbitrium,
 utrius regum duorum fortunae accessio Sophonisba esset,
 ad Scipionem reiiceret; misso Syphace et captivis, ceteras
 urbes Numidiae, quae praesidiis regiis tenebantur, adiuvante
 Masinissa, recipit.

Syphacem in castra adduci, quum esset nuntiatum, omnis
 velut ad spectaculum triumphi multitudo effusa est. Prae-
 cedebat ipse vinctus; sequebatur grex nobilium Numida-
 rum. Tum, quantum quisque plurimum posset, magnitu-
 dini Syphacis, famae gentis, victoriam suam augendo, ad-
 debat: 'illum esse regem, cuius tantum maiestati duo po-
 tentissimi in terris tribuerint populi, Romanus Carthagini-
 ensisque, ut Scipio imperator suus ad amicitiam eius pe-
 tendam, relicta provincia Hispania exercituque, duabus
 quinqueringibus in Africam navigaverit: Hasdrubal, Poe-
 norum imperator, non ipse modo ad eum in regnum ve-
 nerit, sed etiam filiam ei nuptum dederit. Habuisse eum
 uno tempore in potestate duos imperatores, Pocnum Ro-
 manumque. Sicut ab diis immortalibus pars utraque
 hostiis mactandis pacem petisset, ita ab eo utrimque pari-
 ter amicitiam petitam. Iam tantas habuisse opes, ut
 Masinissam regno pulsum eo redegerit, ut vita eius fama
 mortis et latebris, ferarum modo in silvis rapto viventis,
 tegeretur.' His sermonibus circumstantium celebratus rex
 in praetorium ad Scipionem est perductus. Movit et Sci-
 pionem quum fortuna pristina viri praesenti fortunae collata,
 tum recordatio hospitii dextraeque datae, et foederis publice
 ac privatim iuncti. Eadem haec et Syphaci animum de-
 derunt in alloquendo victore. Nam quum Scipio, 'quid
 sibi voluisset,' quaereret, 'qui non societatem solum abnu-
 isset Romanam, sed ultro bellum intulisset;' tum ille,
 'peccasse quidem sese atque insanisse,' fatebatur; 'sed non
 tum demum, quum arma adversus populum Romanum
 8 cepisset: exitum sui furoris fuisse, non principium. Tunc
 se insanisse, tunc hospitia privata et publica foedera omnia
 ex animo eiecisse, quum Carthaginensem matronam do-

U. C. 549.
 A. C. 203.
 Duceit eam
 uxorem
 Masinissa.

13.

Syphax in
 castra Ro-
 mana ad-
 ducitur.

Colloqui-
 tur cum
 Scipione.

7 *Ne quid relinqueret integri*] Ne
 aut Laelius, aut ipse Scipio possent
 iam putare sibi integrum esse, sibi
 liberum esse tractare, ut captivam.

eam, quae Masinissae nupta foret.
 CREV.

8 *Exitum sui furoris*] Quod arma
 in Romanos intulerit.

U. C. 549. 'mum acceperit. Illis nuptialibus facibus regiam confla-
 A. C. 203. 'grasse suam: illam furiam pesteinque omnibus delinimentis
 'animum suum avertisse atque alienasse: nec conquiesse,
 'donec ipsa manibus suis nefaria sibi arma adversus hospi-
 'tem atque amicum induerit. Perdito tamen atque afflicto
 'sibi hoc in miseris solatii esse, quod in omnium hominum
 'inimicissimi sibi domum ac penates eandem pestem ac
 'furiam transisse videat. Neque prudentiorem, neque con-
 'stantiorem Masinissam, quam Syphacem, esse, etiam
 'iuventa incautiorem. Certe stultius illum atque intem-
 14. 'perantius eam, quam se, duxisse.' Haec non hostili modo
 odio, sed amoris etiam stimulis, amatam apud aemulum
 cernens, quum dixisset; non mediocri cura Scipionis ani-
 mum pepulit. Et fidem criminibus raptae prope inter
 arma nuptiae, neque consulto, neque expectato Laelio,
 faciebant; tamque praeceps festinatio, ut, quo die captam
 hostem vidisset, eodem matrimonio iunctam acciperet, et ad
 penates hostis sui nuptiale sacrum conficeret. Eo foediora
 haec videbantur Scipioni, quod ipsum in Hispania iuvenem
 nullius forma pepulerat captivae. Haec secum volutanti
 Laelius ac Masinissa supervenerunt. Quos quum pariter
 ambo et benigno vultu exceperisset, et egregiis laudibus fre-
 quenti praetorio celebrasset; abductum in secretum Masi-
 nissam sic alloquitur: 'Aliqua te existimo, Masinissa, in-
 'tuentem in me bona, et principio in Hispania ad iungen-
 Masinis-
 sam casti-
 gat Scipio.
 'dam mecum amicitiam venisse, et postea in Africa te
 'ipsum spesque omnes tuas in fidem meam commisisse.
 'Atqui nulla earum virtus est, propter quas appetendus
 'tibi visus sim, qua ego aequae, atque temperantiae et conti-
 'nentiae libidinum, gloriatus fuerim. Hanc te quoque ad
 'ceteras tuas eximias virtutes, Masinissa, adiecisse velim.
 'Non est, non, mihi crede, tantum ab hostibus armatis
 'aetati nostrae periculum, quantum ab circumfusiis undique
 'voluptatibus. Qui eas sua temperantia frenavit ac domuit,
 'multo maius decus maioremque victoriam sibi peperit,
 'quam nos Syphace victo habemus. Quae, me absente,
 'strenue ac fortiter fecisti, libenter et commemoravi, et
 'memini: cetera te ipsum reputare tecum, quam, me
 'dicente, erubescere malo. Syphax populi Romani auspi-
 'ciis victus captusque est. Itaque ipse, coniux, regnum,
 'ager, oppida, homines, qui incolunt, quicquid denique

9 *Raptae prope*] *Raptum* eleganter dicitur quidvis *raptum* factum. Gronov.

1 *In Hispania*] Ita emendavit Gronov. pro vulg. *in Hispaniam*, quod vitiosum esse, et scripti, et ipsa res

arguit. Neque enim ad iungendam cum Scipione amicitiam venerat in Hispaniam Masinissa, sed ad iuvandos auxilio Carthaginenses. Postea ab iis ad Romanos defeceerat. CREV.

‘Syphacis fuit, praeda populi Romani est : et regem con- U. C. 549.
 ‘iugenique eius, etiamsi non civis Carthaginienſis eſſet, A. C. 203.
 ‘etiamsi non patrem eius imperatorem hoſtium videremus,
 ‘Romam oporteret mitti, ac ſenatus populiſque Romani de
 ‘ea iudicium atque arbitrium eſſe, quae regem nobis ſocium
 ‘alienaſſe, atque in arma egiſſe praecipitem dicatur.
 ‘Vince animum. Cave deformes multa bona uno vitio, et
 ‘tot meritorum gratiam maiore culpa, quam cauſa culpae
 ‘eſt, corrumpas.’

Maſiniſſae haec audienti non rubor ſolum ſuffuſus, ſed 15.
 lacrimae etiam obortae : et, quum ‘ſe quidem in poteſtate
 ‘futurum imperatoris’ dixiſſet, oraſſetque eum, ‘ut, quan-
 ‘tum res ſinceret, fidei ſuae tenere obſtrictae conſuleret ;
 ‘promiſſiſſe enim, ſeſe in nullius poteſtatem eam tradi-
 ‘turum,’ ex praetorio in tabernaculum ſuum conſuſus con-
 ceſſit. Ibi, arbitris remotis, quum crebro ſuſpiritu et
 gemitu, quod facile ab circumſtantibus tabernaculum ex-
 audiri poſſet, aliquantum temporis conſumpſiſſet ; ingenti
 ad poſtremum edito gemitu, fidum e ſervis vocat, ſub
 cuius cuſtodia regio more ad incerta fortunae venenum
 erat, et mixtum in poculo ferre ad Sophoniſbam iubet, ac
 ſimul nuntiare : ‘Maſiniſſam libenter primam ei fidem Maſiniſſa
 ‘praeſtaturum fuiſſe, quam vir uxori debuerit. Quoniam venenum
 ‘arbitrium eius, qui poſſint, adimant, ſecundam fidem mittit ad
 ‘praeſtare, ne viva in poteſtatem Romanorum veniat, Sophoniſ-
 ‘Memor patris imperatoris, patriaeque, et duorum regum, bam.
 ‘quibus nupta fuiſſet, ſibi ipſa conſuleret.’ Hunc nuntium
 ac ſimul venenum ferens miniſter quum ad Sophoniſbam
 veniſſet, ‘Accipio,’ inquit, ‘nuptiale munus ; neque in-
 ‘gratum, ſi nihil maius vir uxori praeſtare potuit. Hoc
 ‘tamen nuntia, melius me morituram fuiſſe, ſi non in
 ‘funere meo nupſiſſem.’ Non locuta eſt ferocius, quam
 acceptum poculum, nullo trepidationis ſigno dato, impavide
 hauſit. Quod ubi nuntiatum eſt Scipioni, ne quid aeger
 animi ferox invenis gravius conſuleret, accitum eum ex-
 templo nunc ſolatur ; nunc, quod temeritatem temeritate
 alia luerit, triſtioriſque rem, quam necesse fuerit, fecerit,
 leniter caſtigat. Poſtero die, ut a praeſenti motu aver- Scipio Ma-
 teret animum eius, in tribunal eſcendit, et concionem ad- ſiniſſam
 vocari iuſſit. Ibi Maſiniſſam, primum regem appellatum, ampliſſi-
 2 eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, mis donis
 3 tunica donat. Addit verbis honorem, ‘Neque magnifi- decorat.
 ‘centius quicquam triumpho apud Romanos, neque tri-

2 Aurea patera] Qua nimirum diis libaret. De toga picta et tunica
 3 Addit verbis honorem] Munus inſuper ornat verbis. CREV.
 palmata, cf. ſupr. x. 7. CREV.

U. C. 549. 'umphantibus ampliozem eo ornatu esse; quo unum om-
 A. C. 203. 'nium externorum dignum Masinissam populus Romanus
 'ducat.' Laelium deinde, et ipsum collaudatum, aurea
 corona donat. Et alii militares viri, prout a quoque navata
 opera erat, donati. His honoribus mollitus regis animus,
 erectusque in spem propinquam, sublato Syphace, omnis
 Numidia potius.

16. Scipio, C. Laelio cum Syphace aliisque captivis Romanis
 misso, cum quibus et Masinissae legati profecti sunt, ipse
 ad Tuncta rursum castra refert, et, quae munimenta in-
 choaverat, permunit. Carthaginenses, non brevi solum,
 sed prope vano gaudio, ab satis prospera in praesens op-
 pugnacione classis perfusi, post famam capti Syphacis, in
 quo plus prope, quam in Hasdrubale atque exercitu suo
 spei reposuerant, perculti, iam nullo auctore belli ultra
 audito, oratores ad pacem petendam mittunt triginta se-
 niorum principes. Id erat sanctius apud illos consilium, 4
 maximeque ad ipsum senatum regendum vis. Qui ubi in 5
 castra Romana et praetorium pervenerunt, more adulan- 6
 tium (accepto, credo, ritu ex ea regione, ex qua oriundi
 erant) procubuerunt. Conveniens oratio tam humili adu-
 lationi fuit, non culpam purgantium, sed transferentium
 initium culpae in Hannibalem impotentiaeque eius fautores.
 Veniam civitati petebant, civium temeritate bis iam eversae, 7
 incolum futurae iterum hostium beneficio. 'Imperium ex
 'victis hostibus populum Romanum, non perniciem, petere.
 'Paratis obedientes servire, quae vellet, imperaret.' Scipio,
 'et venisse ea spe in Africam se,' ait, 'et spem suam pro-
 'spero belli eventu auctam, victoriam se, non pacem,
 'domum reportaturum esse. Tamen, quum victoriam
 'prope in manibus habeat, pacem non abnuere; ut omnes
 'gentes sciant, populum Romanum et suscipere iuste bella,
 'et finire. Leges pacis se has dicere. Captivos, et per-
 'fugas, et fugitivos restituant: exercitus ex Italia et Gallia 8

Carthagi-
 nienses pa-
 cem pe-
 tunt.

Leges pa-
 cis a Sci-
 pione dic-
 tac.

4 *Id erat sanctius*] h. e. Seniores.
 cf. infr. xxxiv. 61. Aristot. Pol. ii. 9.

5 *Maximaeque ad ipsum senatum
 regendum vis*] Cui quidem consilio
 maxima inerat auctoritas, qua se regi
 senatus ipse sinceret. CREV.

6 *More adulantium*] More eorum
 qui prout et humi prostrati reges ado-
 rant. Sic supr. ix. 18. de Alexandro,
*desideratus humi iacentium adula-
 tiones*. Et eodem modo Val. Max.
 iv. 7. *Hephaestionem . . . more Per-
 sarum adulata, tanquam Alexandrum
 salutavit*. Idem vi. 3. *Timagorum
 inter officium salutationis Darii
 regem more gentis illius adulatum*.

Ex his exemplis recte videtur colli-
 gere Gronovius ad Liv. ix. 18. ad-
 modum verisimile esse adorationem
 regum κατ' ἐξοχὴν *adulationem* a La-
 tinis dictam esse. CREV.

7 *Bis iam eversae*] Quam cives iam
 sui, quantum in se esset, bis everte-
 rant. Vocem ante quae in plerisque
 edd. post *iam* inseritur, merito dele-
 vit Kreyssigius, faventibus eodd. Put.
 et Reg.

8 *Et fugitivos*] Per *fugitivos* in-
 telligas servos, qui a dominis Romanis
 transfugerant ad Carthaginenses; per
perfugas autem, milites, qui Roma-
 norum signa deseruerant. DOER.

‘deducant: Hispania abstineant: insulis omnibus, quae U. C. 549.
‘inter Italiam et Africam sunt, decedant: naves longas, A. C. 203.
‘praeter viginti, omnes tradant: tritici quingenta, hordei
‘trecenta millia modium.’ Pecuniae summam quantam
imperaverit, parum convenit. Alibi quinque millia ta-
lentum, alibi quinque millia pondo argenti, alibi duplex
stipendium militibus imperatum invenio. ‘His conditioni- Nihil re-
‘hus,’ inquit, ‘placeatne pax, triduum ad consultandum cusant
‘dabitur. Si placuerit, mecum indutias facite, Romam ad Poeni mo-
‘senatum mittite legatos.’ Ita dimissi Carthaginenses, ram quae-
nullas recusandas condiciones pacis quum censuissent, rentes.
(quippe qui moram temporis quaererent, dum Hannibal in
Africam traiceret) legatos alios ad Scipionem, ut indutias
facerent, alios Romam ad pacem petendam mittunt, du-
centes paucos in speciem captivos, perfugasque, et fugitivos,
quo impetrabilior pax esset.

Multis ante diebus Laelius, cum Syphace primoribusque 17.
Numidarum captivis, Romam venit, quaeque in Africa Laelius
gesta essent, omnia exposuit ordine Patribus, ingenti om- cum capti-
nium et in praesens laetitia, et in futurum spe. Consulti vis Romam
inde Patres regem in custodiam Albam mittendum cen- venit.
suerunt: Laelium retinendum, donec legati Carthagini-
enses venirent. Supplicatio in quadriduum decreta est.
P. Aelius praetor, senatu misso, et concione inde advocata,
cum C. Laelio in Rostra descendit. Ibi vero audientes,
fusus Carthaginensium exercitus, devictum et captum in-
gentis nominis regem, Numidiam omnem egregia victoria
peragratam, tacitum continere gaudium non poterant, quin
clamoribus, quibusque aliis multitudo solet, laetitiam im-
modicam significarent. Itaque praetor extemplo edixit,
‘Uti aeditui aedes sacras omnes tota urbe aperirent, cir-
‘cumeundi, salutandique deos, agendique grates per totum
‘diem populo potestas fieret.’ Postero die legatos Masi- Oratio le-
nissae in senatum introduxit. Gratulati primum senatui gatorum
sunt, ‘quod P. Scipio prospere res in Africa gessisset:’ Masinissae
deinde gratias egerunt, ‘quod Masinissam non appellasset in senatu.
‘modo regem, sed fecisset, restituendo in patrum
‘regnum: in quo post Syphacem sublatum, si ita Patribus
‘visum esset, sine metu et certamine esset regnaturus.’
Dein, ‘quod collaudatum pro concione amplissimis deco-
‘rasset donis: quibus ne indignus esset, et dedisse operam
‘Masinissam, et porro daturum esse. Petere, ut regium
‘nomen ceteraque Scipionis beneficia et munera senatus
‘decreto confirmaret: et, nisi molestum esset, illud quoque
‘petere Masinissam, ut Numidas captivos, qui Romae in
‘custodia essent, remitterent. Id sibi amplum apud po-

U. C. 549. 'pulares futurum esse.' Ad ea responsum legatis: 'Rerum
A. C. 203. 'gestarum in Africa prospere communem sibi cum rege
'gratulationem esse. Scipionem recte atque ordine videri
'fecisse, quod eum regem appellaverit: et, quicquid aliud
'fecerit, quod cordi foret Masinissae, ea Patres comprobare
'atque laudare.' Munera, quae legati ferrent regi, decre-
verunt: sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis, et
lato clavo tunicis: et equos duo phaleratos: bina equestria
arma cum loriceis: et tabernacula, militaremque supellec-
tilem, qualem praebere consuli mos esset. Haec regi
praetor mittere iussus. Legatis in singulos dona ne minus
quinum millium, comitibus eorum millium aeris: et vesti-
menta bina legatis, singula comitibus Numidisque, qui ex
custodia emissi redderentur regi. Ad hoc aedes liberae, et
loca, lautia legatis decreta.

18.

Proelium
cum Ma-
gone.

Eadem aestate, qua haec decreta Romae, et in Africa
gesta sunt, P. Quinctilius Varus praetor et M. Cornelius
proconsul in agro Insubrium Gallorum cum Magone Poeno
signis collatis pugnarunt. Praetoris legiones in prima acie
fuerunt: Cornelius suas in subsidiis tenuit, ipse ad prima
signa equo advectus: proque duobus cornibus praetor ac
proconsul milites ad inferenda in hostes signa summa vi
hortabantur. Postquam nihil commovebant, tum Cornelio
Quinctilius: 'Lentior, ut vides, fit pugna: et induratus
'praeter spem resistendo hostium timor: ac, ne vertat in
'audaciam, periculum est. Equestrem procellam excite-
'mus, oportet, si turbare ac statu movere volumus. Itaque
'vel tu ad prima signa proelium sustine, ego inducam in
'pugnam equites: vel ego hic in prima acie rem geram, tu
'quattuor legionum equites in hostem emitte.' Utram
vellet praetor, muneris partem proconsule accipiente,
Quinctilius praetor cum filio, cui Marco praenomen erat,
impigro iuvene, ad equites pergit: iussosque escendere in
equos repente in hostem emittit. Tumultum equestrem
auxit clamor ab legionibus additus: nec stetisset hostium

9 *Et, quicquid aliud fecerit, . . .*
ea] Pro *ea* ratio grammatica postu-
laret *id*, sed alibi quoque a consuetis
grammaticae legibus in hac re noster
recedit. cf. infr. xxxiii. 24. *quaecun-*
que senatus censuisset, id regem fac-
turum esse.

1 *Aedes liberae, loca]* *Aedes li-*
berae sc. vacuae et proinde hospitibus
excipiendis patentes. supr. xxiv. 7.
Ceterum, quid sint *loca*, quae praeter
liberas aedes decernuntur legatis, haud
facile statuere possumus. Tamen in-

telligendum esse aliquid quod ad ha-
bitationem pertineat, colligere vide-
mur ex eo, quod infr. xxxiii. 24. legati
Macedones dicuntur *ducti extra*
urbem in villam publicam, ibique iis
locus et lautia praebita. *Lautia* sunt
munera hospitalia, supr. xxviii. 39.
CREV.

2 *Hostium timor]* Hostium timor
praeter opinionem factus est resi-
stendo durior, h. e. hostes contra ti-
morem resistendo se obfirmarunt.
DOER.

acies, ni Mago, ad primum equitum motum, paratos ele- U. C. 549.
 3 phantos extemplo in proelium induxisset. Ad quorum A. C. 203.
 stridorem odoremque et aspectum terriți equi vanum
 equestre auxilium fecerunt: et ut permixtus, ubi cuspide
 uti et cominus gladio posset, roboris maioris Romanus
 eques erat; ita in ablatum paventibus procul equis melius
 ex intervallo Numidae iaculabantur. Simul et peditum
 legio duodecima, magna ex parte caesa, pudore magis,
 quam viribus, tenebat locum. Nec diutius tenuisset, ni ex
 subsidiis tertia decima legio, in primam aciem inducta,
 proelium dubium excepisset. Mago quoque ex subsidiis
 Gallos integrae legionis opposuit. Quibus laud magno
 certamine fuis, hastati legionis undecimae conglobant sese,
 atque elephantos iam peditum aciem turbantes invadunt.
 In quos quum pila confertos coniecissent, nullo ferme
 frustra emissis, omnes retro in aciem suorum averterunt:
 quattuor gravati vulneribus corruerunt. Tum prima com-
 4 mota hostium acies, simul omnibus peditibus, ut aversos
 videre elephantos, ad augendum pavorem ac tumultum
 effusis. Sed, donec stetit ante signa Mago, gradum sensim
 referentes ordines, tenorem pugnae servabant; postquam
 femine transfixo cadentem, auferrique ex proelio prope ex-
 sanguinem videre, extemplo in fugam omnes versi. Ad
 quinque millia hostium eo die caesa, et signa militaria duo
 et viginti capta. Nec Romanis incruenta victoria fuit:
 5 duo millia et trecenti de exercitu praetoris, pars multo
 maxima ex legione duodecima, amissi. Inde et tribuni
 militum duo, M. Cosconius, et M. Maenius: tertiae
 decimae quoque legionis, quae postremo proelio affu-
 erat, Cn. Helvius tribunus militum in restituenda pugna
 cecidit, et duo et viginti ferme equites illustres, obtriti
 ab elephantis, cum centurionibus aliquot perierunt: et
 longius certamen fuisset, ni vulnere ducis concessa victoria
 esset.

Vincunt
Romani.

Mago, proximae noctis silentio profectus, quantum pati 19.
 6 viae per vulnus poterat, itineribus extentis, ad mare in
 Ligures Ingaunos pervenit. Ibi cum legati ab Carthagine,
 paucis ante diebus in sinum Gallicum appulsis navibus,
 adierunt, iubentes, primo quoque tempore in Africam
 traicere. 'Idem et fratrem eius Hannibalem (nam ad eum
 quoque isse legatos eadem iubentes) facturum. Non in eo

Mago ius-
sus in Afri-
cam redire.

3 *Ad quorum stridorem*] *Stridor*
elephantorum infr. xlv. 5. quoque
memoratur.

4 *Simul omnibus peditibus*] sc.
Romanis. GRONOV.

5 *Inde*] sc. Ex ea legione. DOER.

6 *Itineribus extentis*] Quum iti-
nera extendisset, quum singulis diebus
multum itineris confecisset, quantum
tamen viae eum pati sinebat vulnus.
CREV.

U. C. 549. 'esse Carthaginensium res, ut Galliam atque Italiam armis
 A. C. 203. 'obtineant.' Mago, non imperio modo senatus periculoque
 patriae motus, sed metuens etiam, ne victor hostis moranti
 instaret, Liguresque ipsi, relinqui Italiam a Poenis cer-
 nentes, ad eos, quorum mox in potestate futuri essent,
 In naviga-
 tione mori-
 tur. deficerent, simul sperans leniorem in navigatione, quam in
 via, iactationem vulneris fore, et curationi omnia commo-
 diora, impositis copiis in naves profectus, vixdum superata
 Sardinia, ex vulnere moritur: naves quoque aliquot Poe-
 norum disiectae in alto a classe Romana, quae circa Sardi-
 niam erat, capiuntur. Haec terra marique in parte Italiae,
 quae iacet ad Alpes, gesta.

Consul C. Servilius, nulla memorabili re in provincia
 Etruria et Gallia (quoniam eo quoque processerat) gesta,
 patre C. Servilio et C. Lutatio ex servitute post sextum
 decimum annum receptis, qui ad vicum Tanetum a Boiis 7
 capti fuerant, hinc patre, hinc Catulo lateri circumdatis,
 privato magis, quam publico decore insignis, Romam rediit.
 Latum ad populum est, 'ne C. Servilio fraudi esset, quod
 'patre, qui sella curuli sedisset, vivo, quum id ignoraret,
 'tribunus plebis atque aedilis plebis fuisset, contra quam
 'sanctum legibus erat.' Haec rogatione perlata, in pro-
 vinciam rediit.

Ad Cn. Servilium consulem, qui in Brutiis erat, Con-8
 sentia, Uffugum, Vergae, Besidiae, Hetriculum, Syphcum,
 Argentanum, Clampetia, multique alii ignobiles populi,
 senescere Punicum bellum cernentes, defecere. Idem
 consul cum Hannibale in agro Crotoniensi acie conflixit.
 Obscura eius pugnae fama est. Valerius Antias quinque
 millia hostium caesa ait. Quae tanta res est, ut aut impu-
 denter ficta sit, aut negligenter praetermissa. Nihil certe
 ultra rei in Italia ab Hannibale gestum. Nam ad eum
 quoque legati ab Carthagine, vocantes in Africam, iis forte
 diebus, quibus ad Magonem, venerunt. Frendens gemens-
 que, ac vix lacrimis temperans, dicitur legatorum verba
 audisse. Postquam edita sunt mandata, 'Iam non per-
 'plexe,' inquit, 'sed palam revocant, qui, vetando supple-
 'mentum et pecuniam mitti, iam pridem retrahebant.
 'Vicit ergo Hannibalem non populus Romanus toties
 'caesus fugatusque, sed senatus Carthaginensis obtrec-
 'tatione atque invidia. Neque hac deformitate reditus
 'mei tam P. Scipio exsultabit atque efferet sese, quam
 'Hanno, qui domum nostram, quando alia re non potuit,

7 Qui ad vicum Tanetum] Rem
 narravit Livius supr. xxi. 25.

8 Ad Cn. Servilium . . . Consentia
 . . . Clampetia . . . defecere] Tamen

Clampetiam superiore anno a P. Sem-
 pronio consule vi captam, Consentiam
 voluntate in deditionem venisse scrip-
 sit Livius supr. xxix. 38. CREV.

‘ruina Carthaginiis oppressit.’ Iam hoc ipsum praesagians U. C. 549.
 animo, praeparaverat ante naves. Itaque, inutili militum A. C. 203.
 turba praesidii specie in oppida Bruttii agri, quae pauca
 magis metu, quam fide, continebantur, dimissa, quod ro-
 boris in exercitu erat, in Africam transvexit: multis Italici
 generis, quia in Africam secenturos abnuentes concesserant
 in Iunonis Lacinae delubrum, inviolatum ad eam diem, in
 templo ipso foede interfectis. Raro quemquam alium, pa-
 9 triam exsilii causa relinquentem, magis maestum abisse
 ferunt, quam Hannibalem hostium terra excedentem:
 respexisse saepe Italiae litora, et deos hominesque accu-
 santem, in se quoque ac suum ipsius caput exsecratum,
 ‘quod non eruentum ab Cannensi victoria militem Romam
 ‘duxisset. Scipionem ire ad Carthaginem ausum, qui
 ‘consul hostem in Italia Poenum non vidisset: se, centum
 ‘millibus armatorum ad Trasimenum et Cannas caesis,
 ‘circa Casilinum Cumasque et Nolam consenuisse.’ Haec
 accusans querensque, ex diutina possessione Italiae est
 detractus.

Romam per eosdem dies, et Magonem et Hannibalem 21.
 profectos, allatum est. Cuius duplicis gratulationis minuit
 laetitiam, et quod parum duces in retinendis iis, quum id
 mandatum ab senatu esset, aut animi, aut virium habuisse
 videbantur; et quod solliciti erant, omni belli mole in
 unum ducem exercitumque inclinata, quo evasura esset
 res. Per eosdem dies legati Saguntini venerunt, compre-
 hensos cum pecunia adducentes Carthaginienses, qui ad
 conducenda auxilia in Hispaniam traieciissent. Ducentum
 et quinquaginta auri, octingentum pondo argenti in vesti-
 bulo curiae posuerunt. Hominibus acceptis et in carcerem
 conditis, auro argentoque reddito, gratiae legatis actae:
 atque insuper munera data ac naves, quibus in Hispaniam
 reverterentur. Mentio deinde ab senioribus facta est,
 ‘Segnius homines bona, quam mala, sentire. Transitu in
 ‘Italiam Hannibalis, quantum terroris pavorisque, sese
 ‘meminisse, quas deinde clades, quos luctus incidisse?
 ‘Visa castra hostium e muris urbis: quae vota singulorum
 ‘universorumque fuisse? quoties in conciliis voces, manus
 1 ‘ad coelum porrigentium auditas: En unquam ille dies
 ‘futurus esset, quo vacuum hostibus Italiam bona pace flo-
 ‘rentem visuri essent? Dedisse tandem id deos sexto
 ‘decimo demum anno: nec esse, qui diis grates agendas

9 *Magis maestum*] Nullo in scri-
 pto, neque Gronovio, neque nobis oc-
 currit *τὸ magis*. Plerique hanc vocem
 totam abolent: quidam eius loco ha-
 bent *tam*. Alterutra ex his particulis

necessaria hic nobis videtur. CREV.
Tam reposuit Bekker.
 1 *En unquam*] Nunquamne?
 cf. supr. xxiv. 14.

U. C. 549. 'censeant. Adeo ne advenientem quidem gratiam ho-
 A. C. 203. 'mines benigne accipere, nedum ut praeteritae satis me-
 Supplicatio Romae decreta ob
 discissum Hannibalis.
 'mores sint.' Conclamatum deinde ex omni parte curiae
 est, uti referret P. Aelius praetor: decretumque, ut quinque
 dies circa omnia pulvinaria supplicaretur, victimaeque ma-
 iores immolarentur centum viginti.

Iam dimisso Laelio legatisque Masinissae, quum Cartha-
 giniensium legatos de pace ad senatum venientes Puteolis
 visos, inde terra venturos allatum esset; revocari C. Lae-
 lium placuit, ut coram eo de pace ageretur. Q. Fulvius
 Gillo, legatus Scipionis, Carthaginienses Romam adduxit:
 quibus, vetitis ingredi urbem, hospitium in villa publica,
 senatus ad aedem Bellonae datus est. Orationem eandem
 ferme, quam apud Scipionem, habuerunt; culpam omnem
 belli a publico consilio in Hannibalem vertentes. 'Eum
 'iniussu senatus non Alpes modo, sed Iberum quoque,
 'transgressum: nec Romanis solum, sed ante etiam Sa-
 'guntinis, privato consilio bellum intulisse. Senatui ac
 'populo Carthaginensi, si quis vere aestimet, foedus ad
 'eam diem inviolatum esse cum Romanis. Itaque nihil
 'aliud sibi mandatum esse, uti peterent, quam ut in ea
 'pace, quae postremo cum consule Lutatio facta esset,
 'manere liceret.' Quum, more tradito, Patribus potesta-
 tem interrogandi, si quis quid vellet, legatos, praetor fecis-
 set; senioresque, qui foederibus interfuerant, alia alii in-
 terrogarent, nec meminisse per aetatem (etenim omnes
 ferme iuvenes erant) dicerent legati; conclamatum ex
 omni parte curiae est, 'Punica fraude electos, qui veterem
 'pacem repeterent, cuius ipsi non meminissent.' Emotis
 deinde curia legatis, sententiae interrogari coeptae. M.
 Livius 'C. Servilium consulem, qui propior esset, arces-
 sendum, ut coram eo de pace ageretur,' censebat. 'Quum
 'de re maiore, quam quanta ea esset, consultatio incidere
 'non posset, non videri sibi, absente consulum altero, ani-
 'bobusve, eam rem agi, satis ex dignitate populi Romani
 'esse.' Q. Metellus, qui triennio ante consul dictatorque
 fuerat, 'Quum P. Scipio, caedendo exercitus, agros popu-
 'lando, in eam necessitatem compulisset hostes, ut sup-

2 *Benigne*] Benigna in auctores
 beneficii et grata mente. CREV.

3 *Iam dimisso Laelio . . . quum
 Carthaginensium legatos*] Tamen
 supr. 17. memoratum est censuisse
 Patres *retinendum Laelium, donec
 legati Carthaginenses venirent*. Sed
 fortasse, Hannibale profecto ex Italia,
 nullos iam crediderant venturos a
 Carthaginensibus legatos. CREV.

4 *Ad aedem Bellonae*] Ut solebat

legatis hostium. cf. infr. xxxiii. 24.
 Hinc quoque colligunt quidam, aedem
 Bellonae villae publicae vicinam fu-
 isse. DUKER.

5 *More tradito*] Eius moris exem-
 pla exstant supr. viii. 21. infr. xxxvii.
 1. RASCHIG.

6 *C. Servilium*] Intelligendum
 esse Caium Servilium Geminum, qui
 Etruriam sortitus erat supr. 1, ani-
 madvertit Drakenb.

22.
 Legati
 Carthagi-
 nienses de
 pace.

23.

‘plices pacem peterent; et nemo omnium verius existi-
 ‘mare posset, qua mente ea pax peteretur, quam is, qui
 ‘ante portas Carthagini bellum gereret; nullius alterius
 ‘consilio, quam Scipionis, accipiendam abnuendamve pa-
 7 ‘cem esse.’ M. Valerius Laevinus, qui bis consul fuerat,
 ‘Speculatores, non legatos, venisse,’ arguebat: ‘iubendos-
 ‘que Italia excedere, et custodes cum iis usque ad naves
 ‘mittendos; Scipionique scribendum, ne bellum remit-
 ‘teret.’ Laelius Fulviusque adiecerunt: ‘Et Scipionem
 ‘in eo positam habuisse spem pacis, si Hannibal et Mago
 ‘ex Italia non revocarentur. Omnia simulaturos Cartha-
 ‘ginienses, duces eos exercitusque exspectantes: deinde,
 ‘quamvis recentium foederum et deorum omnium oblitos,
 ‘bellum gesturos.’ Eo magis in Laevini sententiam dis-
 cessum. Legati pace infecta, ac prope sine responso,
 dimissi.

Re infecta
dimissi.

8 Per eos dies Cn. Servilius consul, haud dubius, quin 24.

9 pacatae Italiae penes se gloria esset, velut pulsum ab se
 Hannibalem persequens, in Siciliam, inde in Africam
 transiturus, traiecit. Quod ubi Romae vulgatum est,
 primo censuerunt Patres, ut praetor scriberet consuli, se-
 natum acquum censere, in Italiam reverti eum: deinde,
 quum praetor, spreturum eum literas suas, diceret, dictator
 ad id ipsum creatus P. Sulpicius, pro iure maioris imperii,
 consulem in Italiam revocavit: reliquum anni, cum M. Ser-
 vilio magistro equitum, circumeundis Italiae urbibus, quae
 1 bello alienatae fuerant, noscendisque singularum causis
 consumpsit.

Cn. Servi-
lius ex Si-
cilia revo-
catur.

Per indutiarum tempus et ex Sardinia ab Lentulo praec-
 tore centum onerariae naves, cum commeatu et viginti
 rostratarum praesidio, et ab hoste, et ab tempestatibus mari
 tuto, in Africam transmiserunt. Cn. Octavio ducentis
 onerariis, triginta longis navibus ex Sicilia traiecienti, non
 eadem fortuna fuit. In conspectum ferme Africae prospero
 2 cursu vectum primo destituit ventus; deinde versus in
 Africum turbavit, ac passim naves disiecit. Ipse cum
 rostratis, per adversos fluctus ingenti remigum labore
 enisus, Apollinis promontorium tenuit: onerariae, pars

Commea-
tus ex Sar-
dinia in
Africam.
Ex Sicilia.

Classis dis-
iecta vento.

7 M. Valerius Laevinus] cf. Supr.
xxix. 11.

8 Cn. Servilius consul] Cui pro-
vincia Bruttii evenerant.

9 Haud dubius, quin] Sibi haud
dubie tribuens pacatae Italiae glo-
riam, quae tamen tota Scipionis erat,
et persequens Hannibalem, tanquam
ille a se pulsus esset. CREV.

1 Noscendisque singularum cau-
sis] Inquirendoque, quam in causa
singulae essent, quae magis, quae
minus nocentes, quae omnino innoxiae
haberi possent. CREV.

2 Versus in Africum] Africus
Romanis ab Africa flabat, ideoque
navigantibus ex Sicilia adversus erat;
inde paullo post *adversi fluctus*, Ras,

U. C. 549. maxima ad Aegimurum (insula ea sinum ab alto claudit, in
 A. C. 203. quo sita Carthago est, triginta ferme millia ab urbe) aliae
 adversus urbem ipsam ad Calidas Aquas delatae sunt.
 Omnia in conspectu Carthaginis erant. Itaque ex tota
 urbe in forum concursum est. Magistratus senatum vocare,
 populus in curiae vestibulo fremere, ne tanta ex oculis
 manibusque amitteretur praeda. Quum quidam pacis
 petitae, alii indutiarum (necdum enim dies exierat) fidem
 opponerent, permixto paene senatus populique concilio,
 Naves onerariae a Carthaginiensibus captae. consensus est, ut classe quinquaginta navium Hasdrubal
 Aegimurum traiceret: inde per litora portusque dispersas
 Romanas naves colligeret. Desertae fuga nautarum, pri-
 mum ab Aegimuro, dein ab Aquis onerariae Carthaginem
 puppibus tractae sunt.

25.

Legati
 Rom. a
 Carthagi-
 niensibus
 prope vio-
 lati.

Nondum reverterant ab Roma legati, neque sciebatur,
 quae senatus Romani de bello aut pace sententia esset;
 necdum indutiarum dies exierat. Eo indigniorem iniuriam
 ratus Scipio, ab iis, qui petissent pacem et indutias, et
 spem pacis et fidem indutiarum violatam esse, legatos Car-
 thaginem, L. Baebium, L. Sergium, L. Fabium extemplo
 misit. Qui, quum multitudinis concursu prope violati
 essent, nec reditum tutiorem cernerent futurum, petierunt
 a magistratibus, quorum auxilio vis prohibita erat, ut naves
 mitterent, quae se prosequerentur. Datae triremes duae,
 quum ad Bagradam flumen pervenissent, unde castra Ro-
 mana conspiciiebantur, Carthaginem rediere. Classis Punica
 ad Uticam stationem habebat. Ex ea tres quadriremes, seu
 clam misso a Carthagine nuntio, uti fieret, seu Hasdrubale,
 qui classi praeerat, sine publica fraude auso facinus, quin-
 queremem Romanam superantem promontorium ex alto ³
 repente aggressae sunt. Sed neque rostro ferire celeritate
 subterlabentem poterant, neque transilire armati ex hu-
 milioribus in altiorem navem: et defendebatur egregie,
 quoad tela suppeditarunt. Quis deficientibus, quum iam
 nulla alia res eam, quam propinquitas terrae, multitudoque
 a castris in litus effusa, tueri potuisset; concitatum rennis,
 quanto maximo impetu poterant, in terram quum immi-
 sissent, navis tantum iactura facta, incolumes ipsi evaserunt.
 Ita alio super aliud scelere quum haud dubie indutiae
 ruptae essent, Laelius Fulviusque ab Roma cum legatis
 Carthaginiensibus supervenerunt. Quibus Scipio, 'Etsi ⁴
 'non indutiarum modo fides a Carthaginiensibus, sed ius
 'etiam gentium in legatis violatum esset; tamen se nihil,

³ *Superantem promontorium*] In-
 telligendum est, ut constat ex Appi-
 ano, Apollinis promontorium. SIGON.

⁴ *Quibus Scipio*] Legesis Diodor.
 Excerpt. Vat. xxvi. 5. Polyb. xv. 2.
 et 4. Appian. Pun. xxxv.

‘nec institutis populi Romani, nec suis moribus indignum, U. C. 549.
 ‘in iis facturum esse,’ quum dixisset, legatis dimissis, bellum A. C. 203.
 5 parabat. Hannibali iam terrae appropinquanti iussus e
 nauticis unus escendere in malum, ut specularetur, quam
 tenerent regionem, quum dixisset, sepulcrum dirutum pro-
 ram spectare, abominatus, praetervehi iusso gubernatore, Leptim
 ad Leptim appulit classem, atque ibi copias exposuit. appellit
Hannibal.

Haec eo anno in Africa gesta. Insequentia excedunt in 26.
 eum annum, quo M. Servilius Geminus, qui tum magister
 equitum erat, et Ti. Claudius Nero consules facti sunt.
 Ceterum exitu superioris anni quum legati sociarum
 urbium ex Graecia questi essent, vastatos agros ab regiis
 praesidiis, profectosque in Macedoniam legatos ad res re-
 petendas non admissos ad Philippum regem: simul nun-
 tiassent, quattuor millia militum cum Sopatro duce traecta
 in Africam dici, ut essent Carthaginensibus praesidio, et
 pecuniae aliquantum una missum; legatos ad regem, qui Legati ad
 haec adversus foedus facta videri Patribus nuntiarent, mit- Philippum
 tendos censuit senatus. Missi C. Terentius Varro, C. Ma- missi a
 milius, M. Aurelius. Iis tres quinquereemes datae. Rom.

Annus insignis incendio ingenti, quo clivus Publicius
 ad solum exustus est, et aquarum magnitudine. Sed an-
 nonae vilitas fuit, praeterquam quod pace omnis Italia erat
 aperta, etiam quod magnam vim frumenti, ex Hispania
 missam, M. Valerius Falto et M. Fabius Buteo aediles
 6 curules quaternis aeris vicatim populo descripserunt.

7 Eodem anno Q. Fabius Maximus moritur, exactae acta- Q. Fabii
 tis; siquidem verum est, augurem duos et sexaginta annos Max. mors
 fuisse, quod quidam auctores sunt. Vir certe fuit dignus et laudes.
 8 tanto cognomine, vel si novum ab eo inciperet. Superavit
 9 paternos honores, avitos acquavit. Pluribus victoriis et
 maioribus procliis avus insignis Rullus; sed omnia aequare
 unus hostis Hannibal potest. Cautior tamen, quam prom-
 ptior, hic habitus fuit: et, sicut dubites, utrum ingenio
 cunctator fuerit, an quia ita bello proprie, quod tum gere-

5 *Iussus e nauticis unus]* sc. Quum
 unus e nauticis, sc. rei navalis peritis,
 iussus ab Hannibale . . . dixisset,
 Hannibal abominatus, sc. omen aver-
 satus, etc.

6 *Quaternis aeris]* Quaternis assi-
 bus in modios. Sic enim infr. xxxi.
 50. dicuntur aediles magnam vim
 frumenti *binis aeris in modios populo*
 divisisse. cf. supr. iv. 16. *assibus in*
modios aestimatum.

7 *Vicatim populo descripserunt]*
 Distribuerunt populo, certum assign-
 ando frumenti modum in singulos
 vicos, pro ratione et numero incolen-

tium. CREV.

8 *Vel si novum ab eo inciperet]*
 Cognomen *Maximi* avus eius Rullus
 sibi pepererat, memorante Livio supr.
 ix. 46. idque posteris haereditarium
 reliquerat. CREV.

9 *Superavit paternos honores, avi-
 tos acquavit]* Honoribus magistra-
 tum superavit patrem: avum aequa-
 vit. Nempe Q. Fabius Gurges, quem
 Livius existimavit patrem huiusce
 Fabii, ter tantum consul fuit: Rullus
 quinquies, ut et hic sive nepos, sive
 pronepos. CREV.

U. C. 549. batur, aptum erat: sic nihil certius est, quam unum ho-
 A. C. 203. minem nobis cunctando rem restituisse, sicut Ennius ait.
 Augur in locum eius inauguratus Q. Fabius Maximus,
 filius: in eiusdem locum pontifex (nam duo sacerdotia
 habuit) Ser. Sulpicius Galba.

Ludi Romani diem unum, plebeii ter toti instaurati ab
 aedilibus, M. Sextio Sabino et Cn. Tremellio Flacco. Ii
 ambo praetores facti, et cum iis C. Livius Salinator et C.
 Aurelius Cotta. Comititia eius anni utrum C. Servilius
 consul habuerit, an, quia cum res in Etruria tenuerint,
 quaestiones ex senatusconsulto de coniurationibus prin-
 cipum habentem, dictator ab eo dictus P. Sulpicius, incer-
 tum ut sit, diversi auctores faciunt.

27. Principio insequentis anni, M. Servilius et Ti. Claudius,

U. C. 550. senatu in Capitolium vocato, de provinciis retulerunt.
 A. C. 202. Italiam atque Africam in sortem coniici, Africam ambo
 M. Servilio,
 Ti. Claudio cupientes, volebant. Ceterum, Q. Metello maxime anni-
 Coss. tente, neque data, neque negata est Africa. Consules
 iussi cum tribunis plebis agere, ut, si iis videretur, populum
 rogarent, quem vellet in Africa bellum gerere. Omnes
 tribus P. Scipionem iusserunt. Nihilo minus consules pro-
 vinciam Africanam (ita enim senatus decreverat) in sortem
 coniecerunt. Ti. Claudio Africa evenit, ut quinquaginta
 navium classem, omnes quinquereemes, in Africam traice-
 ret, parique imperio cum Scipione imperator esset. M. 3
 Servilius Etruriam sortitus. In eadem provincia et C. Ser-
 vilio prorogatum imperium, si consulem manere ad urbem
 senatui placuisset. Praetores, M. Sextius Galliam est sor-
 titus, ut duas legiones provinciamque traderet ei P. Quinc-
 tilius Varus; C. Livius Bruttios cum duabus legionibus,
 quibus P. Sempronius proconsul priore anno praefuerat;
 Cn. Tremellius Siciliam, ut ab P. Villio Tappulo praetore
 prioris anni provinciam et duas legiones acciperet; Villius
 propractor viginti navibus longis, militibus mille, oram
 Siciliae tutaretur: inde M. Pomponius viginti navibus
 reliquis mille et quingentos milites Romam deportaret.
 C. Aurelio Cottae urbana evenit. Ceteris, ita uti quisque
 obtinebant provincias exercitusque, prorogata imperia.
 Sexdecim non amplius eo anno legionibus defensum im-
 perium est. Et ut placatis diis omnia inciperent agerent-

Legiones
 16.

1 *Principum habentem*] *Habendae*
 auctore Gronovio reposuit Bekker.

2 *Provinciam Africanam (ita enim*
senatus decreverat)] Nimirum intel-
 ligendum est senatum, instantibus
 etiam post iudicium populi consuli-
 bus, hoc temperamento uti tandem
 coactum esse, ut classis certe in Afri-

cam traicienda, et par cum Scipione
 imperium alterutri e consulibus de-
 cerneretur. CREV.

3 *Parique imperio cum Scipione*
imperator esset] Vox *imperator* om-
 nino otiosa videtur, ac proinde able-
 ganda. CREV.

4 que, ludos, quos, M. Claudio Marcello, T. Quinctio con- U. C. 550.
sulibus, T. Manlius dictator, quasque hostias maiores A. C. 202.
voverat, si per quinquennium illud respublica eodem statu
5 fuisset, ut eos ludos consules, priusquam ad bellum pro-
ficiscerentur, facerent. Ludi in circo per quadriduum
facti: hostiaeque, quibus votae erant diis, caesae.

Inter haec simul spes, simul cura in dies crescebat: nec 28.
satis certum constare apud animum poterat, utrum gaudio
dignum esset, Hannibalem, post sextum decimum annum
ex Italia decedentem, vacuum possessionem eius reliquisse
populo Romano, an magis metuendum, quod incolumi ex-
ercitu in Africam transisset. ‘Locum nimirum, non peri-
culum, mutatum; cuius tantae dimicationis vatem, qui
‘nuper decessisset, Q. Fabium haud frustra canere solitum,
‘graviores in sua terra futurum hostem Hannibalem, quam
‘in aliena fuisset. Nec Scipioni aut cum Syphace, incon-
6 ditae barbariae rege, cui Statorius semilix ducere exer-
citus solitus sit, aut cum socero eius Hasdrubale, fugacis-
simo duce, rem futuram, aut tumultuariis exercitibus, ex
‘agrestium semiermi turba subito collectis; sed cum Han-
‘nibale, prope nato in praetorio patris, fortissimi ducis,
‘alito atque educato inter arma, puero quondam milite,
7 vixdum iuvene imperatore: qui senex vincendo factus,
‘Hispanias, Gallias, Italiam ab Alpibus ad fretum monu-
8 mentis ingentium rerum complexisset. Ducere exercitum
‘aequalem stipendiis suis, duratum omnium rerum pati-
‘entia, quas vix fides fiat homines passos; perfusum milles
‘erore Romano; exuvias non militum tantum, sed etiam
‘imperatorum, portantem. Multos occursuros Scipioni in
‘acie, qui praetores, qui imperatores, qui consules Roma-
‘nos sua manu occidissent, muralibus vallaribusque in-
‘signes coronis, pervagatos capta castra, captas urbes Ro-
‘manas. Non esse hodie tot fascēs magistratibus populi
‘Romani, quot captos ex caede imperatorum praeferre pos-
‘set Hannibal.’ Has formidines agitando animis, ipsi curas
et metus angebant etiam, quod, quum assuissent per ali-
quot annos bellum ante oculos aliis atque aliis in Italiae

4 *Ludos, quos . . . T. Manlius dic-
tator*] Hos ludos iussi fuerant facere
consules superioris anni, quo reipsa
quinquennium a Manlio definitum
claudabatur. Necesse est igitur ali-
qua intervenerit mora, quae eos in
hunc annum reicere coegerit. CREV.

5 *Ut eos ludos*] Ante haec verba
supple decretum fuit.

6 *Cui Statorius semilix*] De hoc
Statorio cf. supr. xxiv. 48.

7 *Qui senex vincendo factus*] Ora-
VOL. II.

torie fortasse dictum ad rem augen-
dam. Nisi potius dicendum est Li-
vium hic ex more Romanorum loqui,
apud quos initium senectutis ab anno
aetatis sexto et quadragesimo peteba-
tur. Id autem aetatis tunc erat Han-
nibal. Ipse infr. 37. de se ait, *Novem
annorum a vobis profectus, post tri-
gesimum sextum annum redii*. CREV.

8 *Ducere exercitum*] *Duceret* ex
emendatione Gronovii reposuit Bek-
ker.

U. C. 550. partibus lenta spe, in nullum propinquum debellandi finem
 A. C. 202. gerere, erexerant omnium animos Scipio et Hannibal, velut ad supremum certamen comparati duces. Ii quoque, quibus ingens erat in Scipione fiducia et victoriae spes, quo magis in propinquam eam imminebant animis, eo curae intentioris erant. Haud dispar habitus animorum Carthaginensibus erat: quos modo petisse pacem, intuentes Hannibalem ac rerum gestarum eius magnitudinem, poenitebat: modo, quum respicerent, bis sese acie victos, Syphacem captum, pulsos se Hispania, pulsos Italia, atque ea omnia unius virtute et consilio Scipionis facta, velut fatalem eum ducem in exitium suum natum horrebant.

29. Iam Adrumetum venerat Hannibal: unde, ad reficiendum ex iactatione maritima militem paucis diebus sumptis, excitus pavidis nuntiis, omnia circa Carthaginem obtineri armis, afferentium, magnis itineribus Zamam contendit.

Speculatores Hannibalis a Scipione dimissi.

Zama quinque dierum iter ab Carthagine abest. Inde praemissi speculatores quum excepti a custodibus Romanis deducti ad Scipionem essent, traditos eos tribunis militum, iussosque omisso metu visere omnia, per castra, qua vellet, circumduci iussit: percunctatusque, satini per commodum omnia explorassent, datis, qui prosequerentur, retro ad Hannibalem dimisit. Hannibal nihil quidem eorum, quae nuntiabantur, (nam et, Masinissam cum sex millibus peditum, quattuor equitum venisse eo ipso forte die, afferebant) laeto animo audiit, maxime hostis fiducia, quae non de nihilo profecto concepta esset, percussus. Itaque, quamquam et ipse causa belli erat, et adventu suo turbaverat et pactas indutias, et spem foederum; tamen, si integer, quam si victus, peteret pacem, aequiora impetrari posse ratus, nuntium ad Scipionem misit, ut colloquendi secum potestatem faceret. Id utrum sua sponte fecerit, an publico consilio, neutrum cur affirmem, habeo. Valerius Antias, primo proelio victum eum a Scipione, quo duodecim millia armatorum in acie sint caesa, mille et septingenti capti, legatum cum aliis decem legatis tradit in castra ad Scipionem venisse. Ceterum Scipio quum colloquium haud abnuisset, ambo ex composito duces castra protulerunt, ut coire ex propinquo possent. Scipio haud procul Naraggara urbe, tum ad cetera loco opportuno, tum quod aquatio intra teli coniectum erat, consedit. Hannibal tumultum a quattuor millibus inde, tutum commodumque alioquin, nisi quod longinquae aquationis erat, cepit. Ibi in medio lo-

Colloquium ducum de pace.

9 Quo magis] Quo avidiore et spe et voto eam propinquantem iam expectabant et optabant. CREV.

1 Tum quod aquatio] Aqua pete-

batur e flumine vel rivo proprio castris, quam quantus est teli coniectus. CREV.

ens conspectus undique, ne quid insidiarum esset, delectus. U. C. 550.
 Summotis pari spatio armatis, cum singulis interpretibus A. C. 202.
 congressi sunt, non suae modo aetatis maximi duces, sed 30.

omnis ante se memoriae, omnium gentium cuilibet regum
 imperatorumve pares. Paullisper alter alterius conspectu,
 admiratione mutua prope attoniti conticuere. Tum Han- Hannibal
 nibal prior, ‘ Si hoc ita fato datum erat, ut, qui primus bel- oratio.
 ‘ lum intuli populo Romano, quique toties prope in mani-
 ‘ bus victoriam habui, is ultro ad pacem petendam venirem;
 ‘ lactor te mihi sorte potissimum datum, a quo peterem.
 ‘ Tibi quoque inter multa egregia non in ultimis laudum
 ‘ hoc fuerit, Hannibalem, cui tot de Romanis ducibus victo-
 ‘ riam dii dedissent, tibi cessisse; teque huic bello, vestris
 ‘ prius, quam nostris, cladibus insigni, finem imposuisse.
 2 ‘ Hoc quoque ludibrium casus ediderit fortuna, ut, quum
 ‘ patre tuo consule ceperim arma, cum eodem primum Ro-
 ‘ mano imperatore signa contulerim; ad filium eius inermis
 ‘ ad pacem petendam veniam. Optimum quidem fuerat,
 ‘ eam patribus nostris mentem datam ab diis esse, ut et vos
 3 ‘ Italiae, et nos Africae imperio contenti essemus: neque
 ‘ enim ne vobis quidem Sicilia ac Sardinia satis digna pre-
 ‘ tia sunt pro tot classibus, tot exercitibus, tot tam egregiis
 ‘ amissis ducibus. Sed praeterita magis reprehendi pos-
 ‘ sunt, quam corrigi. Ita aliena appetivimus, ut de nostris
 ‘ dimicaremus, nec in Italia solum vobis bellum, nobis in
 ‘ Africa esset: sed et vos in portis vestris prope ac moeni-
 ‘ bus signa armaque hostium vidistis, et nos ab Carthagine
 ‘ fremitum castrorum Romanorum exaudimus. Quod igi-
 ‘ tur nos maxime abominaremur, vos ante omnia optaretis,
 ‘ in meliore vestra fortuna de pace agitur: agimus ii, quo-
 ‘ rum et maxime interest pacem esse, et qui quodcunque
 ‘ egerimus, ratum civitates nostrae habiturae sint. Animo
 ‘ tantum nobis opus est non abhorrente a quietis consiliis.
 ‘ Quod ad me attinet, iam aetas senem in patriam rever-
 ‘ tentem, unde puer profectus sum, iam secundae, iam ad-
 ‘ versae res, ita erudierunt, ut rationem sequi, quam for-
 ‘ tunam, malim. Tuam et adolescentiam et perpetuam
 ‘ felicitatem, ferociora utraque, quam quietis opus est con-
 4 ‘ siliis, metuo. Non temere incerta casuum reputat, quem
 ‘ fortuna nunquam decepit. Quod ego fui ad Trasimenum,
 ‘ ad Cannas, id tu hodie es. Vixdum militari aetate im-
 ‘ perio accepto, omnia audacissime incipientem nusquam
 ‘ fefellit fortuna. Patris et patrui persecutus mortem, ab

2 *Hoc quoque ludibrium casus]*
 Hunc quoque ludicrum casum velut
 iocata fortuna edidisse videri queat.
 CREV.

3 *Neque enim ne vobis quidem]* cf.
 Supr. xxxix. 12. infr. xxxi. 38.

4 *Non temere]* Non facile, raro.

U. C. 550. 'calamitate vestrae domus decus insigne virtutis pietatisque
 A. C. 202. 'eximiae cepisti: amissas Hispanias recuperasti, quattuor
 'inde Punicis exercitibus pulsus: consul creatus, quum ce-
 'teris ad tutandam Italiam parum animi esset, transgressus
 'in Africam, duobus hic exercitibus caesis, binis eadem
 'hora captis simul incensisque castris, Syphace potentis-
 'simo rege capto, tot urbibus regni eius, tot nostri imperii
 'ereptis, me sextum decimum iam annum haerentem in
 'possessione Italiae detraxisti. Potest victoriam, inquam, 5
 'malle, quam pacem, animus. Novi spiritus magis magnos,
 'quam utiles: et mihi talis aliquando fortuna affulsit. Quod
 'si in secundis rebus bonam quoque mentem darent dii;
 'non ea solum, quae evenissent, sed etiam ea, quae evenire
 'possent, reputaremus. Ut omnium obliviscaris aliorum,
 'satis ego documentum in omnes casus sum. Quem modo, 6
 'castris inter Anienem atque urbem vestram positis, signa
 'inferentem ad moenia Romana; hic cernis, duobus for- 7
 'tissimis viris, fratribus clarissimis imperatoribus, orbatum,
 'ante moenia prope obsessae patriae, quibus terrui vestram
 'urbem, ea pro mea deprecantem. Maximae cuique for-
 'tunae minime credendum est. In bonis tuis rebus, nos-
 'tris dubiis, tibi ampla ac speciosa danti est pax: nobis
 'petentibus magis necessaria, quam honesta. Melior tuti-
 'orque est certa pax, quam sperata victoria. Haec in tua, 8
 'illa in deorum manu est. Ne tot annorum felicitatem in
 'unius horae dederis discrimen. Quum tuas vires, tum
 'vim fortunae Martemque belli communem, propone ani- 9
 'mo. Utrumque ferrum, corpora humana erunt: nusquam
 'minus, quam in bello, eventus respondent. Non tantum
 'ad id, quod data pace iam habere potes, si proelio vincas,
 'gloriae adieceris; quantum ademeris, si quid adversi eve-
 'niat. Simul parta ac sperata decora unius horae fortuna
 'evertere potest. Omnia in pace iungenda tuae potestatis
 'sunt, P. Corneli: tunc ea habenda fortuna erit, quam dii
 'dederint. Inter pauca felicitatis virtutisque exempla M.
 'Atilius quondam in hac eadem terra fuisset, si victor pa-

5 *Victoriam, inquam*] In hac voce *inquam* est quaedam vis affirmandi id, quod iam dictum est, sc. Scipioni non facile futurum esse animum ad quieta consilia proclivem.

6 *Quem modo*] Vocem *videras* quod nonnulli libri post *Romana* ad-
 dunt, e verbis sequentibus *hic cernis* satis intelligi monet Gronovius.

7 *Duobus fortissimis viris*] Quum tres fratres amisset Hannibal, sc. Hasdrubalem, Magonem, Hannonem, eum aut Hannonem non commemo-

rasse, quod exercitum non duxisset, sed praefectus tantum equitum fuisset, aut Magonem praeteriisse, quod eius mortis nullamduam famam accepisset, censet Drakenborchius.

8 *Haec in tua*] Pronomen *hic* id, de quo potissimum agimus, respicit, unde fit, ut, si verborum ordinem spectas, *hic* saepius ad remotiora referatur, *ille* ad propiora. cf. supr. xxiv. 29.

9 *Martemque belli communem*] cf. Supr. xxviii. 40.

‘cem petentibus dedisset patribus nostris: non statuendo
‘tandem felicitati modum, nec colibendo efferentem se
‘fortunam, quanto altius elatus erat, eo foedius corrui-
‘Est quidem eius, qui dat, non qui petit, conditiones di-
‘cere pacis: sed forsitan non indigni simus, qui nobismet
‘ipsi multam irrogemus. Non recusamus, quin omnia,
‘propter quae bellum initum est, vestra sint, Sicilia, Sar-
‘dinia, Hispania, quicquid insularum toto inter Africam
‘Italiamque continetur mari. Carthaginenses, inclusi Afri-
‘cae litoribus, vos (quando ita diis placuit) externa etiam
‘terra marique videamus regentes imperia. Haud nega-
‘verim, propter non nimis sincere petitam aut expectatam
¹ nuper pacem, suspectam esse vobis Punicam fidem. Mul-
‘tum, per quos petita sit, ad fidem tuendae pacis pertinet,
‘Scipio. Vestri quoque, ut audio, Patres nonnihil etiam
‘ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negave-
‘runt pacem. Hannibal peto pacem: qui neque peterem,
‘nisi utilem crederem: et propter eandem utilitatem tue-
‘bor eam, propter quam petii. Et, quemadmodum, quia
² a me bellum coeptum est, ne quem eius poeniteret, quoad
‘ipsi videre dei, praestiti; ita annitar, ne quem pacis per
‘me partae poeniteat.’

Adversus haec imperator Romanus in hanc fere senten-
tiam respondit: ‘Non me fallebat, Hannibal, adventus tui
‘spe Carthaginenses et praesentem indutiarum fidem, et
‘spem pacis turbasse. Neque tu id sane dissimulas, qui
‘de conditionibus superioribus pacis omnia subtrahas, prae-
‘ter ea, quae iam pridem in nostra potestate sunt. Cete-
‘rum, sicut tibi curae est, sentire cives tuos, quanto per te
‘onere leventur: sic mihi laborandum est, ne, quae tunc
‘pepigerunt, hodie subtracta ex conditionibus pacis, prae-
‘mia perfidiae habeant. Indigni, quibus eadem pateat
‘conditio, ut etiam prosit vobis fraus, petitis. Neque pa-
‘tres nostri priores de Sicilia, neque nos de Hispania feci-
³ mus bellum. Et tunc Mamertinorum sociorum pericu-
‘lum, et nunc Sagunti excidium nobis pia ac iusta indue-
‘runt arma. Vos laecessisse, et tu ipse fateris, et dei testes
‘sunt: qui et illius belli exitum secundum ius fasque de-

31.

Responsio
Scipionis.

¹ *Multum, per quos petita sit]* Qua fide pax servetur, id magnopere pendet ex dignitate eorum per quos illa petita sit. CREV.

² *Ne quem eius poeniteret . . . praestiti]* Feci, per laetos belli eventus, ut nemo illud susceptum incusare posset. CREV.

³ *Et tunc Mamertinorum]* De ea re cf. Polyb. i. 10. ex quo apparet

Scipionem hic suae Romanorumque causae gratificari. Romana enim arma in Siciliam vocavit magis nimiae iam Carthaginensium potentiae metus, quam Mamertinorum preces, qui nec vetusta cum iis societate iuncti erant, et ob immanitatem iniustitiamque, qua Messanam veteribus cultoribus ademerant, parum sane digni erant auxilio. CREV.

U. C. 550. 'derunt, et huius dant et dabunt. Quod ad me attinet, et
 A. C. 202. 'humanae infirmitatis memini, et vim fortunae reputo, et
 'omnia, quaecunque agimus, subiecta esse mille casibus
 'scio. Ceterum, quemadmodum superbe et violenter me
 'faterer facere, si prius, quam in Africam traiecissem, te
 'tua voluntate cedentem Italia, et, imposito in naves exer-
 'citu, ipsum venientem ad pacem petendam aspernarer;
 'sic nunc, quum prope mann conserta restitantes ac tergi-
 'versantes in Africam attraxerim, nulla sum tibi verecundia
 'obstrictus. Proinde si quid ad ea, in quae tum pax con-
 'ventura videbatur, (quae sint, nosti) multae navium cum
 'conmeatu per indutias expugnatarum legatorumque vio-
 'latorum adiicitur, est, quod referam ad consilium. Sin
 'illa quoque gravia videntur, bellum parate, quoniam
 'pacem pati non potuistis.'

Re infecta
 redeunt.

32.
 Omnia pa-
 rantur ad
 proelium.

Ita infecta pace, ex colloquio ad suos quum se recepis-
 sent, frustra verba iactata renuntiant. Armis decernendum
 esse, habendamque eam fortunam, quam dii dedissent. In
 castra ut est ventum, pronuntiant ambo, 'Arma expedirent
 'milites animosque ad supremum certamen, non in unum
 'diem, sed in perpetuum, si felicitas adesset, victores.
 'Roma, an Carthago, iura gentibus darent, ante crastinam 5
 'noctem scituros. Neque enim Africam, aut Italiani, sed
 'orbem terrarum victoriae praemium fore; par periculum
 'praemio, quibus adversae pugnae fortuna fuisset.' Nam 6
 neque Romanis effugium ullum patebat in aliena ignotaque
 terra: et Carthagini, supremo auxilio effuso, adesse vide-
 batur praesens excidium.

Ad hoc discrimen procedunt postero die duorum opulen-
 tissimorum populorum duo longe clarissimi duces, duo for-
 tissimi exercitus, multa ante parta decora aut cumulaturi eo
 die, aut eversuri. Anceps igitur spes et metus miscebant
 animos: contemplantibusque modo suam, modo hostium
 aciem, quum oculis magis, quam ratione, pensarent vires,
 simul laeta, simul tristitia obversabantur. Quae ipsis sua
 sponte non succurrebant, ea duces admonendo atque hor-
 tando subiiciunt. Poenus sexdecim annorum in terra Italia
 res gestas, tot duces Romanos, tot exercitus occisione oc-
 cisos, et sua cuique decora, ubi ad insignem alicuius pugnae
 memoria militem venerat, referebat. Scipio Hispanias, et
 recentia in Africa proelia, et confessionem hostium, quod

4 *Ad ea, in quae*] Praepositionem
 in omittit Bekker, et post *ad ca*,
 voces *dico pacem*, aut tale quid intel-
 ligit.

5 *Iura gentibus darent*] *Daret*
 quod in quibusdam codd. superest,
 Crevier. in contextum revocat; sed

Roma, et Carthago, pro Romanis et
 Carthaginensibus, tanquam collec-
 tivae voces, verbum plurale asciscunt.
 DRAC.

6 *Quibus adversae pugnae*] *Ad-*
versa, quod Perizonius legendum
 coniecit, reposuit Bekker.

neque non petere pacem propter metum, neque manere in ea prae insita animis perfidia potuissent. Ad hoc colloquium U. C. 550.
A. C. 202.

7 Hannibalis in secreto habitum, ac liberum fingenti, qua velit, flectit. Ominatur, quibus quondam auspiciis patres eorum pugnauerint ad Aegates insulas, ea illis exeuntibus in aciem portendisse deos. ‘Adesse finem belli ac laboris. ‘In manibus esse praedam Carthaginis, reditum domum in patriam, ad parentes, liberos, coniuges, penatesque deos.’ Celsus haec corpore, vultuque ita lacto, ut vicisse iam crederes, dicebat. Instruit deinde primos hastatos, post eos principes: triarii postremam aciem clausit. Non confertas 33.

9 autem cohortes ante sua quamque signa instruebat, sed Acies Scipionis. manipulos aliquantum inter se distantes, ut esset spatium, quo elephanti hostium accepti nihil ordines turbarent. Laelium, cuius ante legati, eo anno quaestoris extra sortem ex senatusconsulto opera utebatur, cum Italico equitatu ab sinistro cornu, Masinissam Numidasque ab dextro opposuit.

1 Vias patentes inter manipulos antesignanorum velitibus (ea tunc levis armatura erat) complexit; dato praecepto,

2 ut, ad impetum elephantorum, aut post rectos refugerent

3 ordines, aut, in dextram laevamque discursu applicantes se antesignanis, viam, qua irruerent in ancipitia tela, belluis

7 *Liberum fingenti, qua velit, flectit*] *Flecti*, quod Sigonius mavult, Bekker in textum recepit.

8 *Triarii postremam aciem clausit*] cf. Polyb. vi. 19. Niebhr. iii. n. 825. Mutatae iam armis et numero legionis acies stabant. cf. supr. viii. 8. *Quippe hastatorum et principum* acies denos manipulos habebant; manipulus centum viginti homines erant, qui *pila* gererent. *Triarii* autem, qui in subsidiis stabant, *hastas* gerebant, manipuli decem; manipulus vicosos milites continebat. *Velites*, qui non sicut antea manipulatim, sed catervatim iam structi erant, leves mille ducentos milites habebant: ita ut legiones quaternis millibus et ducentis militibus essent. Haud scio an haec *tertia* legionis struendae ratio a Scipione profecta sit.

9 *Non confertas autem cohortes*] Non ita instruebat cohortes ante sua quamque signa, ut haerent sibi invicem densati manipuli e quibus constabat cohors, sed ita ut illi manipuli aliquantum inter se distarent. Verum illud est ex more solito militiae Romanae, in qua manipuli distinctim semper locabantur. Polybius xv. 9. unde et ambas fere Hannibalis ac

Scipionis orationes, et totam huius pugnae narrationem exscripsit Livius, clarius indicat, qua in re Scipio a communi more instruendae Romanae aciei recesserit. “Scipio,” inquit, “sic ordines copiarum instruxit. Primum hastatos eorumque manipulos aliquantum inter se distantes; horum a tergo principes locavit, positis eorum manipulis non ex adverso vacui spatii, quo distabant invicem hastatorum manipuli, sicut mos est Romanorum, sed alios post alios in eadem serie, cum aliquo intervallo.” Inde fiebat ut a fronte ad extremam aciem patentes et directae viae panderentur, per quas velites, si ab elephantis nimium urgerentur, pone universam aciem refugere possent. CREV.

1 *Velitibus (ea tunc levis armatura erat)*] cf. Supr. xxvi. 4.

2 *Post rectos . . . ordines*] Post ordines qui in rectum, in lineam, a fronte ad ultimam aciem dispositi erant. CREV.

3 *Applicantes se antesignanis*] Imo, ut Polybius habet, intervallis, quae inter manipulos a dextra laevaue patentium viarum relictæ erant. CR.

U. C. 550. darent. Hannibal ad terrorem primum elephantos (octo-
 A. C. 202. ginta autem erant, quot nulla unquam in acie ante habu-
 Acies Han- erat) instruxit: deinde auxilia Ligurum Gallorumque,
 nibalis. Baharibus Maurisque admixtis; in secunda acie Carthagi-
 nienses Afrosque et Macedonum legionem; modico inde
 intervallo relicto, subsidiariam aciem Italicorum militum
 (Bruttii plerique erant, vi ac necessitate plures, quam sua
 voluntate, decedentem ex Italia secuti) instruxit. Equita-
 tum etiam ipsum circumdedit cornibus: dextrum Cartha-
 ginienses, sinistrum Numidae tenuerunt. Varia adhortatio
 erat in exercitu inter tot homines, quibus non lingua, non
 mos, non lex, non arma, non vestitus habitusque, non causa
 militandi eadem esset. Auxiliariis et praesens, et multi-
 plicata merces ex praeda ostentatur. Galli proprio atque
 insito in Romanos odio accenduntur. Liguribus campi
 uberes Italiae, deductis ex asperimis montibus, in spem
 victoriae ostentantur. Mauros Numidasque Masinissae
 impotenti futuro dominatu terret. Aliis aliae spes ac metus
 iactantur. Carthaginiensibus moenia patriae, dii penates,
 sepulera maiorum, liberi cum parentibus, coniuges pavidae,
 aut excidium servitiumque, aut imperium orbis terrarum,
 nihil aut in metum, aut in spem medium ostentatur.

Quum maxime haec imperator apud Carthaginienses,
 duces suarum gentium inter populares, plerique per inter-⁵
 pretes inter immixtos alienigenis, agerent, tubae cornuaque
 ab Romanis cecinerunt: tantusque clamor ortus, ut ele-
 phanti in snos, sinistro maxime cornu, verterentur, Mauros
 ac Numidas. Addidit facile Masinissa percussis terrorem,
 nudavitque ab ea parte aciem equestri auxilio. Paucae
 tamen bestiarum, intrepidae in hostem actae, inter velitum
 ordines cum multis suis vulneribus ingentem stragem ede-
 bant. Resilientes enim ad manipulos velites, quum viam
 elephantis, ne obtererentur, fecissent; in ancipites ad ictum⁷
 utrimque coniciebant hastas; nec pila ab antesignanis ces-
 sabant; donec undique incidentibus telis exacti ex Ro-
 mana acie, hi quoque in suo dextro cornu ipsos Cartha-
 giniensium equites in fugam verterunt. Laelius, ut turbatos
 vidit hostes, addit percussis terrorem.

34. Utrunque equite nudata erat Punica acies, quum pedes

⁴ *Ad terrorem primum elephantos*] Potius videretur *primos*, quod ex Cantabrigiensi codice affert Iac. Gronovius, et firmat noster Regius. CREV. *Primos* reposuit Bekker.

⁵ *Duces suarum gentium inter populares*] Intellige *duces suarum* quaeque *gentium*, Mauros Mauro-

rum, Hispanos Hispanorum.

⁶ *Plerique per interpretes*] *Ple-* *rique* emendavit Gronov., sed *ple-* *raque* Crevier. et Bekker. servant.

⁷ *In ancipites*] Utrunque expo-
 sitos et patentes ad telorum ictus
 elephantos. GRONOV.

concurrit, nec spe, nec viribus iam par. Ad hoc, dictu U. C. 550.
 8 parva, sed magni eadem in re gerenda momenti res, con- A. C. 202.
 gruens clamor a Romanis, eoque maior et terribilior; dis-
 sonae illis, ut gentium multarum discrepantibus linguis,
 voces. Pugna Romana stabilis, et suo et armorum pondere
 incumbentium in hostem: concursatio et velocitas illinc
 maior, quam vis. Igitur primo impetu extemplo movere
 9 loco hostium aciem Romani. Ala deinde et umbonibus
 pulsantes, in summos gradu illato, aliquantum spatii,
 velut nullo resistente, incessere; urgentibus et novissimis
 primos, ut semel motam aciem sentire; quod ipsum vim
 magnam ad pellendum hostem addebat. Apud hostes,
 auxiliares cedentes secunda acies, Afri et Carthaginienses,
 adeo non sustinebant, ut contra etiam, ne resistentes per-
 tinaciter primos caedendo ad se perveniret hostis, pedem
 referrent. Igitur auxiliares terga dant repente: et, in suos
 versi, partim refugere in secundam aciem, partim non re-
 cipientes caedere, uti paullo ante non adiuti, et tunc
 exclusi. Et prope duo iam permixta proelia erant,
 quum Carthaginienses simul cum hostibus, simul cum
 suis cogarentur conserere manus. Non tamen ita per-
 culsos iratosque in aciem acceperere; sed, densatis ordi-
 nibus, in cornua vacuumque circa campum extra proelium
 1 eiecere, ne pavido fuga vulneribusque milite sinceram et
 integram aciem miscerent. Ceterum tanta strages homi-
 num armorumque locum, in quo steterant paullo ante
 auxiliares, compleverat, ut prope difficilior transitus esset,
 quam per confertos hostes fuerat. Itaque, qui primi erant,
 hastati, per cumulos corporum armorumque et tabem san-
 guinis, qua quisque poterat, sequentes hostem, et signa et
 ordines confuderunt. Principum quoque signa fluctuari
 coeperant, vagam ante se cernendo aciem. Quod Scipio
 2 ubi vidit, receptui propere canere hastatis iussit: et, sauciis
 in postremam aciem subductis, principes triariosque in
 cornua inducit; quo tutior firmiorque media hastatorum
 acies esset. Ita novum de integro proelium ortum est:
 quippe ad veros hostes perventum erat, et armorum genere,
 et usu militiae, et fama rerum gestarum, et magnitudine
 vel spei vel periculi pares. Sed et numero Romanus su-

8 *In re gerenda momenti res]* tes. CREV.

Ultimam vocem *res* Gronov. et Bekker. delent, ut *parva* referatur numero plurali ad omnia quae sequuntur, sed Crevier. servandam censet.

9 *Ala deinde et umbonibus pulsantes]* Incusso lacerto et scutorum umbonibus. Sic supr. ix. 41. *Umbonibus incussa*que ala sternuntur hos-

1 *Sinceram et integram aciem]* Intellige aciem non permixtam ex variarum gentium colluvione, nec ulla adhuc clade, ullo damno immixtam aut debilitatam. CREV.

2 *Receptui . . . canere hastatis iussit]* Iussit receptui canere hastatis, id est ad hastatos revocandos. CREV.

U. C. 550. perior erat, et animo : quod iam equites, iam elephantos
A. C. 202. fuderat : iam, prima acie pulsa, in secundam pugnabat.

35. In tempore Laelius ac Masinissa, pulsos per aliquantum
spatii secuti equites, revertentes in aversam hostium aciem
incurrere. Is demum equitum impetus fudit hostem.
Multi circumventi in acie caesi : multi per patentem circa
campum fuga sparsi, tenente omnia equitatu, passim in-
terierunt. Carthaginiensium sociorumque caesa eo die
supra millia viginti : par ferme numerus captus est, cum
signis militaribus centum triginta tribus, elephantis unde-
cim. Victores ad duo millia cecidere.

Vincunt
Romani.

3

Hannibal, cum paucis equitibus inter tumultum elapsus,
Adrumetum perfugit : omnia et ante aciem, et in proelio,
priusquam excederet pugna, expertus ; et confessione etiam
Scipionis, omniumque peritorum militiae, illam laudem
adeptus, singulari arte aciem eo die instruxisse. Ele-
phantos in prima fronte : quorum fortuitus impetus atque
intolerabilis vis, signa sequi, et servare ordines, in quo
plurimum spei ponerent, Romanos prohiberet. Deinde
auxiliares ante Carthaginiensium aciem, ne homines mixti
ex colluvione omnium gentium, quos non fides teneret, sed
merces, liberum receptum fugae haberent : simul primum
ardorem atque impetum hostium excipientes fatigarent ; 4
ac, si nihil aliud, vulneribus suis ferrum hostile hebetarent.
Tum, ubi omnis spes esset, milites Carthaginienses Afros-
que : ut, omnibus rebus aliis pares, eo, quod integri cum
fessis ac sauciis pugnarent, superiores essent : Italicos, in-
tervallo quoque diremptos, incertos socii an hostes essent, 5
in postremam aciem summos. Hoc edito velut ultimo
virtutis opere, Hannibal, quum Adrumetum refugisset,
accitusque inde Carthaginem sexto ac trigesimo post anno,
quam puer inde profectus erat, redisset, fassus in curia est,
non proelio modo se, sed bello victum, nec spem salutis
alibi, quam in pace impetranda esse.

36. Scipio, confestim a proelio expugnatis hostium castris
direptisque, cum ingenti praeda ad mare ac naves rediit ;
nuntio allato, P. Lentulum cum quinquaginta rostratis,
centum onerariis, cum omni genere commeatus, ad Uticam
accessisse. Admovendum igitur undique terrorem per-
cussae Carthagini ratus, misso Laelio Romam cum victoriae 6
nuntio, Cn. Octavium terrestri itinere ducere legiones Car-

3 *Ad duo millia*] Emendatio Si-
gonii, nisa auctore Polybio. Libri
ad decem millia exhibent. CREV.

4 *Excipientes fatigarent*] *Accipi-*
entes reposuit Bekker.

5 *Incertos socii an hostes essent*]
sc. De quibus Hannibal incertus

erat. cf. supr. xxvii. 37. infr. xxxi.
12.

6 *Misso Laelio Romam cum victo-*
riae nuntio] Delendum est omnino
illud *eum*, ut Laelius ipse intelligatur
fuisse victoriae nuntius. Sic infr.
xxvi. 51. *Scipio Laelium ... nun-*

thaginem iubet: ipse, ad suam veterem nova Lentuli classe U. C. 550. adiuncta, profectus ab Utica portum Carthaginiis petit. A. C. 202. Haud procul aberat, quum velata infulis ramisque oleae Carthaginiensium occurrit navis. Decem legati erant principes civitatis, auctore Hannibale missi ad petendam pacem. Qui quum ad puppim praetoriae navis accessissent, velamenta supplicum porrigentes, orantes, implorantesque fidem et misericordiam Scipionis; nullum iis aliud responsum datum, quam ut Tunetem veniret: eo se moturum castra. Ipse ab contemplato situ Carthaginiis, non tam noscendi in praesentia, quam deprimendi hostis causa, Uticam, eodem et Octavio revocato, rediit. Inde procedentibus ad Tunetem nuntius allatus, Verminam, Syphacis filium, cum equitibus pluribus, quam peditibus, venire Carthaginiensibus auxilio. Pars exercitus cum Numidae 7 omni equitatu Saturnalibus primis agmen aggressa, Numidas levi certamine fudit. Exitu quoque fugae intercluso, a parte omni circumdatis equitibus, quindecim millia hominum caesa; nulle et ducenti vivi capti sunt, et equi Numidici mille et quingenti, signa militaria duo et septuaginta. Regulus ipse inter tumultum cum paucis effugit. Tum ad Tunetem eodem, quo antea, loco castra posita, legatique triginta Carthagine ad Scipionem venerunt. Et illi quidem multo miserabilius, quam ante, quo magis cogebat fortuna, cogerunt: sed aliquanto minore cum misericordia ab recenti memoria perfidiae auditi sunt. In consilio quanquam iusta ira omnes ad delendam stimulabat Carthaginem; tamen, quum, et quanta res esset, et quam longi temporis obsidio tam munitae et tam validae urbis, reputarent, et ipsum Scipionem expectatio successoris, venturi ad paratam alterius labore ac periculo finiti belli famam, sollicitaret, ad pacem omnium animi versi sunt. Postero 37. die, revocatis legatis, et cum multa castigatione perfidiae monitis, ut, tot cladibus edocti, tandem deos et iusiurandum esse crederent; conditiones pacis dictae: ‘Ut liberi 9 legibus suis viverent. Quas urbes, quosque agros, quibusque finibus ante bellum tenuissent, tenerent, populi landique finem eo die Romanus faceret. Perfugas, fugi-

Carthaginienses pacem petunt.

Numidae fusi.

Legati Carthag. ad Scipionem.

Conditiones pacis a Scipione dictae.

tium victoriae Romam mittit. xxviii. 17. *L. Scipio cum multis nobilibus captivis nuntius receptae Hispaniae Romam est missus.* IAC. GRONOV.

7 *Saturnalibus primis*] Primo die Saturnalium, quae per triduum celebrabantur. Sic apud Cie. ad Att. xiii. 52. appellantur Saturnalia secunda, et Saturnalia tertia. Et noster supr. xlv. 20. *Legati ex Ma-*

cedonia Quinquatribus ultimis. id est, ultimo die Quinquatruum, venerunt. CREV.

8 *A parte omni circumdatis equitibus*] Quum equitatus Romanorum sese iis ab omni parte circumfudisset. CREV.

9 *Quas urbes, quosque agros*] Intellige, in Africa, ut diserte habetur apud Polybium. CREV.

U. C. 550. 'tivosque, et captivos omnes redderent Romanis, et naves
 A. C. 202. 'rostratas, praeter decem triremes, traderent, elephantos-
 'que, quos haberent domitos: neque domarent alios. Bel-
 'lum neve in Africa, neve extra Africam, iniussu populi
 'Romani gererent. Masinissae res redderent, foedusque
 'cum eo facerent. Frumentum stipendiumque auxiliis, 1
 'donec ab Roma legati redissent, praestarent. Decem
 'millia talentum argenti, descripta pensionibus aequis in
 'annos quinquaginta, solverent. Obsides centum arbi-
 'tratu Scipionis darent: ne minores quattuordecim annis,
 'neu triginta maiores. Indutias ita se daturum, si per
 'prioris indutias naves onerariae captas, quaeque fuissent
 'in navibus, restituerentur. Aliter nec indutias, nec spem
 'pacis ullam esse.'

Gisgonem
 contra pa-
 cem dicere
 vetat Han-
 nibal.

Has condiciones legati quum domum referre iussi in
 concione ederent, et Gisgo ad dissuadendam pacem pro-
 cessisset, audireturque a multitudine, inquieta eadem et
 imbelli: indignatus Hannibal, dici ea in tali tempore audi-
 reque, arreptum Gisgonem manu sua ex superiore loco
 detraxit. Quae insueta liberae civitati species quum fre-
 mitum populi movisset, perturbatus militaris vir urbana
 libertate, 'Novem,' inquit, 'annorum a vobis profectus,
 'post sextum et tricesimum annum redii. Militares artes, 2
 'quas me a puero fortuna nunc privata, nunc publica 3
 'docuit, probe videor scire. Urbis ac fori iura, leges,
 'mores, vos me oportet doceatis.' Excusata imprudentia,
 de pace multis verbis disseruit, quam nec iniqua, et neces-
 saria esset. Id omnium maxime difficile erat, quod ex
 navibus per indutias captis nihil, praeter ipsas comparebat
 naves: neque inquisitio erat facilis, adversantibus paci, qui 4
 arguerentur. Placuit naves reddi, et homines utique in-
 quiri. Cetera, quae abessent, aestimanda Scipioni per-
 mittere: atque ita pecunia luere Carthaginenses. Sunt qui
 Hannibalem ex acie ad mare pervenisse, inde praeparata
 nave ad regem Antiochum extemplo profectum tradant:
 postulantique ante omnia Scipioni, ut Hannibal sibi tra-
 deretur, responsum esse, Hannibalem in Africa non esse.

Pacem ac-
 cipiunt
 Carthag.

38.

Postquam redierunt ad Scipionem legati; quae publica
 in navibus fuerant, ex publicis descripta rationibus quae-
 stores: quae privata, profiteri domini iussi; pro ea summa 5

1 *Auxiliis*] cf. Supr. xxviii. 16.

2 *Post sextum et tricesimum*] cf. Supr. 30. et 35. Sed haec aegre conciliari posse existimat Crevier, cum eo, quod Carthagini Hannibal esset, quum eum vixdum puberem Hasdruba literis ad se accesseret. supr. xxi. 3.

3 *Fortuna nunc privata, nunc*

publica] Ea vivendi sors, quam mihi nunc privata fortuna mea, nunc publica Carthaginis fortuna dedit. CREV.

4 *Qui arguerentur*] Iis qui res in navibus captas possidere arguerentur.

5 *Proferi*] Hoc verbum ad dominos proprie refertur, sed *descripta*

pecuniae viginti quinque millia pondo argenti praesentia exacta: indutiaeque Carthaginiensibus datae in tres menses. Additum, ne per indutiarum tempus alio usquam, quam Romani, mitterent legatos: et, quicumque legati Carthaginem venissent, ne ante dimitterent eos, quam Romanum imperatorem, qui, et quae petentes venissent, certiores facerent. Cum legatis Carthaginiensibus Romanam missi L. Veturius Philo, et M. Marcius Ralla, et L. Scipio imperatoris frater. Per eos dies comitatus ex Sicilia Sardiniaque tantam vilitatem annonae effecerunt, ut pro vectura frumentum mercator nautis relinqueret.

U. C. 550.
A. C. 202.
Indutiae in
tres men-
ses.

Romae ad nuntium primum rebellionis Carthaginiensium trepidatum fuerat; iussusque erat Ti. Claudius mature in Siciliam classem ducere, atque inde in Africam traicere, et alter consul M. Servilius ad urbem morari, donec, quo statu res in Africa essent, sciretur. Segniter omnia in comparanda deducendaque classe ab Ti. Claudio consule facta erant; quod Patres de pace Scipionis potius arbitrium esse, quibus legibus daretur, quam consulis, censebant. Prodigia quoque, nuntiata sub ipsam famam rebellionis, terrorem attulerant. Cumis solis orbis minui visus, et pluit lapideo imbri, et in Veliterno agro terra ingentibus cavernis consedit, arboresque in profundum haustae. Ariciae forum, et circa tabernae, Frusinone murus aliquot locis, et porta, de coelo tacta: et in Palatio lapidibus pluit. Id prodigium more patrio novendiali sacro, cetera hostiis maioribus expiata. Inter quae etiam aquarum insolita magnitudo in religionem versa. Nam ita abundavit Tiberis, ut ludi Apollinares, circo inundato, extra portam 6 Collinam ad aedem Erycinae Veneris parati sint. Ceterum ludorum ipso die, subita serenitate orta, pompa, duci coepta ad portam Collinam, revocata deductaque in circum est, quum decessisse inde aquam nuntiatum esset: laetitiamque populo et ludis celebritatem addidit sedes sua sollenni spectaculo reddita.

Prodigia.

Claudium consulem, profectum tandem ab urbe, inter portus Cosanum Laurentanumque atrox vis tempestatis adorta in metum ingentem adduxit. Populonios inde quum pervenisset, stetissetque ibi, dum reliquum tempestatis exsaeviret, Ilvam insulam, et ab Ilva Corsicam, a Cor-

39.

Classis
Claudii
Cos. tem-
pestate
vexata.

profiteri idem quod describere vult, et quaestoribus accommodatum est.

6 *Ad aedem Erycinae Veneris*] Aedem Veneris Erycinae quam Fabius voverit, supr. xxii. 9. 10. et dedicaverit, supr. xxiii. 31. hoc loco intelligi non posse, quippe quae in Capitolio esset; alteram autem extra

vel ad portam Collinam sitam, postea demum a L. Porcio consule votam, et deinde a L. Poreio L. F. Licino duumviro dedicatam fuisse. infr. xl. 34. monet Drakenb. ita ut aut erraverit Livius, aut locum, ubi postea aedes condita est, per prolepsin ita vocaverit.

U. C. 550. sica in Sardiniam traiecit. Ibi superantem Insanos montes,
 A. C. 202. multo et saevior et infestioribus locis tempestas adorta,
 disiecit classem. Multae quassatae armamentisque spo-
 liatae naves: quaedam fractae. Ita vexata ac lacerata
 classis Carales tenuit. Ubi dum subductae reficiuntur
 naves, hiems oppressit: circumactumque anni tempus, et,
 nullo prorogante imperium, privatus Ti. Claudius classem
 Romam reduxit. M. Servilius, ne comitiorum causa ad
 urbem revocaretur, dictatore dicto C. Servilio Gemino, in 7
 provinciam est profectus. Dictator magistrum equitum
 P. Aelium Paetum dixit. Saepe comitia indicta perfici
 tempestates prohibuerunt. Itaque, quum pridie Idus
 Martias veteres magistratu abissent, novi suffecti non
 essent, respublica sine curulibus magistratibus erat.

T. Manlius Torquatus pontifex eo anno mortuus: in
 locum eius suffectus C. Sulpicius Galba. Ab L. Licinio
 Lucullo et Q. Fulvio aedilibus curulibus ludi Romani ter
 toti instaurati. Pecuniam ex aerario scribae viatoresque
 aedilicii clam egressisse per indicem comperti, damnati sunt,
 non sine infamia Luculli aedilis. P. Aelius Tubero et L.
 Laetorius aediles plebis vitio creati, magistratu se abdicarunt,
 quum ludos ludorumque causa epulum Iovi fecissent,
 et signa tria ex multaticio argento facta in Capitolio posu-
 issent. Cerealia ludos dictator et magister equitum ex 8

40.

Legati Car-
 thaginienses
 Romam
 veniunt.

Legati ex Africa Romani simul Carthaginiensesque
 quum venissent Romam, senatus ad aedem Bellonae ha-
 bitus est. Ubi quum L. Veturius Philo, pugnatum cum
 Hannibale esse suprema Carthaginiensibus pugna, finemque 9
 tandem lugubri bello impositum ingenti laetitia Patrum
 exposuisset; adiecit, Verminam etiam, Syphacis filium,
 quae parva bene gestae rei accessio erat, devictum. In
 concionem inde prodire iussus, gaudiumque id populo
 impartire. Tum patuere, facta gratulatione, omnia in urbe
 templa, supplicationesque in triduum decretae. Legatis
 Carthaginiensium et Philippi regis (nam ii quoque vene-
 rant) petentibus, ut senatus sibi daretur, responsum iussu
 Patrum ab dictatore est, consules novos iis senatum duros

U. C. 551.

A. C. 201.

Cn. Cor-
 nelio, P.

Aelio Coss.

esse. Comitia inde habita. Creati consules Cn. Cornelius
 Lentulus, P. Aelius Paetus: praetores, M. Iunius Pennus,
 cui sors urbana evenit; M. Valerius Falto Bruttios, M. Fa-
 bius Buteo Sardiniam, P. Aelius Tubero Siciliam est sor-

7 *Dictatore dicto*] Post hunc usque
 ad Syllam dictatores in republica non
 fuerunt. Vide Pighium in Ann. ad
 hunc annum p. 228. DUKER.

8 *Cerealia*] De his ludis cf. Ovid.

Fast. iv. 393. et sqq.

9 *Suprema Carthaginiensibus pu-
 gna*] Pugna, quae suprema, postrema
 fuit Carthaginiensibus, bello iam, non
 solum proelio victis. CREV.

titus. De provinciis consulum nihil ante placebat agi, U. C. 550.
A. C. 202.
quam legati Philippi regis et Carthaginensium auditi Provinciae.
essent. Belli finem alterius, principium alterius prospicie-
bant animis. Cn. Lentulus consul cupiditate flagrabat pro-
vinciae Africae; seu bellum foret, facilem victoriam, seu
iam finiretur, finiti tanti belli se consule gloriam petens.
Negare itaque prius quicquam agi passurum, quam sibi
Africa decreta esset, concedente collega, moderato viro et
prudenti; qui gloriae eius certamen cum Scipione, prae-
terquam quod iniquum esset, etiam impar futurum cer-
nebat. Q. Minucius Thermus et M. Acilius Glabrio, tri-
buni plebis, 'rem, priore anno nequicquam tentatam ab
'Ti. Claudio consule, Cn. Cornelium tentare' aiebant.
'Ex auctoritate Patrum latum ad populum esse, cuius vel-
'lent imperium in Africa esse. Omnes quinque et tri-
'ginta tribus P. Scipioni id imperium decresse.' Multis
contentionibus, et in senatu et ad populum, acta res po-
stremo eo deducta est, ut senatui permitterent. Patres
igitur iurati (ita enim convenerat) censuerunt, uti consules
provincias inter se compararent, sortirenturque, uter Italiam,
uter classem navium quinquaginta haberet. Cui classis
obvenisset, in Siciliam navigaret: si pax cum Carthagini-
ensibus componi nequisset, in Africam traiceret. Consul
mari, Scipio eodem, quo adhuc, iure imperii terra rem
gereret. Si condiciones convenirent pacis, tribuni plebis
populum rogarent, utrum consulem, an P. Scipionem,
iuberent pacem dare; et quem, si deportandus exercitus
victor ex Africa esset, deportare. Si pacem per P. Sci-
pionem dari, atque ab eodem exercitum deportari iussis-
sent, ne consul ex Sicilia in Africam traiceret. Alter
consul, cui Italia evenisset, duas legiones a M. Sextio prae-
tore acciperet. P. Scipioni cum exercitibus, quos haberet,
in provincia Africa prorogatum imperium. Praetori M.
Valerio Faltoni duae legiones in Bruttis, quibus C. Livius
priore anno praefuerat, decretae. P. Aelius praetor duas
legiones in Sicilia ab Cn. Tremellio acciperet. Legio una
M. Fabio in Sardiniam, quam P. Lentulus pro praetore
habuisset, decernitur. M. Servilio prioris anni consuli,
cum suis duabus item legionibus, in Etruria prorogatum
imperium est. Quod ad Hispanias attineret, aliquot iam
annos ibi L. Cornelium Lentulum et L. Manlium Acidini-
um esse. Uti consules cum tribunis agerent, si iis vide-
retur, ut plebem rogarent, cui iuberent in Hispania im-

41.

1 *Finiti tanti belli se consule]*
Recte videtur Perizonius legere *a se*
consule. Sane apparebat bellum eo

consule finitum iri, ut revera accidit.
At cupiebat ipse ultimam bello ma-
num imponere. CREV.

U. C. 551. perium esse. Is ex duobus exercitibus in unam legionem
 A. C. 201. conscriberet Romanos milites, et in quindecim cohortes
 socios Latini nominis, quibus provinciam obtineret: veteres
 milites L. Cornelius et L. Manlius in Italiam deportarent.
 Cornelio consuli quinquaginta navium classis ex duabus
 classibus, Cn. Octavii, quae in Africa esset, P. Villi, quae
 Siciliae oram tuebatur, decreta: ut, quas naves vellet, de-
 ligeret. P. Scipio quadraginta longas naves haberet, quas 2
 habuisset. Quibus si Cn. Octavium, sicut praefuisset,
 praeesse vellet, Octavio pro praetore in eum annum im-
 perium esset: si Laelium praeficeret, Octavius Romam
 decederet: reduceretque naves, quibus consuli usus non
 esset. Et M. Fabio in Sardiniam decem longae naves de-
 cretae. Et consules duas legiones urbanas scribere iussi:
 ut quattuordecim legionibus eo anno, centum navibus lon-
 gis respublica administraretur.

14. legioni-
 bus, 100.
 navibus res
 gesta.

42.

Legati
 Philippi.

Tum de legatis Philippi et Carthaginensium actum.
 Priores Macedonas introduci placuit: quorum varia oratio
 fuit; partim purgantium, quae questi erant missi ad regem
 a Roma legati de populatione sociorum; partim ultro ac-
 cusantium quidem et socios populi Romani, sed multo
 infestius M. Aurelium; (quem ex tribus ad se missis legatis,
 delectu habito, substituisse, et se bello lacesse contra
 foedus, et saepe cum praefectis suis signis collatis pugnasse)
 partim postulantium, ut Macedones duxque eorum Sopater,
 qui apud Hannibalem mercede militassent, captique in vin-
 culis essent, sibi restituerentur. Adversus ea M. Furius,
 missus ad id ipsum ab Aurelio ex Macedonia, disseruit,
 ‘Aurelium relictum, ne socii populi Romani, fessi popula-
 tionibus atque iniuria, ad regem deficerent, finibus socio-
 rum non excessisse: dedisse operam, ne impune in agros
 eorum transcenderent populatorum. Sopatrum ex purpu- 3
 ratis et propinquis regis esse: eum cum quattuor millibus
 Macedonum et pecunia missum nuper in Africam esse,
 ‘Hannibali Carthaginensibusque auxilio.’ De his rebus
 interrogati Macedones, quum perplexe responderent ipsi, 4
 ante responsum tulerunt, ‘Bellum quacere regem, et, si
 ‘pergat, propediem inventurum. Dupliciter ab eo foedus

Cum tristi
 responso
 dimissi.

2 *Quadraginta longas naves*] Ita pro *quinquaginta* emendavit Drakenb. Tot autem navium classem Scipionem prioribus annis habuisse supr. 2. dictum est: ita quoque numerus navium cum *centum navibus longis* infr. conveniet.

3 *Ex purpuratis*] Purpurati in regum Macedonicorum aulis ii erant, qui, quia dignitate ceteros anteibant, purpurea veste utebantur. Horum

frequens mentio est et in libris sequentibus, et apud Curtium, et alibi passim. CREV.

4 *Responderent ipsi, ante responsum*] Ita emendavit Gronov. pro vulg. *responderent, ipsi ante responsum*, sed veterem lectionem Bekker. revocavit. Perizonius, quem laudat Drakenb. pro *ante* vocem *acre* legendam coniecit.

‘violatum: et quod sociis populi Romani iniurias fecerit, U. C. 551.
 ‘bello armisque laecesserit: et quod hostes auxiliis et A. C. 201.
 ‘pecunia iuverit. Et P. Scipionem recte atque ordine
 ‘videri fecisse et facere, quod eos, qui arma contra populum
 5 ‘Romanum ferentes capti sunt, hostium numero in vinculis
 ‘habeat: et M. Aurelium e republica facere, gratumque
 ‘id senatui esse, quod socios populi Romani, quando iure
 ‘foederis non posset, armis tueatur.’

Cum hoc tam tristi responso dimissis Macedonibus, Legati Carthaginienses vocati. Quorum aetatibus dignitatibusque conspectis, (nam longe primi civitatis erant) tum pro se quisque dicere, vere de pace agi. Insignis tamen inter ceteros Hasdrubal erat, (Haedum populares cognomine appellabant) pacis semper auctor, adversusque factioni
 6 ‘Barcinac. Eo tum plus illi auctoritatis fuit, belli culpam in paucorum cupiditatem a republica transferenti. Qui quum varia oratione usus esset, nunc purgando crimina, nunc quaedam fatendo, ne impudenter certa negantibus difficilior venia esset, nunc monendo etiam Patres conscriptos, ut rebus secundis modeste ac moderate uterentur; ‘Si se atque Hammonem audissent Carthaginienses, et tempore uti voluissent, daturus fuisse pacis condiciones, quas tunc peterent. Raro simul hominibus bonam fortunam bonamque mentem dari. Populum Romanum eo invictum esse, quod in secundis rebus sapere et consulere meminere: et, hereule, mirandum fuisse, si aliter facerent.
 7 ‘Ex insolentia, quibus nova bona fortuna sit, impotentes laetitiae insanire. Populo Romano usitata ac prope iam obsoleta ex victoria gaudia esse, ac plus paene parcendo victis, quam vincendo, imperium auxisse:’ ceterorum miserabilior oratio fuit, commemorantium, ‘Ex quantis opibus quo recidissent Carthaginiensium res. Nihil iis, qui modo orbem prope terrarum obtinuissent armis, superesse, praeter Carthaginis moenia. Iis inclusos, non terra, non mari quicquam sui iuris cernere. Urbem quoque ipsam ac penates ita habituros, si non in ea quoque, ‘quo nihil ulterius sit, saevire populus Romanus velit.’ Quum flecti misericordia Patres appareret, senatorum unum infestum perfidiae Carthaginiensium succelamasse ferunt, ‘Per quos deos foedus icturi essent, quum eos, per quos

5 *Capti sunt*] *Sint* ex coniectura Dukeri, utpote in oratione obliqua, reposuit Bekker. assentiente Crevierio.

6 *Eo tum plus illi auctoritatis fuit*] Eo tum et decentior gravique viro dignior eius oratio fuit. et fides

illi facilius haberi poterat. CREV.

7 *Ex insolentia*] Eos quibus nova bona fortuna sit, quia id illis praeter solitum accadat, non capientes animo immodicam laetitiam. ad insanitatem efferrī. CREV.

U. C. 551. 'ante ictum esset, fefellissent? Per eosdem,' inquit Has-
A. C. 201. drubal, 'qui tam infesti sunt foedera violantibus.'

43. Inclinatis omnium ad pacem animis, Cn. Lentulus consul,
Plebisci- cui classis provincia erat, senatusconsulto intercessit. Tum
tum de M. Acilius et Q. Minucius tribuni plebis ad populum tule-
pace. runt, 'Vellent, iuberentne senatum decernere, ut cum Car-
'thaginiensibus pax fieret; et quem eam pacem dare,
'quemque ex Africa exercitus deportare iuberent?' De
pace, uti rogassent, omnes tribus iusserunt: pacem dare P.
S. C. de Scipionem, eundem exercitus deportare. Ex hac rogatione
pace. senatus decrevit, ut P. Scipio ex decem legatorum sententia
pacem cum populo Carthaginiensi, quibus legibus ei videretur,
faceret. Gratiâs deinde Patribus egere Carthaginienses,
petieruntque, ut sibi in urbem introire, et colloqui cum civibus suis
liceret, qui capti in publica custodia essent: esse in iis partim
propinquos amicosque suos, nobiles homines; partim ad quos
mandata a propinquis haberent. Quibus conventis, quum rursus
peterent, ut sibi, quos vellent, ex iis redimendi potestas fieret;
iussi nomina edere: et, quum ducentos ferme ederent, senatusconsultum
factum est, 'Ut legati Romani ducentos ex captivis, quos
'Carthaginienses vellent, ad P. Cornelium Scipionem in
'Africam deportarent: nuntiarentque ei, ut, si pax convenisset,
sine pretio eos Carthaginiensibus redderet.' Fetiales quum in
Africam ad foedus ferendum ire iuberentur; ipsis postulanti-
bus, senatusconsultum in hæc verba factum est: 'Ut privos lapides
silices, privasque verbenas secum¹ ferrent: uti praetor Romanus
his imperaret, ut foedus² ferirent, illi praetorem sagmina poscerent.'
Herbae id genus ex arce sumptum dari fetialibus solet.

Ita dimissi ab Roma Carthaginienses, quum in Africam
venissent ad Scipionem, quibus ante dictum est legibus, pacem
fecerunt. Naves longas, elephantos, perfugas, fugitivos,
captivorum quattuor millia tradiderunt: inter quos Q. Terentius
Culleo senator fuit. Naves propectas in altum incendi iussit.
Quingentas fuisse omnis generis, quae remis agerentur,
quidam tradunt: quarum conspectum repente incendium tam
lugubre fuisse Poenis, quam si tum ipsa Carthago arderet.
De perfugis gravius, quam de³

Incensae
500. naves.

8 *Decem legatorum*] Qui veteres illos *decem primos*, seu *principes senatus* referebant. cf. Niebhr. i. n. 784.

9 *Ut privos lapides silices*] *Privos* idem est ac *singulos*. *Lapides silices* sic dicit hoc loco, ut supr. i. 24. *Savo silice*.

1 *Verbenas ... sagmina*] cf. Supr. i. 24.

2 *Praetor Romanus*] h. e. Summus magistratus ex antiqua formula. cf. supr. vii. 3. *Qui praetor maximus sit*.

3 *De perfugis*] cf. Supr. 16.

fugitivis, consultum; nominis Latini qui erant, securi percussi, Romani in crucem sublatis. U. C. 551.
A. C. 201.

Annis ante quadraginta pax cum Carthaginensibus postremo facta erat, Q. Lutatius, A. Manlius consulibus. Bellum initum annis post tribus et viginti, P. Cornelio, Ti. Sempronio consulibus. Finitum est septimo decimo anno, Cn. Cornelio, P. Aelio Paeto consulibus. Saepe postea ferunt Scipionem dixisse, Ti. Claudii primum cupiditatem, deinde Cn. Cornelii, fuisse in mora, quo minus id bellum exitio Carthaginis finiret.

Carthagini quum prima collatio pecuniae diutino bello exhaustis difficilis videretur, maestitiaque et fletus in curia esset, ridentem Hannibalem ferunt conspectum. Cuius quum Hasdrubal Haedus risum increparet in publico fletu, quum ipse lacrimarum causa esset; 'Si, quemadmodum oris habitus cernitur oculis,' inquit, 'sic et animus intus cerni posset, facile vobis appareret, non lacti, sed prope amentis malis cordis hunc, quem increpatis, risum esse. Qui tamen nequaquam adeo est intempestivus, quam vestrae istae absurdae atque abhorrentes lacrimae sunt. Tunc flesse decuit, quum adempta nobis arma, incensae naves, interdictum externis bellis. Illo enim vulnere concidimus. Nec esse in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis. Nulla magna civitas diu quiescere potest. Si foris hostem non habet, domi invenit: ut praevalida corpora ab externis causis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur. Tantum nimirum ex publicis malis sentimus, quantum ad privatas res pertinet: nec in iis quicquam acrius, quam pecuniae damnum, stimulat. Itaque, quum spolia victae Carthagini detrahebantur, quum inermem iam ac nudam destitui inter tot armatas gentes Africae cerneretis, nemo ingenuit: nunc, quia tributum ex privato conferendum est, tanquam in publico funere, comploratis. Quam vereor, ne propediem sentiat, levissimo in malo vos hodie lacrimasse!' Haec Hannibal apud Carthaginienses.

4 *Finitum est septimo decimo anno*] Intelligendus est septimus decimus annus elapsus, et incipiente decimo octavo finitum bellum. CREV.

5 *Cupiditatem*] Qua Ti. Claudius, supr. 27. et Cn. Cornelius, supr. 40. destinatae finiti belli laudem Scipioni quasi praeripere studuerant. RASCH.

6 *Carthagini*] cf. Supr. xxviii. 26.

7 *Haedus*] cf. Supr. 42. Appianus quoque Hasdrubalem Ἐπιφον appellatum scribit. SIGON.

8 *Abhorrentes*] Ineptae, seu intempestivae.

9 *Nec esse in vos*] Neque existimetis ideo tam acerbè egisse vobiscum Romanos, ut suum in vos odium expleant. Vestrae paci ac tranquillitati consulere. Nulla quippe magna ac valida civitas diu quiescere potest. Ideo vobis vires ademere, ut quiescere cogamini. Ceterum haec defensio Romanae in victos acerbioris fortasse quibusdam videbitur haud satis decere personam Hannibalis. CREV.

Risus Hannibalis in publico fletu.

U. C. 551.
A. C. 201.
Masinissa
regno Sy-
phacis do-
natus.

45.
Scipio Ro-
mam rever-
sus trium-
phat.

Scipio, concione advocata, Masinissam, ad regnum pater-
num Cirta oppido et ceteris urbibus agrisque, quae ex
regno Syphacis in populi Romani potestatem venissent,
adiectis, donavit. Cn. Octavium classem in Siciliam duc-
tam Cn. Cornelio consuli tradere iussit: legatos Carthagi-
niensium Romam proficisci, ut, quae ab se ex decem lega-
torum sententia acta essent, ea Patrum auctoritate populique
iussu confirmarentur. Pace terra marique parta, exercitu
in naves imposito, in Siciliam Lilybaeum traiecit. Inde
magna parte militum in navibus missa, ipse per laetam pace
non minus, quam victoria, Italiam, effusis non urbibus modo
ad habendos honores, sed agrestium etiam turba obsidente
vias, Romam pervenit, triumphoque omnium clarissimo
urbem est invecus. Argenti tulit in aerarium pondo cen-
tum millia viginti tria: militibus ex praeda quadragenos
aeris divisit. Morte subtractus spectaculo magis hominum,
quam triumphantis gloriae, Syphax est, Tibure haud ita
multo ante mortuus, quo ab Alba traductus fuerat. Con-
specta mors tamen eius fuit, quia publico funere est elatus.
Hunc regem in triumpho ductum Polybius, haudquaquam
spernendus auctor, tradit. Secutus Scipionem triumphan-
tem est pileo capiti imposito Q. Terentius Culleo: omnique
deinde vita, ut dignum erat, libertatis auctorem coluit.
Africanum cognomen militaris prius favor, an popularis
aura celebraverit, an, sicuti Felicis Sullae Magnique Pom-
peii patrum memoria, coeptum ab assentatione familiari sit,
parum compertum habeo. Primus certe hic imperator no-
mine victae ab se gentis est nobilitatus. Exemplo deinde
huius, nequaquam victoria pares, insignes imaginum titulos
claraque cognomina familiae fecere.

¹ *Polybius*] Quem adeas, xvi. 12. cf. infr. xxxiii. 10. Polybium usque ad hunc bellum neglexit Livius, utpote non Romanum, et ideo Romanarum rerum non aequae ac Graecarum peritum. Sed Polybium auctorem vel praecipua fide in rebus Romanis laudat Cicero de Rep. ii. 14.


² *Pileo capiti imposito*] Quippe signo receptae libertatis. cf. supr. xxiv. 16.

³ *Victae ab se gentis*] Hinc cognomina illa, *Regillensem*, *Cortolanum*,

aliaque eiusmodi non victam gentem, sed illam, unde originem Postumii, et Marcii, alique duxerint, respexisse existimat Niebhr. i. n. 1227. Fieri tamen potest, ut vox *gens* latius quam *oppidum* pateat, et licet Africanus primus nomine *gentis* nobilitatus fuerit, non ideo tamen capti *oppidi* nomine priores nulli sint nobilitati. Equidem Niebuhrii coniecturam probandam censeo, non tamen hoc loco nimium nobis nitendum esse.

PA
6452
A2
1840
t.2
cop.3

Livius, Titus
Historiarum libri



PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

WALLACE MOOM

